AFRICA CHRISTIANA

PARS PRIMA

VOLVMEN I

STEPH· ANTONII MORCELLI

E SOCIETATE IESV

PRAEPOSITI ECCLESIAE CLARENSIS

AFRICA CHRISTIANA

IN TRES PARTES TRIBVTA

VOLVMEN I·

BRIXIAE

EX OFFICINA BETTONIANA

M· DCCC· XVI



PIVS VII PONTIFEX MAXIMVS

AVE · PATER · ET · RECTOR · CATHOLICI · ORBIS

PIE · SEPTIME · PONTIFEX · MAXIME

AVCTOR · ET · MAGISTER · PVBLICAE · RELIGIONIS

TIBI · DEVS · IMMORTALIS · ECCLESIAEQVE · TVAE

PRO · EXANTLATIS · LABORIBVS

PLACIDISSIMAM · PACEM · REPENDAT

PROQVE · FORTIS · ANIMI · ET · CONSTANTIS · VIRTVTE

PERPETVIS · AVCTOS · MERITIS

CAELESTIVM · HONORES · PARET

BEATISSIME PATER

PACATA divinitus Europa, rebusque Catholicae Ecclesiae tranquillis, dum reviviscente libertate, litterarum scientia et doctrinae atque humanitatis studia, Te, PATER BEATISSIME, fautore atque adjutore, reno-

vantur, Africa Christiana, opus jamdiu a doctis expetitum, ex officina nostra prodit in lucem, nec alii debitum meritumque, quam Tibi, qui nihil magis spectare aut in votis habere soles, quam religionis incrementa, amplificationem Ecclesiae tuae, gloriam Dei rerum omnium dominatoris, et quidquid in recta animorum conformatione et in Romanae professionis sanctitate continetur. in hoc enim opere, cui ex Te praesidium optamus, illa maxime eminent Africanae pietatis eximia laus, perpetua

Christiani nominis propagatio, divini honoris constantisque virtutis studium, summa Ecclesiarum cum suprema ista auctoritate consensio. talia porro cogitanti totoque animo concupiscenti felicius etiam omnia evenissent, nisi Tibi cum vaferrimo Ecclesiae hoste atque cum colluvie improborum hominum novo pugnae genere perdiu bellandum fuisset: in quorum laboriosa illa victoria, quam reportasti Orbi terrarum faustissimam, virtutem quidem tuam dignitatemque auxisti, sed cetera rei Christianae

ampliora facta in ipso cursu quodammodo restiterunt.

Utinam vero, quod et volumina editionis nostrae percurrenti facile animo occurret, utinam qui eo tempore aliena imperia adpetebant, meliore consilio avitos hostes justo utique bello adgressi essent, totque illae legiones militum veteranorum, quas superioribus annis vis caelestis absumpsit, salutari expeditione in Romanam Africam adspirantes, quae olim Italiae aequabatur, in maritimis illis regionibus tamquam in regno suo maturius

consedissent! prope jam redditas Tibi ad miserorum salutem provincias sex amplissimas vidisses, quae jamdudum Saracenorum armis occupatae veterem dignitatis splendorem penitus amiserunt.

Quid ni tamen, pace jam magnos inter Principes firmata ac constituta, hortatore Te atque auctore sperandum sit fore, ut eo etiam aliquando respiciant, deductisque in illos tractus coloniis stabile sibi regnum, suumque Ecclesiae dominatum adquirant, ubi religio iterum et verae virtutis glo-

ria latissime efflorescat? quam tecum Deo adnuente gaudebunt Caelestes, qui olim in Africa multiplici rectefactorum laude claruerunt, Cyprianus, Aurelius, Augustinus, Alypius, Evodius, Possidius, ceteri ex omni ordine summi viri, quorum memoria apud nos adhuc viget, Martyres vero in primis, qui non modo numero cum Roma tua atque Italia certare videntur, sed magnorum etiam proeliorum perpetuarumque confessionum fama sunt et omnium sermone celebrati? hisce enimvero auspicibus,

quemadmodum Iustiniano Aug. auctores illi fuerunt Africae per Belisarium recuperandae, ita expectandum nunc est, ut ex hac copia virorum fortissimorum Belisarius alter exsistat, quo duce hostibus Christiani nominis profligatis et Saracenorum barbarie deleta, eodem Romana auctoritas tamquam in propria sua redeat, et praeclarae quondam Ecclesiae, quae olim amplius septingentae numerabantur, secundum instituta majorum novos a te rectores moderatoresque recipiant. o aerumnarum omnium ma-

ximorumque laborum, quibus perfunctus es, fructum uberrimum atque immortalem, siquidem talem ac tantum percipere Ecclesia possit!

At haec certe nobis maxime exoptanda sunt, imo et bonis omnibus, qui ea quoque de caussa magnopere laetantur, auxilium Tibi majestatis etiam atque imperii accessisse. itaque Deum, cujus numini parent omnia, rogamus atque obsecramus, ut Te, Pater Sancte, quem hisce temporibus Catholico orbi exsortem donavit, qui virtute animi et constantia vitae

alienos quoque ad Christianam sapientiam alliceres, tamdiu Ecclesiae suae incolumem servet, ut omnes orbis partes miro consensu unum Te sibi pastorem agnoscant, magistrum audiant, ducem prosequantur. munusculum autem hoc nostrum, quo Tibi Africanae Ecclesiae felices annos et insignia rerum gestarum monumenta exhibemus, benigne accipias, Patriae nostrae bene precatus, quae ab ipso Christianae religionis exordio Romanis sacris addicta in Throni Apostolici fide et securitate conquiescit.

tui nempe omnes sumus, atque adeo qui Tibi omnia fausta a Deo postulamus; quod prior mihi peto, et familiae meae.

NICOLAVS BETTONI
PERPETVVS CVLTOR NOMINIS TVI.

E tenebris rursum Romana quod Africa prodit,
Magnorumque redit gloria prima Patrum:
Relligio gaudet, laetantur corda piorum,
Et veteres Virtus optat adire domos.
Exoriare aliquis, foedam qui pellere gentem
Inde ausus, tutum ferro iter expedias.



DVLCIA CVI DOCTAE DICTARVNT CARMINA MVSAE
CVI LATIOS REBVS TITVLOS APTARE VETVSTAS
RELLIGIOQVE DEDIT GRAIOS PENETRARE RECESSVS
AFRORVM SACROS NVNC DAT DESCRIBERE FASTOS.

DE RATIONE OPERIS

PRAEFATIO

Ecclesiae Africanae decora, successiones, vicissitudines perpetuo saeculorum aliquot nexu comprehensa in lucem edituri, laudem nonnullam historiae nostrae accessuram putavimus, si vere eam et diligenter et dilucide scripsisse videremur. cetera enim ornamenta, quae ab ingenio fere aut stili dignitate obveniunt, ad res, quae narrantur, vix pertinent, et scriptorem magis, quam historiam ipsam commendant. itaque animum ad scribendum eo consilio adjecimus, ut de historiae potius laude, quam de nostra commendatione laboraremus.

I. Ac primum quia veritatis studio maxime tenebamur, duae nobis res curae fuere, altera, ut singularum aetatum, quae oratione illustrandae essent, scriptores singulos scrutaremur: altera ne recentiorum opiniones sequuti, veterum unquam auctoritatem posthaberemus.

quo in labore etsi non magna semper monumentorum copia fuit, praeclari tamen nobis identidem fontes patuerunt. quid enim in historia Christiana illustrius, quam Acta Martyrum illa Proconsularia Martyribus ipsis praesentibus ac respondentibus scripta? quae utinam omnia ad nos usque pervenissent! profecto, quum tantus Martyrum Africanorum numerus fuerit, ut Italiae prope laureas exaequet, nihil hic grandius nihil uberius scribi legique posset. jam quantam aetati quisque suae lucem attulere Tertullianus, Cyprianus, Optatus, Augustinus, Evodius, Possidius, Fulgentius? manent quippe scripta eorum pleraque, manent epistolae, quae testata nobis eorum temporum facta moresque transmiserunt. nec minor a legibus manavit utilitas, iis praesertim, quas Christiani Principes tulerunt, quo nos munere junior donavit Theodosius, praeclare de historia meritus, quae publicis potissimum testimoniis niti debet. Conciliorum vero usus non impar fuit, quae singulis aetatibus non exiguo numero acta sunt. nam Ecclesiae in his doctrina facile eminet, controversiae produntur, consuetudines declarantur: haereses in primis emergunt, quas summa auctoritas coërcuit profligavitque. haec sane ad historiae

nostrae veritatem plurimum contulerunt. quis enim testimonia ejusmodi repudiare audeat, aut propria aevi cujusque monumenta elevare et contemnere jure possit? quae autem tempora obscuriora paullo ac minus nota videbantur, ad ea dilucidanda opportunissimi se nobis praebuere Pontifices maximi, quorum epistolas accepimus, et annalium accurati scriptores Marcellinus Comes et Victor Tonnonensis: tum vero ante omnes Victor Vitensis Vandalicae cladis enarrator diligentissimus, idemque testis ac particeps. post hunc multa suffecit Procopius, multa Gregorius magnus: quibus suppetiae advenere Graeci auctores ex Byzantina historia, et quidquid veterum scriptorum Sirmondus aliique vulgarunt: quorum subsidio factum est, ut historiam, quae interrupta videretur, saepe contexeremus, vixque vacua rebus temporum intervalla ulla effluere pateremur. Ecclesiis demum, quae quamplurimae inventae sunt, primo hoc volumine designandis ordinandisque externa etiam adjumento fuere, geographi, inquam, veteres, poëtae, historici, inscriptiones antiquae. nam monumentis hujus generis Africa etiam abundabat. verum nihil ad hanc laboris nostri partem utilius, quam

Synodorum subscriptiones et Notitia Africae Sirmondiana, unde ingens plane extitit Episcoporum census, qui Ecclesias Africanas rexere. quamobrem nemo, opinor, arguere nos jure queat, falsi quidquam aut nullo auctore a nobis in tanta rerum varietate esse congestum: praesertim quum fontes ipsos, unde res singulae haustae sint, vel nobis indicibus adire quisque ac recognoscere possit.

II. Ceterum quia eos etiam, qui veritatis quam studiosissimi habentur, errare interdum fallique constat, diligentiae praeterea nostrae erat, quatenus fas esset, dare operam, ne vel inviti deciperemur. prima igitur ea cura fuit, ut quae alii de hoc argumento scribere aggressi essent, singula accurate vestigaremus. Ruinartius propterea Piniusque in pretio habiti, Schelstratus, Pagius, Norisius, Tillemontius excussi: nec quidam levioris notae neglecti. sed ante omnia utique perutilis fuisset Historia illa Africana, quae bis apud Montfauconium (*in Diar. Ital. p.* 85) memoratur inter veteres Bibliothecae Pomposianae codices, et Servato Lupo tribui videtur, nec tamen a Baluzio in ejus operum editione agnita est. Quieni etiam docti viri labores jucundissimi,

quidquid ille de hoc argumento exarasse aut seposuisse fertur, oppido accidissent, schedis ejus tamquam thesauro repertis. ex heterodoxis vero, quorum quidam in veri investigatione cum laude versati sunt, nihil quod prodesse posset, ad manus venit. Leydeckeri enim opusculum calumnia plenum ac levidense visum. alios vero, qui haec fusius attigerint, non agnovimus. plus tamen laboris impensum in antiquis scriptoribus, ne quid effugeret aut negligeretur. itaque aliena etiam perlegentibus non raro contigit, ut inobservata quaedam primi occuparemus, quae historiam apprime augerent atque distinguerent. at non adeo felices nos fuisse gloriamur, nihil ut latuisse, nihil excidisse arbitremur, quod laude aliqua aut commemoratione dignum esset. quis enim hoc praestare hominum possit, ne dum nos, qui opus interruptum non semel relinquere coacti sumus; ac tum denique in manus resumpsimus, quum obliterata jam in animo erant, quae majore otio atque aetate firmiore scripseramus? quare illud etiam quandoque difficile fuit, quae deinde occurrerent, nova ne, an usurpata jamdiu essent, certo nos judicio recognoscere. tum aliae deinceps curae impedimento fuere,

ne lectioni quotidie vacaremus, neve ea nobis copia librorum praesto esset, quam id studii genus undique conquisitam in promptu esse maxime postulat.

III. Quod denique ad dilucidae scriptionis modum usumque spectabat, non tam speciem operis atque pompam, quam commodum legentium et utilitatem amavimus. idcirco volumine hoc primo tot illae per Africam Ecclesiae eo digestae sunt ordine, ut quam quisque vellet, invenire facile posset. nam illa Quieni in Oriente Christiano distributio, quae multum dignitatis habere videtur, ad usum tamen et cognitionem incommoda visa est. quin et aliae, ne eam sequeremur, obstabant caussae, de quibus loco dicemus. enimvero in Annalibus ad perspicuitatem historiae pertinere duximus, ut notis anni suis distinguerentur, rebusque singulis indicia temporum responderent. propterea consules anno cuique subjecti, quamdiu mos ille obtinuit: nec Principum Romanorum, aut Proconsulum, qui Africam administrarunt, neglecta mentio, quoties alter alteri succederet. majori etiam studio Pontificum maximorum consignata renunciatio atque mors; quod plurimum interesse putaremus, ut Ecclesiae hujus vicissitudines cum

perpetua Catholici nominis historia conjungerentur. nec vero praetermissi Regum Vandalorum anni, postquam Africae imperium penes eos esse coepit. sed illud maxime a nobis, quantum licuit, servatum est, ut Episcoporum Carthaginiensium instituta series totam historiam nostram ipsa deduceret ornaretque; quum eorum tanta per Africam auctoritas esset, ut de caussis Ecclesiarum ipsi cognoscerent, responsa Episcopis darent, Legatos ad Principem mitterent, maxima omnium provinciarum concilia indicerent. quod reliquum est, orationis genus sequuti sumus fusum pressumque, ubertate modica, nihil ut stilo depascendum videatur. id enim studiosis hominibus percommodum fore judicavimus. orationis autem venustati vix obfuturum arbitrati sumus, si veterum quandoque scriptorum sententias auctoritatesque integras interponeremus, quae nimirum alienis verbis elatae aut minus percellerent, aut minorem facerent fidem. haec praefari nos opus erat, ut de operis ratione constaret, quod utique adumbratum a nobis magis, quam perfectum putamus.

AFRICAE CHRISTIANAE

PARS I.

SIVE

PROVINCIAE ET EPISCOPATVS

COMMENTARIVS PRIMVS

DE PROVINCIIS

I. AFRICAE Christianae res Deo favente scripturus, plurimum interesse arbitror, in ipso operis exordio Africam accurate describi, qualis tum erat, quum ad eam primum Evangelii lux et Christianae Praedicationis salus pervasit. nam et ad dignitatem ac laudem Legis divinae pertinet, ut quales haec Afros invenerit, in comperto sit; et commodo eorum, qui haec legent, prospiciendum est: ne quae tractari debent, novitate locorum populorumque ignoratione obscura reperiantur. Africam autem, de qua mihi dicendum est, eam esse moneo, quae eo nomine a Romanis designabatur, et in Europae conspectu posita, a Gaditano freto ultra Syrtim majorem non excurrebat. quam enim Geographi quartam orbis terrarum partem nunc appellant, longe lateque in meridiem porrectam, in qua praeter Aegyptum et Cyrenaicam immensos quoque tractus, quos oceanus ambit, recensent, eam Romani veteres partim aliis appellationibus indicarunt, partim intactam atque inobservatam reliquerunt.

II. Enimvero dum prisca Ecclesiae adolescentis tempora repeto, unde apte congruenterque descriptionem auspicer, disputari adhuc video, quem ad annum initia Christianitatis in Africa referenda sint. nam quae Baronii opinio erat (1), Petrum ipsum Apostolum Ecclesiae illius conditorem fuisse, ea jam multis minus probatur (2). neque sane veteres Patres plus aliquid docent aut confirmant, quam id unum, illuc Evangelium ab urbe Roma perlatum esse. Tertullianus certe (3) quum Cathedras Apostolorum, id est Ecclesias ab ipsis constitutas enumeraret, unde quisque pro loci vicinitate

(1) *ad an.* 44. n. 39. Lud. Pinius *Hist. Donat.* ec.
(2) Tillem. *Mémoir. Ecclesiastiq.* T. I. p. 525. (3) *de Praescript.* c. 36.

responsa petere posset, nullam in Africa Ecclesiam ab Apostolis conditam satis indicavit. sic enim, ceteris commemoratis, de Romana loquutus est: *Si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est.* et felicitate ejus celebrata, quod Apostolorum Petri, Paulli, Ioannis doctrina et exemplis nobilitata esset, *Videamus*, inquit, *quid didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit:* quam nempe doctrinam Ecclesia Romana Afris transmiserit, unde eos quasi ex tessera consentientes sibi et concordes agnosceret. nec vero de Petro conditore quidquam affirmavit Innocentius Pont. max. in epistola illa sua ad Decentium Episcopum Iguvinum (4), sed id tantum scripsit, manifestum esse, *In omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus aut ejus successores constituerint sacerdotes.* unde illud unum liquet, Ecclesiam Africanam e Romana prognatam esse, atque adeo commentitia esse, quae de Simone Zelote Graeci tradiderunt, Afros ab eo primum esse institutos. quamquam id apud eos ne certum quidem habet auctorem: primus quippe in Synopsi sua protulit Pseudodorotheus (5), quam nullius esse auctoritatis alias ostendimus: ex eaque in Menologium Basilianum (6) et in Nicephori Callisti historiam (7) manavit.

III. Sed tamen ad tempus quod attinet incohatae per Africam Christianae Praedicationis, ne illic quidem antea defuisse admittendum est, qui mature ab Hierosolymis Religionis nostrae primordia adtulissent, incolas nempe ex Hebraeis proselytisque, qui sub Pentecosten primum quum illuc ex Africa Deo auctore profecti essent, domum salutari lavacro ab Apostolis abluti redierant: nam hos ipsos memorat Lucas, quum ait, Hierosolymis adfuisse qui partes Libyae habitabant, advenasque Romanos. tum illud quoque veri mihi quam simillimum videtur, quicumque Afros primi divinis rudimentis imbuerunt, eos ab ipso Christiani nominis initio in illas regiones cum potestate submissos esse, qui Apostolis auctoribus Ecclesiae Africanae conditores forent. quis enim audeat dicere, quo tempore tot Apostolorum discipuli summo Christianae Legis propagandae studio flagrabant, defuisse Romae, qui Africam prope ante oculos objectam cogitarent, aut qui tam uberem sibi provinciam curamque deposcerent? id vero ipsum testes confirmant locupletissimi, qui Christianam Religionem longe lateque jam ab exordio ejus diffusam tradunt. certe si Irenaei, quem Epiphanius successorem Apostolorum appellat, vel unum caput decimum libri primi contra haereses legas, si Iustinum illum Philosophum Apostolorum item aetati non

(4) apud Hard. *Conc.* T. I. p. 995.

(5) apud Cav. *de Scr. Eccl.* T. I. in *Doroth.*

(6) *X. Maii* T. III. p. 92.

(7) *Hist. lib. II. c.* 40. ceterum Paullinus *Nat. XI.* v. 92. Lebbaeo Apostolo, qui et Iudas Thaddaeus dictus est, tribuere videtur, quod alii Simoni adscribunt. mirum tamen in amici ejus Augustini libris nullum tantae rei esse vestigium: nullam praeterea significationem in Victore Vitensi. qui ad calcem operis sui opem implorat Apostolorum contra Vandalos Arianos, a quibus Ecclesia Africana crudelissime vexabatur. eum enim Apostolorum maxime ab eo invocari par erat, qui ejus Ecclesiae parens atque altor fuisset.

longo intervallo proximnm (8), Christiani jam ubique erant, nec *magis diffusa anima per corporis membra, quam illi per orbis terrarum urbes.* itaqne et in Africa jamtum hi fuisse putandi sunt, qnae certe haud exigua imperii Romani pars erat, sive ejus Orbis, qnem tum maxime norant. quam deinde in sententiam Tertullianus quoque adversns Iudaeos scribens capite septimo loquutus est: *In quem enim*, inquit, *alium universae gentes crediderunt, nisi in Christum, qui jam venit? cui enim et aliae gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitae, et qui habitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, et incolentes Pontum et Asiam et Pamphiliam, immorantes Aegyptum, et regionem Africae, quae est trans Cyrenen, inhabitantes? Romani et incolae, tunc et in Hierusalem Iudaei et ceterae gentes: ut jam Getulorum varietates et Maurorum multi fines: Hispaniarum omnes termini et Galliarum diversae nationes, et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita: et Sarmatarum et Dacorum et Germanorum et Scytharum et additarum multarum gentium et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum, et quae enumerare minus possumus?* quare si Tertulliani aevo Romanis jam finibus egressa Christiana Religio ad Getulos ipsos Maurosque pervenerat, profecto in Africam Romanam multo ante adnavigasse putanda est. porro hanc Afrorum item posteriorum opinionem fuisse, majores suos ad Christianam professionem mature esse tradnctos, Episcopi Numidiae olim declararunt, qunm a Pelagio II. Pont. max. petiere, ut omnes sibi superiorum temporum consuetudines servarentur, *quas a beati Petri Apostolorum Principis ordinationum initiis hactenus vetustas longe servavit* (9). quibus verbis prisca omnino Ecclesiae tempora designari nemo inficietur. scio quidem ex eadem provincia Cirtae Episcopnm Petilianum, quum Donatistarnm suorum factioni patrocinaretur, scripsisse (10), *De nobis dictum est, Erunt primi, qui erant novissimi* (11). *ad Africam enim Evangelium postmodum venit: et ideo nusquam litterarum Apostolicarum scriptum est Africam credidisse.* at, ut perversam Petiliani interpretationem mittamus, quam refutavit Augustinus, quid haec ostendunt, nisi hoc unnm, Africae Christianae exordia post Apostolorum aevnm esse? ac bene Augustinus adversus illum, *Etsi*, inquit, *non essent Iudaei et Gentes, de quibus hoc dictum intelligerem, nonnullae barbarae nationes etiam post Africam crediderunt: unde certum sit, Africam in ordine credendi non esse novissimam.* satis quippe erat ad refellendam Petiliani interpretationem alios designari posse, qui sacris Christianis serius accessissent, id est ea ipsa aetate, qua vivebat: nam ille Afros novissimos appellabat, non aequales solos, sed simul omnes, quotquot ab initio per Africam in Christianorum numero fnisse et esse censerentur. quare neque Petilianus neque Augustinns Ecclesiae Africanae originem recentiorem

(8) *Epist. ad Diognet.* Εσπαρται κατα παντων των τε σωματος μελων ἡ ψυχη, τοι' εισιν εν κοσμῳ χριςιανοι. V. et Lactant. *de mort. persequut.* n. 3.

(9) Gregor. M. *lib. I. epist.* 77.

(10) apud August. *de unit. Eccl.* c. 15.

(11) Matth. c. xx. n. 16.

fecit, quam nos putamus: quum ille Africanos Christianorum primos, hic postremos esse negaret.

IIII. Cypriani demum auctoritas hanc ipsam Christiani nominis antiquitatem, quam adserimus, Africanis haud obscure adtribuit. nam is in epistolis suis ad Quintum (12) et Iubajanum (13) coactam ab Agrippino decessore scribit synodum Episcoporum plurimorum, *qui illo tempore in provincia Africa et Numidia Ecclesiam Domini gubernabant*, quos Augustinus septuaginta fuisse indicavit (14). scribebat autem Cyprianus anno CCLIIII. sed Agrippinum multis ante annis Ecclesiae Carthaginiensi praefuisse ostendit: *Quando multi*, inquit, *jam anni sunt et longa aetas, ex quo sub Agrippino bonae memoriae viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerint.* sic ille ad Iubajanum: nec dubium est, qui *multos annos et longam aetatem* post Agrippini tempora fluxisse dicat, eundem designare secundi potius saeculi extrema, quam initia tertii (15). si autem saeculo Ecclesiae altero septuaginta saltem Episcopi erant in Africa Proconsulari et Numidia, Ecclesiam Africanam eo tempore adultam lateque diffusam fuisse constat: ut primordia ejus ad saeculum ipsum primum non immerito referri possint. quis enim tot Episcopos initio creatos putet, ac tantum repente Christianorum numerum tam multis in urbibus exstitisse, ut Episcopos in singulis constitui opus esset? praesertim quum eos mores legati illi Romanae Ecclesiae in Africa offendisse dicendi sint, qui nisi magnis laboribus ac diuturna cura emendari fingique non possent. atque haec mihi vim prope adhibent, ut Christianos in Africa et Carthagine in primis jam aliquos saeculo primo exeunte fuisse credam: qui subinde per provincias dispersi alios atque alios paullatim ad professionem suam traduxerint, itaque fundamenta ejus Ecclesiae jecerint, quae postea florentissima et maxima evasit.

V. Definito autem tempore, quo Christiana sacra in Africam perlata sunt, planum est, unde etiam ejus inchoanda descriptio sit: quae non aliunde duci debet, quam ab opportuna illa Flaviorum Augustorum aetate, quae Africanas provincias tranquillas et pacatas habuit. simul et se nobis percommode offert aequalis eorum temporum scriptor, ex quo primum rerum statum cognoscere liceat, senior scilicet Plinius, qui historiam suam tum edidit, et Tito Caesari dedicavit. itaque ab eo, quem is sequutus est, ordine nihil recedemus, et Africam veluti in meridie positi, ac barbariae tergus objicientes contemplabimur, a laeva sive a freto Gaditano exorsi, atque inde ad dexteram sive ad Syrtim majorem progressi: quo in tractu Mauritaniae primum occurrunt Tingitana et Caesariensis, deinde Numidia, demum Africa ipsa Proconsularis sive Zeugitana regio et quantum Africae (16) est ad Cyrenaicae provinciae fines.

(12) *Epist.* 71. v. Bacchin. *de Eccl. Hier. orig.* p. 315.

(13) *Epist.* 73. v. Iustelli *praef. ad Codic. Can. Eccl. Afr.* p. 17.

(14) *de un. Bapt. contra Petil.* c. XIII. n. 22.

(15) Victor natione Afer Pontificatum maximum cepit an. 192.

(16) de ipso nomine vide Bochart. *Geogr. sacr. lib. I.* c. 25.

§. I.

Mauretania Tingitana

I. *Principio terrarum*, inquit Plinius (1), *Mauritaniae appellantur, usque ad C. Caesarem Germanici filium regna, saevitia ejus in duas divisae provincias.* de hac divisione infra nobis dicendum est, ubi de Provinciis agemus. *Promontorium oceani extimum Ampelusia nominatur a Graecis:* nempe a vitibus consitis, unde et Afri *Cotten* appellabant lingua sua; quod a vindemia ductum ait Bochartus (2). *Oppida fuere Lissa et Cotta ultra columnas Herculis: nunc est Tingi, quondam ab Antaeo conditum: postea a Claudio Caesare, quum coloniam faceret, appellatum Traducta Iulia.* de hac appellatione magnae sunt controversiae, quod in Baetica coloniam hujus nominis ceteri Geographi agnoscant, eamque ex Tingitanis Zelitanisque eo transductis constitutam. Harduinus eosdem reductos in Africam a Claudio putabat (3): ac Plinium propterea in Baetica de Transducta Iulia silere, quod colonis abductis splendorem suum amisisset. animadvertit autem Cellarius, minime a Ptolemaeo aliisque esse praetermissam (4). itaque illud potius factum crediderim, ut colonos Claudius aliunde Tingi deduceret, et geminam eo nomine coloniam esse vellet, Hispanam alteram, alteram Africanam. addit de eadem Plinius: *Abest a Belone oppido Baeticae, proximo trajectu XXX. M. pass.*

II. *Ab eo*, pergit Plinius, *XXV. M. pass. in ora oceani, colonia Augusti Iulia Constantia Zilis, regum ditioni exempta, et jura Baeticam petere jussa.* Mauretaniae enim ante Claudium ab Augusti aevo reges fuerant Iubas et Ptolemaeus. Zilim autem conventui Gaditano adtributam puto: nam ceterae urbes, in quibus juridici conventus habebantur, magis distabant. *Et ab ea XXXII. M. passuum colonia a Claudio Caesare facta Lixos, vel fabulosissima antiquis narrata. ibi regia Antaei certamenque cum Hercule, et Hesperidum horti. affunditur aestuarium e mari flexuoso meatu, in quo draconis custodiae instar fuisse nunc interpretantur. amplectitur intra se insulam, quam solam e vicino tractu aliquanto excelsiore non tamen aestus maris inundat. exstat in ea et ara Herculis, nec praeter oleastros aliud ex narrato illo aurifero nemore.*

III. *Ab Lixo XXXX. M. in mediterraneo altera Augusti colonia est Babba, Iulia Campestris appellata:* cujus nummos eruditi norunt: *Et tertia Banasa LXXV. M. Valentia cognominata. ab XXXV. M. pass. Volubile oppidum, tantundem a mari utroque distans*, ab infero scilicet, et ab oceano. *at in ora*, quam adluit oceanus, *a Lixo quinquaginta M. amnis Subur praeter Banasam coloniam defluens, magnificus et navigabilis. ab*

(1) *Hist. Nat. lib. V. c. 1.*
(2) *Geogr. sacr. lib. I. c. 37.*
(3) *in Emend. ad lib. V. Plin. sect. 1.*
(4) *Geogr. lib. II. c. 1. sect. 2. n. 36.*

eo totidem M. pass. oppidum Sala ejusdem nominis fluvio impositum, jam solitudinibus vicinum, elephantorumque gregibus infestum, multo tumen magis Antololum gente, per quam iter est ad montem Africae vel fabulosissimum Atlantem. sed haec et quae deinceps Plinius habet de Atlante immensoque illo tractu ultra fines Romanos posito, ad nos non pertinent.

IIII. Exinde eodem reversus, *Tingitaniae*, inquit, *provinciae longitudo* CLXX. *mill. passuum est. gentes in ea, quondam praecipua Maurorum, unde nomen, quos plerique Maurusios dixerunt: attenuata bellis ad paucas recidit familias. proxima illi Massaesylorum fuerat, sed simili modo extincta est. Gaetulae nunc tenent gentes, Baniurae, multoque validissimi Antololes: et horum pars quondam Vesuni, qui avulsi his propriam fecere gentem, versi ad Aethiopas. ipsa provincia ab oriente montuosa, fert elephantos: in Abila quoque monte, et quos Septem fratres a simili altitudine appellant: ii freto imminent juncti Abilae. ab his ora interni maris. flumen Tamuda navigabile, quondam et oppidum. flumen Laud et ipsum navigiorum capax. Rusadir oppidum et portus, Malvana fluvius navigabilis.*

V. Hactenus quae in Mauretania Tingitana Plinius aevo suo norat. nec mirum videri debet, octo tantum cieri urbes, quae tum florerent: nam de Afris idem initio libri v. monuerat, eos vicatim dispersos esse: *Castella*, inquit, *ferme inhabitant;* quorum sane nomina neglexit, quum et ineffabilia, praeterquam ipsorum linguis, maxime essent.

§. II.

Mauretania Caesariensis

I. Finis superioris provinciae Malvana fluvius. post hunc *Siga oppidum*, inquit Plinius, *ex adverso Malachae in Hispania sitae, Syphacis regia, alterius jam Mauritaniae.* quippe Syphaci praeter Numidiam, in qua Cirta illi regia erat, Mauretania quoque parebat, quae deinde Bocchum regem habuit. itaque addit Plinius, *Namque diu regum nomina obtinuere, ut Bogudiana appellaretur extima,* id est Tingitana oceano propior, *itemque Bocchi, quae nunc Caesariensis. ab ea portus Magnus a spatio appellatur, civium Romanorum oppidum. amnis Mulucha, Bocchi Massaesylorumque finis:* nam inde Iubas ad Ampsagam usque amnem regnaverat.

II. *Quiza Xenitana peregrinorum oppidum, Arsennaria Latinorum, tribus millibus passuum a mari. Cartenna colonia Augusti, legio secunda:* cujus scilicet coloni, ab Augusto deducti, fuere milites legionis secundae. *item colonia ejusdem, deducta cohorte Praetoria, Gunugi. promontorium Apollinis, oppidumque ibi celeberrimum Caesarea, antea vocitatum Iol, Jubae regia, a Divo Claudio coloniae jure donata. ejusdem jussu de-*

ductis veteranis Oppidum novum : et Latio dato Tipasa : itemque a Vespasiano Imperatore eodem munere donatum Icosion. colonia Augusti Rusconiae. Rusucurium civitate honoratum a Claudio. Rusazus colonia Augusti. Salde colonia ejusdem. item Igilgili, colonia nempe Augusti, ut Rusazus et Salde. *oppidum Tucca impositum mari et flumini Ampsagae*. unde Numidia incipit.

III. *Intus colonia Augusta, quae item Succabar. item Tubusuptus. civitates Timici, Tigavae. flumina Sardabal, Aves, Nabar. gens Macurebi. flumen Vsar. gens Nabades. flumen Ampsaga abest a Caesarea*, id est a colonia Iol Jubae regia, *CCCXXII. millibus passuum. utriusque Mauritaniae longitudo decies, triginta novem mill. latitudo quadringentorum sexaginta septem mill. pass.* scriptum *Decies* Latino more, pro *Decies centena millia passuum* ac praeterea *triginta novem milliaria*, porro hic etiam Plinius oppida, quae insignia erant, enumeravit, vicos et castella praetermisit.

§. III.

Numidia

I. Latius olim excurrebat Numidia, et magna Caesariensis Mauretaniae pars Numidia erat. sed aliis finibus descriptis, Plinii aevo contractior facta. *Ab Ampsaga*, inquit, *Numidia est, Massinissae clara nomine: Metagonitis terra a Graecis appellata:* id est terra adiecta sive in provinciam a Carthaginiensibus olim redacta: nam hi, teste Polybio (1), τα Μεταγωνια της λιβυης provincias suas appellasse videntur: nisi potius Punicum vocabulum sic est interpretatus ipse Polybius, qui et urbes memorat των Μεταγωνιτων, quibus urbem Carthaginem opponit. addit Plinius, *Numidae vero appellati Nomades a permutandis pabulis, mapalia sua, hoc est domus, plaustris circumferentes. oppida Cullu, Rusicade, et ab ea quadraginta octo M. passuum in mediterraneo colonia Cirta, Sittianorum cognomine*, id est colonia Sittianorum militum, qui cum P. Sittio contra Jubam egregiam Caesari operam navarant. ea et regum domus fuerat, quumque Syphacis foret, opulentissima, ut Mela Pomponius adnotavit (2). post Cirtam colonia *alia intus Sicca, liberumque oppidum Bulla Regia.*

II. *At in ora Tacatua, Hippo Regius, flumen Armua. oppidum Tabraca civium Romanorum. Tusca fluvius Numidiae finis* ab oriente. *nec praeter marmoris Numidici ferarumque proventum aliud insigne.* vicis tamen frequentibus habitatam, non est ambigendum, quorum nomina efferre Plinius vel noluit vel non potuit.

(1) *lib. III.* c. 35.

(2) *lib. I.* c. 6.

§. IIII.

Regio Zeugitana

I. Reliquam demum Africam, quae in meridiem et orientem latius patebat, describens Plinius, *A Tusca*, inquit, *Zeugitana regio, et quae proprie vocatur Africa, est.* post Numidiam nempe, quam Tusca fluvius finit, provincia incipit Proconsularis, quae Zeugitana audit aut Zeugis (1), ipsaque est, quae proprie *Africa* dicitur, id est *terra spicarum*, unde Roma olim alebatur. *tria promontoria, Candidum, mox Apollinis adversum Sardiniae, Mercurii adversum Siciliae, in altum procurrentia, duos efficiunt sinus: Hipponensem proximum ab oppido, quod Hipponem dirutum vocant, Diarrhytum a Graecis dictum propter aquarum irrigua. cui finitimum Theudalis immune oppidum, longius a littore. dein promontorium Apollinis, et in altero sinu Vtica civium Romanorum, Catonis morte nobilis. flumen Bagrada, locus Castra Cornelia*, locus nempe, quia oppidum ipsum subsidente terra dilapsum erat: quod a Tertulliano indicari putat Harduinus (2), ubi commemoratis aliarum urbium calamitatibus, *Utinam et Africa*, inquit (3), *semel voraginem paverit, unicis Castris fraudatis expiata.* nomen his inditum a Cornelio Scipione Africano majore, quod is ea metatus esset, quum primum Africam tenuit. post haec *colonia Carthago magnae in vestigiis Carthaginis*, colonis a C. Graccho, tum a C. Caesare majore fama deductis. *colonia Maxulla. oppida Carpi, Misna, et liberum Clupea in promontorio Mercurii. item libera Curubis, Neapolis.*

II. *Mox Africae ipsius alia distinctio: Libyphoenices vocantur qui Byzacium incolunt. ita appellatur regio* CCL. M. *pass. per circuitum, fertilitatis eximiae cum centesima fruge agricolis fenus reddente terra. hic oppida libera Leptis, Adrumetum, Ruspina, Thapsus. inde Theuae, Macomades, Tacape. Sabrata contingens Syrtim minorem, ad quam Numidiae et Africae ab Ampsaga longitudo* DLXXX. *mill. passuum: latitudo, qua cognitum est,* CC. *mill. ea pars, quam Africam appellavimus, dividitur in duas provincias, veterem et novam, discretas fossa inter Africanum sequentem* sive juniorem *et reges* Massanissae filios, *Thenas usque perducta, quod oppidum a Carthagine abest* CCXVI. *mill. passuum.* nova autem provincia appellari ea pars coepta, quam Aemilianus regibus concesserat, ex quo, regibus extinctis, accessit veteri, et populi Romani finibus adjecta est.

III. *Tertius sinus dividitur in geminos, duarum Syrtium vadoso ac reciproco mari diros. ad proximam, quae minor est, a Carthagine* CCC. M.

(1) v. Tillem. *T. XVI.* p. 791.
(2) in *Emend. ad lib. V. Pl. sect.* 3.
(3) *de pallio* c. 3.

pass. Polybius tradit: ipsam centum mill. passuum aditu, ccc. mill. ambitu. et terra autem siderum observatione ad eam per deserta arenis perque serpentes iter est. excipiunt saltus repleti ferarum multitudine, et introrsus elephantorum solitudines, mox deserta vasta, ultraque Garamantes, ab Augylis dierum XII. itinere distantes. super illos fuere gens Psylli, super quos lacus Lycomedis, desertis circumdatus. Augylae ipsi medio fere spatio locantur ab Aethiopia, quae ad occidentem vergit, et a regione, quae duas Syrtes interjacet, pari utrimque intervallo.

IIII. *Sed littore inter duas Syrtes CCL. M. passuum. ibi civitas Oeensis, Cinyps fluvius ac regio,* eodem scilicet nomine designata. *oppida Neapolis, Taphra, Abrotonum, Leptis altera, quae cognominatur magna. inde Syrtis major circuitu DCXXV. aditu autem CCCXII. mill. pass. inde accolit gens Cisipadum. in intimo sinu fuit ora Lotophagôn, quos quidam Alachroas dixere, ad Philaenorum aras* fratrum Carthaginiensium, qui pro patria vivi illic obruti ferebantur: *ex arena sunt eae. ab his non procul a continente palus vasta amnem Tritonem nomenque ab eo accipit, Pallantias appellata Callimacho, et citra minorem Syrtim esse dicta: a multis vero inter duas Syrtes. promontorium, quod majorem includit, Borion appellatur. ultra Cyrenaica provincia.*

V. *Ad hunc finem Africa a fluvio Ampsaga,* atque adeo ab ipsa Numidia, *populos XXVI. habet,* (in antiquis codicibus scriptum DXVI. quod incredibile est) *qui Romano parent imperio. in his colonias VI. praeter jam supradictas, Uthinam, Tuburbin* in provincia Proconsulari: *oppida civium Romanorum XV. ex quibus in mediterraneo dicenda Azuritanum* prope Sicilibam ibidem, *Abutucense,* de quo silent Geographi, *Aboriense* in Proconsulari, *Canopicum* inter Tabracam civitatem et Bagradam fluvium, *Chilmanense* in Proconsulari post Bagradam sub Carthagine, *Simittuense* in Numidia, *Thunusidense* prope Madauram in Numidia, *Tuburnicense* minus notum, *Tynidrumense* in Numidia, *Tibigense* incerti loci, *Ucitana duo, majus et minus,* vix cognita, *Vagense* prope Cirtam. *oppidum Latinum unum Vsalitanum,* idem fortasse atque Uzala, quae in provincia Proconsulari: *oppidum stipendiarium unum Castris Corneliis,* id est ubi haec olim fuere. *oppida libera triginta: ex quibus dicen a intus Acolitanum* in Byzacena, *Acharitanum* ibidem, *Avinense, Abziritanum, Canopitanum, Melzitanum* incertorum locorum, *Materense* in Byzacena, *Salaphitanum* ignotum, aut incerti nominis, *Tusdritanum* sub Hadrumeto, *Tiphicense* ignotum, *Tunicense, Theudense, Tagastense, Tigense, Vlusubritanum, Vagense aliud, Visense, Zamense,* quae omnia in Byzacena fuisse videntur. nisi quod, Zamam Numidicam a Plinio praetermissam esse, vix crediderim, saepe a scriptoribus antiquis commemoratam: quae hic quoque locum habebat. a fluvio enim Ampsaga numerare urbes caepit, ordinem litterarum sequutus.

VI. *Ex reliquo numero non civitates tantum, sed pleraeque etiam nationes jure dici possunt: ut Natabudes, Capsitani, Misulani, Sabarbares,*

Massyli, Nisives, Vamacures, Ethini, Mussini, Marchubii, et tota Gaetulia, quae Africam ab Aethiopia dividit. hactenus quae Plinius de Africanis regionibus delibavit. singula autem, quae ipse recensuit, quaeque ab eo omissa vel postea commutata alii memorarunt, temporum ratione habita, loco exponemus.

§. V.

De rerum statu et moribus Africanorum

I. Hactenus descriptio Africae Pliniana, quae campum tibi illum latissimum exhibet, quem mox Evangelio divinitus apertum Religio sancta victoriis peragravit. sed illud nobis hoc loco non minus investigandum est, quinam per ea tempora rerum status, qui mores essent Afrorum: quo divini scilicet beneficii magnitudinem, et Christianae doctrinae vim admirabilem melius adsequamur.

Duplex hominum genus alebat id temporis Africa, utrumque a Christiana professione alienissimum, alterum delicatorum civium, alterum ferocium barbarorum. atque hi quidem fere in mediterraneo, ubi aer torridus aestuat, habitantes veteri etiamtum Numidarum Maurorumque more vivebant: quales Tiberio Principe a Tacfarinate excitos memorat Tacitus (1), qui non unius Proconsulis arma fatigarunt. horum nullus prope erat civilis cultus, nulla disciplina, nullae litterae: rara item oppida, et casae potius apud eos, quam domus: atque iidem metu magis, quam amore Romanis parebant, parati bellum inferre, si ducem haberent. quippe his praeter agrorum ubertatem et ferarum copiam vix aliae opes: ut spes omnis ditescendi in bello praedaque esset.

II. At qui maritima oppida aut non longe dissita incolebant, quorum pars maxima cives Romani erant, Romanis etiam vivebant moribus, et pacatam omnes tranquillamque vitae rationem sequebantur. multos juris scientia delectatos, auctor est Juvenalis (2) a quo *Nutricula Caussidicorum Africa* dicta est. alias litteras pauci tum colnisse videntur, domi praesertim. nam qui sibi laudis aliquid scribendo peperere, maturius se Romam contulerant, ubi major litteris honor habebatur. quorum e numero Apollinaris ille Sulpicius Carthaginiensis habendus est, quem temporum suorum fere aequalem saepe memorat Gellius. plures autem municipalium honorum cupidos et praeclaris titulis laetatos declarant veteres Inscriptiones Africanae; quae etiam imaginem quamdam Italiae in Africa repraesentant. pro Roma illic Carthago erat, quae et *Alma Urbs* dici coepta (3): quamque in regiones divisam fuisse constat (4), sive ad urbis exemplum, sive ob magnitudinem ejus: quum eam Herodianus maximam ac celeberrimam appellarit, eandemque vel opibus vel populi frequentia vel magnitudine Romae tantum

(1) *Ann. lib. II. c. 52. et alibi.*
(2) *Sat. VII. v. 148.*
(3) *in Gest. Collat. Carth. init.*
(4) *in Conc. VII. sub. Aurel. Carth. etc.*

concedere scripserit, et cum Alexandri urbe Aegyptiaca de secunda palma contendere (5). magna ibidem Proconsulis auctoritas ac dignitas habebatur, in quo Principis Romani species quaedam inesse videretur. tum Senatum ipsi quoque consilium suum nominabant: quod apud alias quoque civitates obtinebat (6). erant et civium ordines, et munera curationesque publicae, quae ambitiosorum cupiditates incenderent. *Illic,* apposite Salvianus, *omnia officiorum publicorum instrumenta, illic artium liberalium scholae, illic philosophorum officinae, cuncta denique vel linguarum gymnasia vel morum: illic quoque etiam copiae militares et regentes militiam potentes, illic honor proconsularis, illic quotidianus judex et rector, quantum ad nomen quidem Proconsul, sed quantum ad potentiam Consul: illic quoque omnes rerum dispensatores, et differentes inter se tam gradu quam vocabulo dignitates, omnium, ut ita dicam, platearum et compitorum procuratores, cuncta ferme et loca urbis et membra populi gubernantes.* at multa etiam vitiorum incitamenta: nam neque theatra neque thermae neque spectacula deerant: quamobrem Herodianus festis et deliciis emollitos Carthaginienses affirmavit (7). ut autem in Italia municipia urbem aemulari solebant, sic pleraque Africae oppida, quatenus fas esset, Carthaginem referebant. habemus Africanas Inscriptiones a Sponio et Gorio et Maffejo editas, quae non modo Latinum sermonem, sed Italicas etiam consuetudines exhibent. in his magistratus iidem et sacerdotia occurrunt, balinea, ludi, epulae, viscerationes memorantur: eadem etiam urbium ornamenta et opera publica indicari videas, templa scilicet, curias, capitolia, porticus, fornices et hujusmodi, quibus majores nostri Italiam olim exornaverant. tantam autem utriusque regionis similitudinem agnovisse Senatus Romanus videtur, qui in exsilium quosdam quum mitteret, iis Africa non minus, quam Italia interdictum ut esset, censuit (8).

II. Ceterum in Africa, si ambitio, levitas, desidia, prodigentia paria erant, licentiae nequitiaeque plus fuisse videtur. *In Afris pene omnibus,* inquit Salvianus (9), *nescio, quid non malum. si accusanda est inhumanitas, inhumani sunt: si ebrietas, ebriosi sunt: si falsitas, fallacissimi: si dolus, fraudulentissimi: si cupiditas, cupidissimi: si perfidia, perfidissimi........ quis nescit, Africam totam obscoenis libidinum taedis semper arsisse? non ut terram ac sedem hominum, sed ut Aethnam putes impudicarum fuisse flammarum..... quis non omnes omnino Afros impudicos generaliter sciat, nisi forte ad Deum conversos, id est fide ac religione mutatos?*

Augebat autem scelera superstitio, quae late dominabatur, ac omne quidem Deorum vulgus colebant Afri, quos et a se olim cultos scribebat Arnobius (10): *Venerabar,* inquit, *o coecitas! nuper simulacra modo ex*

(5) *Hist. lib. VII. c.* 6.
(6) Maff. *Hist. Dipl. p.* 38. et Grut. *sacp.*
(7) Salv. *lib. VII. de Prov.* Herod. *lib.* 7. *c.* 9.
(8) Tacit. *Ann. lib. II. c.* 50. Plin. jun. *lib. II. p.* 11.
(9) *de Provid. lib. VII.*
(10) *adv. Gent. lib.* 1. *n.* 39.

fornacibus prompta, in incudibus Deos et ex malleis fabricatos, elephantorum ossa, picturas, veternosis in arboribus taenias: si quando conspexeram lubricatum lapidem et ex olivi unguine sordidatum, tamquam inesset vis praesens, adulabar, affabar, et beneficia poscebam nihil sentiente de trunco: et eos ipsos Divos, quos esse mihi persuaseram, afficiebam contumeliis gravibus: quum eos esse credebam ligna, lapides atque ossa, aut in hujusmodi rerum habitare materia. sed *Deam Caelestem* in primis magno in honore apud Afros fuisse constat, qnam qnidam Iunonem fuisse contendnnt (11), quae veteris Carthaginis praeses habita fuerat. Uraniam eam appellat Herodianus (12), eandemque ac Lunam esse tradit. hanc Vlpianus in Deorum numero recenset, qui haeredes institui poterant (13). ab ea et vicus Carthagine erat, qui *Caelestis* dicebatur (14). ferias vero ejus Deae, qnae ibidem celebrabantnr, sic describit Augustinus (15): *Vbi*, inqnit, *et quando Sacrati Caelestis audiebant castitatis praecepta, nescimus: ante ipsam tamen delubrum, ubi simulacrum illud locatum conspiciebamus, universi undique confluentes, et ubi quisque poterat stantes, ludos, qui agebantur, intentissimi spectabamus, intuentes alternante conspectu hinc meretriciam pompam, illinc virgineam Deam: illam suppliciter adorari, ante illam turpia celebrari: non ibi pudibundos mimos, nullam verecundiorem scenicam vidimus: cuncta obscoenitatis implebantur officia.* et qnae deinceps.

Plura de hoc argumento huc congerere, nihil opus est. satis ista declarant, quanta divinae praedicationis vis fuerit, qnae animos hominum vitiis irretitos et snperstitione devinctos successu plane miro expedivit, et Christi jugum ferre docuit. quam quidem mirae propagationis celeritatem proximus eorum temporum Tertullianns praeclare his verbis expressam reliquit (16): *Hesterni*, inquit, *sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum: sola vobis relinquimus templa.* esto enim, orbem Romanum ille designet: Africam in primis, in qua ipse scribebat, quaeque serius Evangelium receperat, ob oculos ponere putandus est.

(11) Oisell. *Thes. sel. num. tab.* 48. *n.* 5.
(12) *Hist. lib. V. c.* 6.
(13) *Tit.* 23. *Qui haered. inst. poss.*
(14) Vict. *Vit. Pers. Vand. lib. I. n.* 2.
(15) *de Civit. Dei lib. II. c.* 26.
(16) *Apologet. c. xxxvii.*

CAPVT I.

DE PROVINCIIS AFRICAE ROMANAE

Quos olim Roma provinciarum rectores in Africam legabat, iis fere pro diversis aetatibus diversae regiones commissae sunt: provinciaeque ipsae non modo finibus majores minoresve, sed etiam numero primum pauciores, deinde plures fuerunt. nam e re publica demum esse visum est, si quae provincia ab uno tantum regebatur, limitibus constitutis divideretur, ex eaque duae tresve provinciae fierent. ea caussa est, ut de provinciis Africae, temporum ratione habita, separatim a nobis agendum sit.

§. I.

Provinciae Africae
a Flaviis Augg. ad Diocletianum

I. Quatuor in Africa provinciae fuisse putantur ab ipso Claudii Aug. aevo ad Constantini magni tempora: Provincia nempe Proconsularis sive Zeugitana, Numidia, Mauretania Tingitana et Mauretania Caesariensis. nam quae ad C. Caesarem Germanici filium regna fuerant, Rege Jubae filio Ptolemaeo sublato, in provincias a Claudio Aug. redacta sunt, iisque Equites Romani praepositi, qui Procuratores Caesarum appellati (1): nisi quod unus tantum aliquando utramque provinciam rexit, ut Lucejus Albinus, qui quum a Nerone Caesariensem accepisset, Tingitanae administrationem a Galba additam nactus est (2). sed tamen altero tertioque Ecclesiae saeculo duae semper provinciae habitae Mauretaniae: quarum et separatim antiquis in titulis mentionem fieri videmus (3). ac utraque sane latissime patebat, nec citra provinciae modum haberi poterat, Caesariensis in primis, in qua vetus quoque Numidia censebatur, quae Syphacis fuerat, quemadmodum superius indicavimus.

II. De Numidia Masinissae sive Massylorum, quam Ptolemaeus Novam appellat, Plinius, ut vidimus, ἁπλῶς Numidiam vocat, illud quidem constare arbitror, a C. Iulio Caesare in Populi Romani potestatem redactam esse, quod praeter alios Appianus diserte tradit (4): ac tum eam Proconsuli parere jussam Crispo Sallustio, quem Caesar illic cum imperio reliquit, ut Hirtius in fine libri de Bello Africano scripsit. at ignotum mihi adhuc est, num ea regio diu postea provinciae Proconsularis veluti pars habita fuerit, et Africae Proconsuli Legatove ejus paruerit; an ipsa provincia

(1) Tacit. *Hist. lib. I. c.* 11.
(2) id. *ibid. lib. II. c.* 58.
(3) Maff. *M. V. p.* 241. 5. 242. 1. *etc.*
(4) *lib. III. B. Civil. p.* 995.

Africae altera facta, praetorem procuratoremve suum primis etiam sub Augustis habuerit. memorat quidem Tryphoninus in Digestis Tit. V. *de legatis praestandis* Constitutionem D. Pii *ad Tuscium Fuscianum Numidiae Legatum;* quem praetoria potestate praefuisse non est ambigendum. sed ante hunc vel post hunc alios demonstrare proximos non possumus, quibus ea provincia a Senatu decreta sit, quive eo ab Augustis cum potestate legati, eandem soli administrasse videantur. nec vero Plinius provinciam nominat; et ejus idem fines satis angustos designat, ut ea tum regio infra praetoriae provinciae dignitatem habita videatur. Severi Aug. temporibus Praesidem illi rursum impositum esse, extra controversiam est. inscriptio enim nostra aetate reperta Velitris, quae XXVIIII. est earum, quas Odericius vulgavit, *Praesidem Numidiae* nobis exhibet Sex. Varium Marcellum Antonini Heliogabali patrem. vix tamen affirmare ausim, alios subinde Praesides eo missos fuisse. nam haud longo post tempore, Gordianis in Africa imperatoribus designatis, quum Capellianus procurator Mauretaniae Maximinorum partes tueretur (5), neminem in Numidia fuisse apparet: quae si tum praesidem habuisset, is profecto alterutram e duabus illis factionibus secutus esset. Numidiam porro provinciae Proconsulari primitus, non Mauretaniae Caesariensi adtributam crediderim; quod ea jam in potestate Populi Romani esset, quo tempore Mauretaniae regibus suis parebant: quorum fines augeri nihil intererat. nec sine invidia Claudius, quum Mauretanias provincias faceret, Numidiam Proconsuli ademisset, cujus imperium etiamtum a Senatu mandabatur.

III. Provincia igitur Africae tertia, dein quarta, quae et dignitate ac magnitudine prima erat, Proconsularis sive Zeugitana fuit, jam a devictae Carthaginis tempore constituta, ac sub Augustis etiam a Senatu decreta, quam praestantissimi fere consularium semper administrarunt. nec dubium est, maximam in ea Proconsulis auctoritatem fuisse. at imperium non idem semper. *Legio*, inquit Tacitus (6), *in Africa auxiliaque tutandis imperii finibus sub divo Augusto Tiberioque Principibus Proconsuli parebant. mox C. Caesar turbidus animi, ac M. Silanum obtinentem Africam metuens, ablatam Proconsuli legionem, misso in eam rem legato tradidit. aequatus inter duos beneficiorum numerus, et mixtis utriusque mandatis, discordia quaesita auctaque. pravo certamine, legatorum jus adolevit, diuturnitate officii, vel quia minoribus major aemulandi cura: Proconsulum splendidissimus quisque securitati magis quam potentiae consulebant.* pari autem potestate Legatos Augustorum etiam post Taciti aevum in Africam missos, confirmare videtur Spartianus (7), qui ea legatione functum esse Septimium Severum tradit, eum, qui deinde Augustus dictus est. fasces enim illi tribuit, et Legatum Populi Romani appellat: quae illum in Proconsulis potestate non fuisse declarant.

(5) Herodian. *lib. VII. c.* 9. Capitol. *in Maximin. c.* 19.

(6) *Hist. lib. IIII. c.* 48. et Dio *lib. LVIII.* *p.* 924. *ed. Reim.*

(7) *in Sept. Sev. c.* 2. Dio *ibid.* καὶ ἐξ ἐκείνου καὶ δεῦρο τοῦτο γίγνεται.

Ceterum Proconsuli per haec tempora totus ille Africae tractus parebat, qui Cyrenaica provincia finiebatur. nondum Byzacenae, nondum Tripolitanae provinciae nomen auditum fuerat. exstat adhuc in regione Syrtica, ubi nunc Tripolis Africana est, quae Sabrata olim aut Oea aut Leptis magna fuit: e tribus hisce urbibus nomen ductum Tripolitanae provinciae, testatur Solinus (8); exstat, inquam, arcus insignis e marmore, quem dedicasse dicitur *Ser. Cornelius Orfitus Procos. cum Uttedio Marcello Legato suo* Impp. M. Aurelio Antonino et L. Aurelio Vero. nam inscriptio prope integra eminet, quae jamdiu vulgata est (9). Thysdri etiam, quae urbs in Byzacena postea censebatur, Gordianum Proconsulem Africae fuisse, ibique jurisdictione functum accepimus (10), quo die Afrorum studio Imperator est salutatus. neque vero quispiam ex antiquis scriptoribus ante Diocletianum eas provincias se nosse ostendit, aut earum rectores memoravit: qui contra ab ea aetate plures passim occurrunt.

(8) *Polyst. c.* 27. et Isidor. *etym. c.* 5. *n.* 6.
(9) Maff. *M. V. p.* 467. 2. *alii.*
(10) Capitol. *in Gordian. c.* 7.

§. II.

Provinciae Africae

a Diocletiano ad Valentinianum III.

I. Annum quidem, quo provinciarum numerus in Africa auctus est, nemo hactenus designavit; in eoque tantum pleriqne consensere, sub Constantino Principe provincias in Africa sex fuisse. neque ego annum indicare possum, quo nova illa descriptio facta sit. at Diocletiano auctore peractam esse, prope compertum habeo. primum enim Lactantius rem haud obscure significavit, cum multa ejus scelera et machinationes complexus, haec etiam de eo tradidit (1): *Et ut omnia terrore complerentur, Provinciae quoque in frusta concisae: multi praesides, et plura officia singulis regionibus ac paene jam civitatibus incubare, item rationales multi et magistri et vicarii praefectorum.* jam veteres inscriptiones a Grutero editae (2) illud praeterea nos docent provinciam Byzacenam, quae in Proconsulari erat, *Valeriam* esse cognominatam: quam appellationem ab ejus nomine ductam existimare merito possumus; sive ipse Valerius Diocletianus indiderit, sive in ejus honorem Maximianus Herculius, qui anno CCLXXXXVII. Africam petiit, et Maurorum conatus armis repressit (3). tum senioribus Augustis etiamtum viventibus Praesidem Provinciae Byzacenae fuisse constat Q. Aradium Rufinum Proculum, qui et consulatum gessit anno CCCXVI. tabulae enim publicae exstant, quae eum a coloniis et municipiis Africanis

(1) *de mort. persec. c. VII. n.* 4.
(2) *pag.* 362. 363
(3) *Paneg. vet.* 4. *c.* 8. v. Tillem. *Hist. des Emper. T. III. p.* 36.

patronum cooptatum esse testantur (4), ejusque provinciae Praesidem omnes appellant.

II. Per ea igitur tempora, quemadmodum sub initium Breviarii sui Rufus Festus scripsit, *Per omnem Africam sex provinciae factae, ipsa, ubi Carthago est, Proconsularis, Numidia consularis, Byzacium Consularis, Tripolis et duae Mauretaniae, hoc est Sitifensis et Caesariensis Praesidales.* provinciae nempe, quae maxime fusa per Africam erat, regiones duae ademptae, Byzacium et Tripolis, nomen vetus relictum est, et qui eam regeret, Proconsul, ut antea, appellatus. Numidiae, quae tamquam provincia adjecta, Proconsuli, dein Praesidi paruerat proprio, alius datus est rector, et Consularis dictus: quo jam nomine non eum, qui Consul fuisset, sed qui provinciam administraret Proconsulari minorem, eandemque iis majorem, quae Correctoribus et Praesidibus suberant (5), appellare mos fuit. propterea is deinde honor provinciae Numidiae habitus, ut prima semper post Proconsularem censeretur. quin etiam inter Episcopos ordo ille servatus est, et in Synodo Carthaginiensi, tamquam *ex paternis definitionibus*, Bonifacii Primatis decreto praescriptus (6). ceterum et provincia Byzacena pari honore aucta, ut a Consulari regeretur. ea inter Proconsularem et Tripolitanam sita erat, nomenque illi ab oppido Byzacia impositum videtur, quamquam metropolis ejus Hadrumetum fuit. Arzuges autem in barbarorum numero habitos una cum Tripolitana finitimos habebat: quorum regio sub cura erat Ducis Limitis Tripolitani. at quarta provincia regio illa facta est, quae inter duas Syrtes mari adluitur, *Subventana* Orosio teste dicta, itemque Tripolitana appellata a tribus urbibus, Oea, Sabrata, Lepti magna, quae in eo tractu clarissimae, eaedemque coloniae erant. hanc qui regeret Praeses designatus, quem infra consularem dignitate esse diximus. sic quatuor provinciae evasere, quae una quandoque fuerant.

III. Finitima Numidiae ad occidentem Mauretania Caesariensis, quae et *Numidia vetus* dicta, inter Savum et Ampsagam fluvios patebat, alia provincia facta, et a Sitifi oppido primario Sitifensis dicta: in qua et oppidum cognomine *Maximianum* agnoscit Ludovicus Pinius (7); quod quidem, si certi nominis est, ea confirmat, quae de auctore novarum provinciarum superius attigimus. quae demum regio ad Malvanam usque pertinebat, sexta provincia fuit, et veteri nomine Mauretania Caesariensis sola appellari coepta: proque Procuratore Caesaris Praesidem tam ipsa quam Sitifensis receperunt.

IIII. At quaeres, quid de Tingitana factum sit, quam Plinius in Africa primam numerabat? ea eodem, ut arbitror, tempore a ceteris Africae provinciis avulsa est, et Hispaniae adtributa. certe ante Theodosii aevum id contigisse fatendum est: quum Rufus Festus in Breviario suo, quod Valentiniano I. Aug. dicavit, diserte sic scribat: *Trans freta etiam in solo*

(4) Grut. *ibid.*
(5) Pancir. *in Not. Imp. Or. c.* 155
(6) Hard. *Conc. T. II. p.* 1076.
(7) *in Opt. Milev. p. xxvI. ed. Antuerp.*

terrae Africanae provincia Hispaniae est, quae Tingitana Mauritania cognominatur. quam qnidem traductionem, quasi praeludens, ipse olim designaverat Augustus, qui Zilim coloniam, regum ditioni exemptam, jura Baeticam petere jusserat (8). nec sane Tingitanis, quos exiguum ab Hispania fretum disjungeret, incommodi quidquam afferebatur. quum antem ante Valentinianum I. Tingitanam Hispaniensem provinciam fuisse videamus, id omnino ex ejus constitutione factum dixerim, qui primus sex in Africa provincias esse voluit. in hanc me sententiam maxime adducit inscriptio quaedam honoraria L. Aradii, in qua sex quidem provinciae, quas recensuimus, memorantur, at de Tingitana mentio nulla fit. ea est hujusmodi (9):

L · ARADIO · VAL · PROCVLO · V · C
AVGVRI
PONTIFICI · MAIORI
QVINDECIMVIRO · SACRIS · FACIVNDIS
PONTIFICI · FLAVIALI
PRAETORI · TVTELARI
LEGATO · PRO · PRAETORE · PROVINCIAE · NVMIDIAE
PERAEQVATORI · CENSVS · PROVINCIAE . GALLECIAE
PRAESIDI · PROVINCIAE · BYZACENAE
CONSVLARI · PROVINCIAE · EVROPAE · ET · THRACIAE
CONSVLARI · PROVINCIAE · SICILIAE
COMITI · ORDINIS · SECVNDI
COMITI · ORDINIS · PRIMI
PROCONSVLI · PROVINCIAE · AFRICAE . VICE
SACRA · IVDICANTI · EIDEMQ · IVDICIO · SACRO
PER · PROVINCIAS · PROCONSVLAREM · ET
NVMIDIAM · BYZACIVM · AC · TRIPOLIM
ITEMQVE · MAVRETANIAM · SITIFENSEM · ET
CAESARIENSEM
PERFVNCTO · OFFICIO · PRAEFECTVRAE · PRAETORIO
COMITI · ITERVM · ORDINIS · PRIMI . INTRA · PALATIVM
PRAEFECTO . VRBI · VICE · SACRA . ITERVM · IVDICANTI
CONSVLI · ORDINARIO

HVIC · CORPVS · SVARIORVM · ET · CONFECTVRARIORVM
AVCTORIBVS · PATRONIS · EX · AFFECTV · EIDEM · IVRE · DEBITO
STATVAM · PATRONO · DIGNO · PONENDAM · CVRAVIT

Consul fuit L. Aradius anno CCCXXXX. cum Acyndino, quum jam Constans et Constantius Constantini magni filii imperium administrarent. sed ille sub parente eorum honoribus plerisque functus esse dicendus est: idemque Q. Aradii, quem superius memoravimus, non immerito filius haberi possit, quum istius consulatus pertineat ad annum CCCXVI. quare eodem aevo et Tingitana provincia una e septem Hispaniae provinciis fuit, et reliqua Africa sex habuit provincias.

V. Illud tantum paullo obscurius est, num quo tempore facta partitio est, eodem et dignitas cuique sua tributa fuerit, ut jam tum prima Proconsularis esset, duae aliae Consulares, tres Praesidales, sicut Rufus Festus affirmavit: an serius is honoris gradus sit redditus, quemadmodum in No-

(8) v. *praef.* §. 1. n. 2. et Isidor. *Etymol.* c. 4. n. 29. (9) Grut. p. 361. n. 1.

titia Imperii occidentalis eas ordinatas videmus. nam Q. ille Aradius non *Consularis*, sed *Praeses* provinciae Byzacenae appellatur, et L. Aradius *Legatus pro Praetore* provinciae Numidiae, itemque *Praeses* provinciae Byzacenae, non *Consularis*. sed quia provinciae arbitrio Augustorum rectores accipere solebant, modo majori, modo minori auctoritate praeditos: nam et de Severo Alexandro scripsit Lampridius (10) *Provincias praetorias Praesidiales plurimas fecit;* idcirco fieri potuit, ut jam Consulares provinciae essent, quae Aradios postea Praesides habnerunt, et ut Legatum pro Praetore acciperet, qnam antea Consnlaris administrasset: tum nt iis qni sncciederent, rursns Consulares designarentur (11).

VI. Vernm, esto id in ambiguo sit, de numero constat, quem nobis antiquae in primis Conciliornm subscriptiones repraesentant. nisi qnod veterem provinciarum administrationem tnrbavit ac sustnlit iufusus in Africam Vandalorum exercitus, qui primnm anno CCCCXXVII. Genserico duce Mauretaniam occupavit: qnam Valentiniannu III. sancita demnm pace, hosti relinqnere coactus est. nec tamen reliqna Africa din tnta, ant in Angusti potestate fuit. nam Geusericus biennio post, violatis conditionibus, Carthaginem cepit, lateqne per omnes provincias dominatus est: quae omnia in Prosperi Chronico atque in Idacii ac Marcellini fastis consignata sunt.

(10) *in Sev. Alex. c.* 24.

(11) sic Tripolitana, quae Praesidalis erat, sub Valentin. Consularis dicitur. Cod. Theod. *T.* 11. *p.* 575.

§. III.

Provinciae Africae

a Valentiniano III. ad Iustinianum I.

I. Capta Carthagine, qnnm progressus in orientalem partem Genserici exercitus Proconsulari provinciae incubaret, de pace rnrsnm inter regem et Valentiniannm actum est, anno CCCCXXXXII. et *Africa*, inquit Prosper et Cassiodorins, *certis spatiis inter utrumque divisa.* recepit scilicet Augustus praeter Tingitanam, quae jam Hispaniensis provincia erat, Caesariensem etiam et Sitifensem Mauretaniam, ac Nnmidiae item partem: reliqua Tyranno cessere. hnc pertinet Victoris Vitensis locus de Genserico (1): *Disponens quoque*, inqnit, *singulas quasque provincias, sibi Byzacenam, Abaritanam atque Gaetuliam et partem Numidiae reservavit: exercitui vero Zeugitanam vel Proconsularem funiculo haereditatis divisit: Valentiniano adhuc Imperatore reliquas licet jam exterminatas provincias defendente.* verum quaeres, qnae sint novae illae provinciae, Abaritana et Gaetnlia? eas equidem a Genserico primnm descriptas crediderim, qni sane *singulas disposuisse* dicitnr: locum autem earnm in mediterraneo meridiem versus, in finibus provinciae Zeugitanae quaerendum pnto: in qua oppidum Abaritanorum fuisse, alibi ostendemus: et ubi Gae-

(1) *Hist. Pers. Vand. lib. I. c.* 4. v. Isidor. *Etymol. c.* 5. *n.* 8.

tuliam quoquo agnoscere licet: uam Gaetuli ab Atlante egressi, novas sibi in dies stationes parabant; ut Mauretania et Numidia post se relictis, orientem versus ad Garamantas usque pervenerint: quod jam Strabonis aetate contigerat (2). quid si tum Gaetulos in Tripolitana sitos dicamus? nam eam provinciam Victor non appellat; nec credibile est, eandem Valentiniano esse concessam, quae tantum a Mauretania distaret. Valentinianus ipse in lege novella *de praediis pistoriis*, quae edita est anno CCCCLI. quum fessis Africae rebus succurreret, de Tripolitana non meminit, sed provincias tantum recensuit tres, Sitifensem, Caesariensem et Numidiam.

II. Ceterum pax denuo in Africa parum diuturna fuit, nec ultra annum XIII. cum Romanis servata est. nam anno CCCCLV. vix audita Valentiniani caede, pactum foedus obliti, rursum Vandali Africam totam in potestatem suam redegerunt. *Post cujus obitum*, inquit Victor (3), *totius Africae ambitum obtinuit* Gensericus. atque ab eo tempore Afri usque ad Iustinianum I. Vandalorum dominatum ferre coacti, frustra Augustorum opem implorarunt. caesi quidem Vandali sub Avito Aug. a Ricimere, classis adversus eos adornata a Majoriano, magni exercitus a Leone instructi, expeditio suscepta ab Anthemio: sed provinciae illae numquam receptae sunt. Zeno ipse, qui Vandalos coërcere maxime vellet, id unum a Genserico tandem impetrare potuit, ut Africa contentus, nihil postea hostile in Romanos aggrederetur. de his fuse Procopius (4).

III. Gensericum interea anno regni ejus XXXVIII. mors sustulit: cui anno Christiano CCCCLXXVII. Hunericus filius successit. hunc anno CCCCLXXXIIII. excepit Guntabundus. quartus regnavit Trasamundus ab anno CCCCLXXXXVI. quintus Hildericus ab anno DXXIII. sextus qui et ultimus regum Vandalorum, Gilimer ab anno DXXX. ad DXXXIIII. quo anno a Belisario captus est. is idem annus fuit centesimus septimus, ex quo Vandali in Africam irruperant, et a capta Carthagine nonagesimus quintus.

(2) *Geogr. lib. XVII. sub fin. v. hic praef. §. III. n. 6.*
(3) *ibid. n. 15.*
(4) *de Bello Vandal. lib. I.*

§. IIII.

Provinciae Africae

a Iustiniano I. ad tyrannidem Saracenorum

I. Africa in libertatem vindicata, et Romano Imperio reddita, illico Iustinianus de ea ordinanda cogitavit, constitutionemque edidit, qua eam in pristinum statum revocaret (1). fuerant olim provinciae Africae sub dispositione Praefecti Praetorio Italiae: sed aliquando etiam Praefectum habuerant proprium: sub Valentiniano scilicet primo; nam vetus inscriptio exstat (2), quae statuam dicatam testatur Sex. Petronio Probo *Praefecto*

(1) *Cod. lib. I. tit. 27.*
(2) *Mur. Thes. T. III. p. 10. n. 1.*

Praetorio per Illyricum, Italiam et Africam, quo anno Consules fuere Valens VI. et Valentinianus Augg. id est CCCLXXVIII. quem item Probum aliae inscriptiones *Quater Praefectum Praetorio* enunciant (3), quod deinde etiam Praefectus Praetorio Galliarum factus esset. enimvero Iustinianus, ut omnia Africae redderet, quae amiserat, ne hoc quidem honore carere voluit. *Per hanc*, inquit (4), *divinam legem sancimus, ut omnis Africa, quam nobis Deus praestitit, per ipsius misericordiam optimum suscipiat ordinem, et propriam habeat Praefecturam: ut sicut Oriens atque Illyricum, ita et Africa Praetoriana maxima potestate specialiter a nostra clementia decoretur. cujus sedem jubemus esse Carthaginem, et in praefatione publicarum chartarum praefecturis aliis ejus nomen adjungi: quam nunc tuam excellentiam gubernare decernimus.* is erat Archelaus, quem primum Iustinianus Praefectum Praetorio Africae constituerat, ut summam judiciorum teneret. nam hoc praecipuum amplissimae illius praefecturae officium erat.

II. Provincias deinde sic ordinari praecipit: *Et ab ea*, (excellentia tua) *auxiliante Deo, septem Provinciae cum suis judicibus disponantur: quarum* Tingi, *et quae Proconsularis antea vocabatur,* Carthago *et* Byzacium *ac* Tripolis *Rectores habeant Consulares: reliquae vero, id est* Numidia *et* Mauretania *et* Sardinia *a Praesidibus cum Dei auxilio gubernentur.* itaque septem provinciae a Iustiniano sic constitutae, ut Tingitana rursum ad Africam pertineret, Mauretania Caesariensis et Sitifensis, una provincia fieret, septima demum Sardinia accederet, quae sub dispositione Praefecti Praetorio Italiae antea fuerat: ceterae, contracto tantum nomine, eaedem essent: *Tingi* enim dicta, quae Tingitana aut Tingitania dicebatur, *Carthago*, quae Carthaginiensis aut Proconsularis aut Zeugitana provincia erat, *Byzacium*, quae Byzacena, *Tripolis*, quae Tripolitana antea appellata.

III. Curae autem fuit Iustiniano, ut iidem Africae Romanae fines essent, qui primitus fuerant: eaque de caussa duces distribuit, qui amissa recuperarent. *Et omnes*, inquit, *diligenter pro commissis suae custodiae provinciis invigilent, et ab omni hostium incursione subjectos nostros tueantur illaesos, et festinent die nocteque Dei invocando auxilium, et diligenter laborando, usque ad illos fines provincias Africanas extendere, ubi ante invasionem Vandalorum et Maurorum Respublica Romana fines habuerat, et ubi custodes antiqui servabant: sicut ex clausuris et burgis ostenditur. maxime autem civitates, quae prope clausuras et fines antea tenebantur, quum essent sub Romano Imperio constitutae, auxiliante divina misericordia quum hostes per partes expelluntur, festinent comprehendere atque munire: et in illis duces et milites per partes accedant, ubi antea fines et clausurae provinciarum erant, quando integrae Africanae servabantur sub Romano Imperio provinciae* (5).

(3) Grut. p. 450. n. 2. 4. etc.
(4) *ibid.* §. 1.
(5) *ibid. lib. II.* §. 4.

IIII. Sic pacata Africa, termiuatiqoe provinciarum fines: quos et servasse Iustiniaoi successores videntnr usqoe ad anonm DCXXXXVII. quo Saracenorum exercitus Africam iovasit. nam militum seditionem, qui Stozam regem dixerant, facilo compressit Belisarius: nec Mauri, quos Romanus exercitns qnandoque sensit infestos, excursiooibus et latrociniis cooteoti, quidqoam immutarunt. Heraclius autem Praefectus Praetorio, qui anno DCX. adversus Phocam Aug. rebellavit, uihil Africae uocuit, quod idem Imperio potitus est. ultimus Praefectorum Gregorios Patricius, qui Constante Imperatore, anno DCXXXXVI. Africae domioari coepit, anuo sequenti ab ipsis Saraceois, qui Africam occuparunt, victus fugatusqoe est.

V. Exiode uihil in Africa quietom, uihil ordinatum aut tutom fnisse videtnr. eodem rediisse Saracenos anno DCLXVIIII. et vim magnam Afrorum in servitutem abduxisse, in Graecorum Anoalibos legimus. constat item, Amiram sive Praefectum Saraceoorum seculo VIIII. Africae imperitasse: ad quem Euphemius Siciliae tyrannus confugit, ut ab eo, pactiooe Siciliae facta, Imperator salutaretur (6). saeculo XI. primariam urbem Carthaginem jamdiu collapsam ac sioe civibus, sioe hooore jacuisse scimus (7). iu Mauretania tantum otii aliquid et securitatis populo Christiano fuisse videtur, qnod illic regnaret Aozir nomini uostro minime iofestus, qui et litteras ad Gregoriom VII. Poutificem maximum miserat, nt Episcopum Hippoueosibus impetraret. huic Gregorius morem gessit, praeconium ei impertitus, quod Christianos captivos partim dimisisset, partim se dimissurum polliceretor (8). quumqne ei Romauos quosdam commendasset, quos illuc Albericus et Cincios primores urbis mittebant, ea usns clausola est: *Atque ut ipse Deus in sinum beatitudinis sanctissimi patriarchae Abrahae post longa hujus vitae spatia te perducat, corde et ore rogamus:* in quibus, uti vides, ita orationem temperavit, ut uec homioem a religiooe uostra alienum offenderet, et recte ipse atque ex animi seutentia loqneretor.

VI. Expeditionem eodem saeculo a Christianis adversus Saraceoos Africaoos susceptam, cujus auctor io primis fuerat Victor Pontifex maximus, tradit Barooius (9): eaqne felix saue fuit et victoriis iosignis: quae Pisanorum maxime et Ianuensium armis ac virtute partae suut. ceterom mansere barbari fioibos suis, et uous jam popolus, uoa veluti uatio omoes Africani sunt: ut nulla apud eos Romaoae disciplioae, nulla veterum institutorum vestigia reperiantur.

(6) Baron. *ad an.* 827. ex *Einhardo lib. IIII. c.* 10.
(7) idem *an.* 1063. *ex ep. Leon. VIIII.*
(8) apud Hard. *Conc. T. VI. p.* 1342.
(9) *ad an.* 1087.

CAPVT II.

DE PROVINCIIS ECCLESIAE AFRICANAE

Delibata hactenus veteri civilium provinciarum distributione, quam ipsa Ecclesia in sacrae jurisdictionis limitibus designandis fere sequuta est; gradum facimus ad provincias Ecclesiae Africanae et proprios cujusque Episcopatus enumerandos: ut quantum fieri potest, viam annales nostros percurrentibus aptam directamque muniamus.

§. I.

Provinciae Ecclesiae Africanae

Saeculo II. et III.

I. Ignota omnino initia sunt Episcopatus in Africa. thronum tamen primum non modo dignitate, sed etiam vetustate Carthaginiensem fuisse, non est ambigendum. nam et quae primae in Africa celebratae sunt Synodi, eas Carthaginienses Episcopi coëgisse dicuntur. binas sane memorat Cyprianus, quarum alteram diserte ab Agrippino convocatam ait (1), alteram *jampridem* actam indicat (2), esto Episcopum non designet. sed dubitare quis possit, num Cypriani aetate una etiamtum provincia tota Africae Ecclesia esset, an plures jam censerentur. nam idem aliquando sic scribit, ut plures quidem Imperii provincias agnoscere, at unam Ecclesiae tribuere videatur. *Latius*, inquit, (3) *fusa est nostra provincia; habet enim Numidiam et Mauritaniam sibi cohaerentes.* nec vero ille Primates provinciarum, quorum tam frequens postea in Afrorum scriptis mentio est, usquam memoravit: ut ejus aevo una provincia, et unus Primas fuisse credi possit.

II. Atqui nos Cyprianus idem alibi docet, alteram Africae provinciam vel ante Episcopatum suum Numidiam esse habitam. quippe in epistola ad Cornelium Pont. max. de Privato haeretico haec habet (4): *Per Felicianum autem significavi tibi, frater, venisse Carthaginem Privatum veterem haereticum in Lambesitana colonia ante multos fere annos ob multa et gravia delicta nonaginta Episcoporum sententia condemnatum.* ea antem colonia, quo tot Episcopi convenisse dicuntur, in media Numidia sita erat, ultra Cirtam nempe ad meridiem, et a Carthagine magno locorum intervallo disjuncta. quare ab ipso Episcopo provinciae illius Primate sive seniore Episcoporum, ut Africae mos fuit, Synodum illam Numidicam

(1) *epist.* 71. *sub fin.*
(2) *epist.* 66.
(3) *epist.* 45.
(4) *epist.* 45.

convocatam esse, manifestum est. rem magis confirmat Cyprianus, qui eundem Privatum rursus a Donato Episcopo Carthaginiensi, atque adeo extra illam Synodum perculsum scribit: nam haec etiam adjecit: *Antecessorum etiam nostrorum, quod et vestram conscientiam non latet, Fabiani et Donati litteris severissime notatum.* itaque quum Cyprianus *latius fusam esse provinciam suam* dixit, totam Africae Dioecesim designare voluit, cujus provincias singulas Primates tamquam Metropolitani regebant, ipse tamquam Exarchus universas moderabatur.

II. Vt autem Numidia jamtum altera Africanae Ecclesiae provincia erat, sic tertiam fuisse Mauretaniam putare debemus, quam idem Cyprianus tertio loco nominat, quamque in ipso Concilii Carthaginiensis III. exordio cieri videmus. haec enim praefatio est (5): *Quum in unum Carthagini convenissent Kalendis Septembris Episcopi plurimi ex provincia Africa, Numidia, Mauritania cum presbyteris et diaconibus etc.* celebratum id concilium est anno CCLV. in quo sententiam inter alios suam dixere Episcopi quoque Mauretaniae Tingitanae Rogatianus a Nova et Paullus ab Obba, quem Augustinus (6) *a Bobba* vocat, sive Babba Iulia Tingitaniae. quamobrem non immerito statuas, utramque Mauretaniam unam tantum Ecclesiae Africanae provinciam tum fuisse: tertiam scilicet; nam post Proconsularem Numidia semper honore proxima habita est.

III. Sed hic provinciarum ordo erat saeculo III. an idem obtineret priore vertente, difficilis quaestio est. nec de provincia Mauretania certi quidquam proferre licet. de Proconsulari ac Numidia indicium a Cypriano habemus. ipse enim auctor est, Episcopos Carthaginem ad Concilium vocatos ab Agrippino, *qui illo tempore in provincia Africa et Numidia Ecclesiam Domini gubernabant* (7). ac Cyprianus quidem, ut jam monuimus, actum illud Concilium ait longa aetate ac multis ante annis, quam ipse illam Ecclesiam administrare coepisset. verum quia eo loco Cyprianus argumenta a vetustate quaerebat, minus compertum est, an eam ipse antiquitatem agnosceret, quam verbis illis significare videbatur. nam si Agrippinus Episcopatum anno CC. cepisset, longam tamen aetatem et multos annos elapsos dicere poterat Cyprianus, qui ea scribebat anno CCLIIII. nisi quod Tertullianus, anno ipso ducentesimo scribens, decretum illud Agrippini de haereticis ad Ecclesiam venientibus iterum baptizandis, quod Cyprianus referebat, cognitum sibi esse demonstrat, atque adeo Agrippinum saeculo II. functum Episcopatu declarat. nam quum dixisset (8), *Vnus omnino baptismus est nobis tam ex Domini evangelio, quam ex Apostoli litteris; quoniam unus Deus et unum baptisma, et una Ecclesia in caelis:* adjecit protinus, *sed circa haereticos sane quid custodiendum sit, digne quis retractet? ad nos enim editum est:* quasi diceret, in Africa jam, quid praestandum sit, ab Agrippini Concilio praescriptum est. hic certe sensus verborum illorum esse videtur, nec qui alio detorquent, probari possunt.

(5) apud Hard. *T. I. Conc. p.* 159.
(6) *de Bapt. contra Donat. lib. VII. c.* 11.
(7) *epist.* 71.
(8) *de Baptism. c. XV.*

§. II.

Provinciae Ecclesiae Africanae
Saeculo IIII. et V.

I. Anno CCCXIIII. quo Synodus Arelatensis celebrata est, et Donatistarum furor compressus, Constantinus Aug. Proconsuli Africae scripserat his verbis (1). *Injungendum solertiae tuae duxi, ut mox has litteras meas acceperis, cum Caecilianum supradictum cum aliquibus ex his, quos ipse delegerit; sed et de Byzacenae, Tripolitanae, Numidiarum et Mauritaniarum provinciis singuli quique aliquantos ex suis perducere debebunt, quos ipsi putaverint eligendos: sed etiam, qui contra eundem Caecilianum dissentiunt, data evectione publica, per Africam et Mauritaniam inde ad Hispanias brevi tractu facias navigare.* suos ergo Episcopos Byzacena etiam provincia, suos Tripolitana jam habebat: quarum, ut opinor, Primates sive Seniores non minus, quam Caecilianus, Episcopos alios eligere jubebantur, quos secum adducerent ad Concilium. et adductos quidem a Caeciliano Episcopo Carthaginiensi *Lampadium Episcopum de civitate Vtina, Victorem Episcopum de civitate Vtica, Faustum Episcopum de civitate Tuburbitana*, subscriptiones concilii illius testantur: sed quos adduxerit *Fortunatus Episcopus de civitate Caesariensi, provincia Mauritania*, quos *Victor Episcopus de civitate Legisvolumini, provincia Numidia*, quos item alii, qui Principis voluntati obsequnti esse putandi sunt, indicare non possumus, deperditis jamdiu laterculis, in quibus eorum nomina legebantur.

II. Rursum anno CCCXXXVIII. Concilium vocavit Carthaginem Gratus Episcopus *ex diversis provinciis Africanis* (2), in eoque sententiam Episcopos dixisse apparet, quorum alii ex provincia Mauretania erant, ut Crescens Vagensis, alii ex Numidia, ut Romulus Tebestensis, alii ex Byzacena, ut Abundantius Hadrumetinus. qoin hic de Concilio etiam mentionem intulit, quod in provincia sua jam celebraverat: *In nostro*, inquit (3) *Concilio statutum est, ut non liceat Clericis foenerari. quod si etiam sanctitati tuae* (id est Grato Primati Carthaginiensi) *et huic Concilio videatur, praesenti placito designetur.* ceterum desunt subscriptiones Episcoporum, quae rem luculentius demonstrent, et Episcopum quoque aliquem ex Tripolitana provincia adfuisse doceant, in qua Episcopatus multo pauciores, quam in ceteris fuisse scimus (4). nam ad Sitifensem provinciam quod attinet, ea ad hoc Concilium legatos suos mittere nullos potuit: nondum enim Primatem habuerat, et Episcopi ejus qua Numidiae qua Mauretaniae Primati parebant.

(1) apud Hard. *T. I. Conc. p.* 260.
(2) *ibid. p.* 685.
(3) *ibid. p.* 688. *can.* 13.
(4) *capit.* 2. *Conc. Carth. II. ibid. p.* 961.

IIII. At saeculo quarto vertente haec quoque provincia exstitit, et sex demum Ecclesiae Africanae provinciae esse coeperunt. quippe anno CCCLXXXXVII. Concilio Carthaginiensi, quod tertium sub Aurelio fuit, inter reliquos Patres adfuere *Honoratus et Vrbanus Episcopi, Legati provinciae Mauritaniae Sitifensis* (5). tum canones ipsi, quos Concilium illud sanxit, mittuntur *Dilectissimis fratribus et coepiscopis diversarum provinciarum Numidiae, Mauritaniae utriusque, Tripolis et provinciae Proconsularis* (6). tu vero cave, putes, ubi scriptum est *Mauritaniae utriusque*, provinciam Tingitanam pro Sitifensi esse designatam. duae quidem Mauretaniae primitus Tingitana et Caesariensis intelligebantur: sed a saeculi IIII. initio, si Romani Imperii provincias spectes, Tingitana, ut jam ostendimus, ad Hispaniam pertinebat (7): si Ecclesiae Africanae provincias requiras, Caesariensi veluti pars conjuncta, Primati ejusdem obsequebatur. quae caussa fuit, cur Siricius Pontifex maximus in epistola ad Himerium Episcopum Tarraconensem, quum ceteras Hispaniae provincias enumeraret, ad quas Responsa sua mitti cupiebat, Tingitanam praeteriret (8). idcirco etiam in Conciliis Africae, quae a Primate Carthaginiensi cogebantur, nulla est usquam Legatorum mentio, quos Tingitana provincia misisset: quum jam in Concilio II. Aureliano praescriptum esset, ut omnes provinciae, quae primas sedes haberent, de conciliis suis binos aut quotquot elegissent, Legatos mitterent (9): a Tripolitana autem propter inopiam Episcoporum Episcopus unus veniret (10). propterea demum celeberrima illa *Notitia provinciarum et civitatum Africae*, quae nomina nobis servavit Episcoporum, quos Rex Hunericus Carthaginem vocatos propter Catholicam professionem exsilio affecit, uno in laterculo, eodemque sub titulo, qui est, *Nomina Episcoporum Mauritaniae Caesariensis*, tam hujus, quam Tingitaniae Episcopos recenset, e qua profecto erant Donatus Subbaritanus, Eusebius Obbitanus, Idonius Rusaditanus, alii (11).

IIII. Regebant autem singulas Ecclesiae Africanae provincias singuli Primates; quo nomine appellati, non ut alibi urbium Metropoleon Episcopi, sed qui honorem Episcopatus ante alios essent consequuti in sua quisque provincia (12): quamobrem urbes saepe ignobiles Primatem habuere, cujus auctoritate Concilia in primis indicebantur, et Episcoporum controversiae dirimebantur. una Carthago non seniorem aliquem e provincia, sed Episcopum suum semper habuit Primatem, eundemque ceterorum Exarchum, nulla aetatis ejus habita ratione: quod et urbis dignitas et ipsa Ecclesiae Africanae origo requirebat.

V. Hic tandem, quia nunquam in Africa plures Episcopi fuere, quam saeculo quarto et quinto, enumerandas mihi Ecclesias censeo, quas in sin-

(5) *ibid. p.* 968. v. *ann.* 393. *n. VI.*
(6) *ibid. p.* 969.
(7) v. *cap. I.* §. *II. n.* 4.
(8) apud Hard. *ibid. p.* 851.
(9) *ibid. p.* 961. *can.* 2.
(10) *ibid. et in Cod. Eccl. Afr. n.* 14.
(11) v. Ruinart. *in Vict. Vit. post Hist. Pers. Vand.*
(12) v. Noris. *Hist. Donat. P. I. c.* 1.

gulis provinciis aliquando exstitisse constet. infra enim, quum de Episcopis quaeremus, qui singulis Ecclesiis praefuerint, Episcopatuum omnium seriem ex ordine litterarum digestum sumus: quo facilius eum quisque invenire possit, quem maxime nosse cupiat.

Ecclesiae Provinciae Proconsularis

CARTHAGINIENSIS
Abaritana
Abbenzensis
Abbir majoris
Abbir Germanicianae, quae et Abbiritana
Abitinensis
Aborensis
Absasallensis
Abtngnensis, quae et Autumnitana et Aptungensis
Abziritensis, quae et Abderitana
Advocatensis
Agensis
Altiburiensis
Amaderensis, quae et Ammederensis
Aptucensis
Araditana
Arensis
Assuritana
Ausafensis
Ausanensis
Auznagensis, quae et Ausnagensis gemina
Belalitensis
Bencennensis
Beneventensis
Biltensis
Binensis
Bocconiensis
Bollitana
Bonustensis
Bosetensis
Bullameusis
Bulleusis, quae et Vullensis
Bulleriensis
Bulnensis
Buritana
Buslacena
Buzensis
Caeciritana
Calibiensis
Canapitanorum
Carpitana
Cefalensis
Celerinensis
Cellensis
Cerbalitana
Cibalianensis
Cicsitana
Cilibiensis
Cincaritana
Ciumtuturbi
Clypiensis
Cubdensis
Culcitanensis, quae et Culsitana et Culusitana
Curbitana, quae et Curubitana
Drusilianensis
Duassenemsalitana
Egugensis
Furnitana
Giggensis, quae et Ziggensis
Girbensis, quae et Gerbensis et Gervitana
Gisipensis, quae et Gisipensium majorum
Giutrambacariensis
Gorensis

Gunelensis, quae et Gunelmensis
Hiltensis
Hipponis Diarrhyti, quae et Hipponensinm Zaritorum et Hipzaritensis
Honoriopolitana
Horreensis
Labdensis, quae et Lapdensis
Lacubazensis
Larensis sive Larium
Libertinensis
Mattianensis
Maxulitana
Meglapolitana
Melzitana, quae et Melsitana
Membresitana, quae et Membressitana et Membrositana
Memblositana
Migirpensis
Missuensis
Mizigitana
Mullitana
Mustitana
Muzuensis
Naraggaritana, quae et Nagargaritana
Neapolitana
Nigreusium majorum
Numnulitana
Ofitana
Pappianensis, quae et Pupianensis
Pertuseusis
Pisiteusis
Pupitana, quae et Puppitana
Rucumensis, quae et Rucummae et Racumae
Rusuceusis
Sajensis
Scilitana
Sebargensis
Sedelensis
Semiuensis
Senempsalensis
Sicceneusis
Siccensis
Sicilibbensis, quae et Sicilippae et Siciliae
Simidiceusis
Siminensis, quae et Simminiensis
Simingitana
Simitteusis, quae et Semitensis
Sinuarensis, quae et Sinuaritensis
Succubensis
Suensis
Taborensis
Tabucensis
Taciae Montanensis, quae et Tatiae Mont. et Tacanensis
Tadduensis
Tagaratensis
Tagorensis
Talborensis
Tauracinae
Teleusis
Theudalensis, quae et Theodalensis et Eudalensis
Thinisae, quae et Tinuiseusis
Thuccaboris, quae et Tuccaborensis
Tibursicensis Burae
Tigimmeusis
Timedensis, quae et Timidae Regiae
Tisilitensis, quae et Tisilensis
Titulitana
Tounouensis, quae et Tennoneusis
Trisipellis
Tuburbitanorum majorum
Tuburbitanorum minorum
Tuburuicensis
Tuccae, quae et Togiae
Tulanensis
Tunejensis, quae et Tuniensis
Turuziteusis
Tyziceusis

Vagrantensis
Vallitana
Vaziensis, quae et Vazuensis
Verensis
Vicoturrensis
Villa magnensis
Visicensis
Ucitana
Uculensis
Urcitana, quae et Uracitana et Uricitana
Uticensis
Utimmirensis
Utinensis
Utzipparitana, quae et Uzipparitana
Uzalensis, quae et Uzialensis
Zarnensis
Zemtensis, quae et Zentensis
Zurensis

Ecclesiae Provinciae Numidiae

Ajurensis, quae et Azurensis
Amporensis
Anguiensis
Apissanensis
Aquae Nobensis
Aquarum Tibilitanarum
Aquensis
Arsicaritana
Assabensis
Augurensis
Ausucurrensis
Babrensis
Badiensis
Bagajensis
Bajanensis, quae et Vajanensis
Bajesitana
Bamaccorensis, quae et Vamaccorensis
Bazaritana, quae et Vazaritana
Belesasensis
Berceritana, quae et Becerritana
Bofetana
Bucconiensis
Buffadensis
Bullensium Regiorum
Burcensis, quae et Burgensis
Caelianensis
Caesariensis
Calamensis
Casarum Nigrensium
Casarum Silvanae
Casasmedianensis
Casensis Bastalensis
Casensis Calamensis
Castellana
Castelli Sinitensis
Castelli Titulitani
Castrorum Galbae
Cataquensis
Cemeriniana
Centenariensis
Centuriensis
Centurionensis, quae et Centurianensis
Ceramussensis
Circensis
Cirtensis, quae et Constantiniensis
Cuiculitana
Cullitana
Dianensis
Edistianensis
Enerensis
Fatensis
Fesseitana
Fissanensis

Formensis ad Idicram
Formensis Missoris
Fossalensis, quae et Fussalensis
Garbensis
Gaudiabensis
Ganrianensis
Gazaufalae
Gemellensis
Germaniensis
Gibbensis
Gilbensis
Girensis
Girumarcelli
Girutarasi
Hipponeregiensis, quae et Hipponensium Regiorum
Hizirzadensis, quae et Izirianensis
Hospitensis
Jacterensis, quae et Zaltarensis
Idassensis
Idicrensis
Incundianensis
Lamasuensis, qnae et Lamasbae
Lambesensis
Lambiritana
Lamfuensis, quae et Lampuensis et Iamfuensis
Lamiggigensis gemina
Lamsortensis
Lamzellensis
Laritanus
Legensis
Legiensis
Legisvolnminiensis
Liberaliensis
Limatensis
Lugurensis
Macomadiensis, quae et Macomaziensis
Madanrensis
Madensis
Magarmelitana
Manazenensium Reginrnm
Masculitana
Matharensis
Maximianensis, quae et Maximinensis
Mazacensis
Megarmitana
Mesarfeltensis
Metensis
Midilensis
Milei, quae et Milevitana
Mnntensis, quae et Mnntena
Moxoritana
Muliensis
Municipensis
Mustitana
Mutugensis
Naratcatensis, quae et Naraccatensis
Nibensis
Nicibensis
Nnbabarbarensis, quae et Novabarbarensis
Nnbagermaniensis
Nnbasparsensis, quae et Nnbaspartensis
Nnbasinensis, quae et Nnvasinensis
Nnvapetrensis
Octabensis
Pndentianensis
Putiensis
Respectensis
Ressianensis
Rntariensis
Rusiccadiensis
Rnsticianensis
Selemselitana, quae et Silemsilensis
Seleucianensis
Siguitensis, quae et Suggitana
Silensis
Sillitanus
Sistrnnianensis
Snavensis

Snmmensis, quae et Zummensis
Susicaziensis
Tabracensis
Tabudensis
Tacaratensis
Tagastensis
Tagorensis
Tamogadensis, quae et Tamogaziensis
Tarasensis, quae et Tharasensis
Tebestina, quae et Tevestina et Thebestis
Teglatensis, quae et Tegulatensis
Thibilitana
Tibursicensis, qnae et Tnbusicensis
Tididitana, quae et Tiseditana
Tigillabensis
Tigisitana
Tignicensis
Tipasensis
Tubuniensis
Tnccae, quae et Tuggae et Tnncensis
Tnnudensis
Turrensis
Tnrrisrotnndae
Turrinm Ammeniarum
Turrium Concordiae
Tnzudrumes
Vadensis
Vageatensis
Vagensis
Vegeselitana, quae et Veselitana
Velesitana
Vensanensis
Vicopacatensis, quae et Vicopacensis
Villamagnensis
Villaregiensis
Villavictorianensis
Ullitana
Urugitana
Utmensis
Zabensis
Zamensis
Zaradtensis, quae et Zaraitensis
Zertensis

Ecclesiae Provinciae Byzacenae

Abaradirensis
Abiddensis
Abissensis
Acolitana
Adrumetina
Afufeniensis
Aggaritana
Aggeritana
Amudarsensis
Ancnsensis
Aquae Albensis
Albensis
Aqnensis
Aquensium Regiorum
Aqniabensis
Arensis
Arsuritana
Autentensis, quae et Auteniensis
Auzagerensis, quae et Auzegerensis
Banensis
Bennefensis
Bladiensis
Bulelialensis, quae et Bubelialensis
Byzaciensis

Cabarsussitana
Capsensis, quae et Capsitana
Carcabianensis
Carianensis sive Casularum Carianensium
Cellensis
Cenculianensis
Cenensis
Cilitana, quae et Cillitana
Circitana
Crepedulensis
Cufrutensis
Culultana
Detorianensis, quae et Decorianensis
Dicensis
Dionysianensis
Durensis
Eliensis
Febianensis
Feradimajensis, quae et Feraditana major
Feraditana minor
Filacensis
Forontonianensis, quae et Ferontonianensis
Fortianensis, quae et Forianensis et Foratianensis
Frontonianensis, quae et Frotonianensis
Gaguaritana, quae et Ganvaritana
Garrianensis
Gattianensis, quae et Gatianensis
Germanicianensis
Gummitana
Gurgaitensis, quae et A Gurgitibus
Hermianensis
Hierpinianensis, quae et Hirpinianensis
Hirenensis, quae et Hirinensis et Irensis
Horreae Aninicensis
Horreae Caeliensis
Jubaltianensis
Juncensis
Leptiminensis, quae et Leptitana
Limmicensis
Macomadiensis Rusticiana
Macrianensis major
Mactaritana
Mandasnmitaua, quae et Madassumitana
Maraguiensis
Marazanensis
Mascliancnsis
Mataritana
Materianensis
Maximiensis, quae et Massimanensis
Medefessitana, quae et Menefessitana
Medianensis
Mibiarcensis
Midicensis
Miditana, quae et Mididitana
Mimianensis
Mozotcoritana
Munatianensis
Muzucensis, quae et Muzulensis
Narensis
Nationensis
Neptitana, quae et Neptensis
Octabensis
Octabiensis
Oppennensis, quae et Opemiensis
Pederodiadensis
Peradamiensis
Praecausensis
Praesidiensis
Putiensis
Quaestorianensis
Rufinianensis
Ruspensis, quae et Rusfensis et Rufensis
Ruspitensis
Sasuritana

Scebatianensis
Sebeiianensis
Segermitana
Septimuniceusis
Sublectina
Sufetana, quae et Snfium
Sufetulensis, quae et Suficulensis
Sulianensis
Tabaltensis, quae et Tasbaltensis
Tagamutensis, quae et Thagamutensis
Tagarbalensis, quae et Targabolensis
Tagariatana
Tagaseusis
Talaptensis, quae et Talaptnlensis
Tamallensis
Tamallumensis
Tamateni
Tambajeusis, quae et Tambeitana
Taprurensis
Tapsitana
Taraquensis, quae et Tarazensis
Teleptensis
Temonianensis, quae et Temoniarensis
Tetcitana
Thenitana, qnae et Thenisiornm
Theuzitana
Thibaris, quae et Tibaritsna
Ticensis
Ticualtensis
Tigualensis
Tiziensis
Trofinianensis
Tubulbacensis
Turditana, quae et Tusdritana
Turreblandina
Turrensis
Turretamallnmensis, quae et Turrinm Tamulus
Tuzuritana, quae et Tuziritana
Vadentinianensis, qnae et Valentinianensis
Vagensis
Vararitana
Vassinassensis
Vegeselitana, quae et Vegeiselitana
Vicensis
Vicosteriensis
Victorianensis
Vitensis
Unizibirensis, quae et Unizivorensis
Uniricopolitana, quae et Unorecopolitana
Usulensis, quae et Usilabensis
Zellensis

Ecclesiae Provinciae Mauretaniae Caesariensis et Tingitanae

Adqnesirensis
Adsinuadeusis
Agrensis
Alamiliarensis
Albulensis
Altabensis
Amaurensis
Ambiensis
Aquensis
Aquisirensis
Arenensis
Arsinnaritana
Bacanariensis
Balianensis

Baparensis
Benepotensis
Bidensis
Bitensis
Boncariensis, quae et Voncariensis
Bulturiensis
Buronitana
Buruc
Caesareensis
Caltadriensis
Caprensis
Caputcillensis
Cartennitana
Castellana
Castelli Jabaritani
Castelli Mediani
Castelli Minoritani
Castelli Ripensis
Castelli Tatroportensis
Castrorum Nobensium
Castrorum Seberianensium
Catabitana
Catrensis
Catulensis
Cessitana, quae et Cissitana
Colnmprntensis
Corniculanensis
Elfantariensis, qnae et Elephantariensis
Fallabensis
Fenncletensis
Fidolomensis
Florianensis
Flumenzeritana
Frontensis
Girnmontensis
Gratianopolitana, quae et Gratinopolitana
Gunugitana
Gypsariensis
Icositana
Idensis
Iommitensis
Itensis
Iuncensis
Lapidiensis
Majucensis
Malianensis, qnae et Milianensis
Mammillensis
Manaccenseritana
Masuccabensis
Matnrbensis
Maurensis
Manrianensis
Mediensis
Minensis, quae et Minnensis et Minnensis
Mnrconensis vel Nurconensis
Murnstagensis
Mutecitana
Nabalensis
Nasbincensis, quae et Narbincensis
Nobae, quae et Novensis gemina
Nobicensis
Nnmidiensis
Obbensis
Oboritana gemina
Oppidonebensis
Oppinensis
Pamariensis
Panatoriensis
Priscianensis, quae et Prisianensis
Quidiensis
Regiensis
Reperitana
Rubicariensis
Rusaditanus
Rusgoniensis, qnae et Rusgnniensis
Rusnbiccariensis
Rnsubiritana
Rusuccurrensis, quae et Rnsuccurritana
Satafensis
Sereddelitana

Sertensis
Sestensis
Sfasferiensis
Siccesitana
Sinnipsensis
Sitensis
Subbaritana, quae et Subaritana
Sucardensis
Snfasaritana, quae et Sufaritana
Sululitana
Summulensis
Tabadcarensis, quae et Tabarcarensis
Tablensis
Taborentensis
Tabuniensis
Tadamatensis, quae et Tadamensis
Tamadensis, quae et Tanudajensis
Tamazucensis, qnae et Tamazensis
Tasaccnrrensis
Ternamunensis, quae et Ternamnsensis
Tifiltensis
Tigabitana
Tigamibenensis
Tigisitana
Timicitana
Timidanensis, quae et Timidianensis
Tingartensis
Tipasitana
Tubunensis
Tuscarniensis
Vagalitana
Vannidensis
Vardimissensis
Ubabensis
Villanobensis
Vissalsensis
Voncarianensis
Usinadensis
Zucabiaritana, quae et Zngabbaritana

Ecclesiae
Provinciae Mauretaniae Sitifensis

Acufidensis
Aquae Albensis
Assafensis
Asnoremixtensis
Castellana
Cedamusensis
Cellensis
Coviensis
Eminentianensis
Equizotensis, quae et Equizetana
Ficensis
Flumenpiscensis
Gecitaua
Horrensis
Ierafitana
Igilgitana, qnae et Igillitana
Lemelefensis
Lemfoctensis, qnae et Lamfoctensis
Lesvitana
Macrensis
Macrianensis
Marouanensis, quae et Maronensis
Maxitensis
Mediaporum Zabuniornm
Molicunzensis, qnae et Molicuntensis
Moptensis, quae et Moctensis et Mozotensis

Nobalicianensis
Olivensis
Partheniensis
Perdicensis
Privatensis
Salditana
Satafensis
Serteitana
Sitifensis
Sociensis
Suristensis
Tamagristensis
Tamallumensis
Tamascaniensis
Thuccensis
Tubiensis
Tugusubditana, quae et Tubusubditana
Vamallensis
Vesceritana
Zabensis
Zallatensis

Ecclesiae Provinciae Tripolitanae

Girbensis, quae et Girbitana et Gerbitana
Gittensis
Leptimagnensis
Neapolitana
Oënsis
Sabratensis
Tacapitana

VI. Haec quidem Ecclesiarum Africanarum nomina, nec tamen omnia: eas enim hic recensuimus, quarum certa provincia esset. sunt et incerti loci aliae numero prope sexaginta: quas omisimus, ne provinciis adscriberemus, ad quas minime pertinerent. verum has etiam in medium adducturi sumus, quum de omnibus Africae Episcopatibus agendum erit: quo loco item investigabimus, quae de his usquam a majoribus tradita sint. nemo interea, dum tot in Africa Ecclesias fuisse legit, urbes quoque totidem fuisse putet. vicis illic et pagis, quod frequentiores essent, Episcopos praepositos esse sciat: quod nomina ipsa Ecclesiarum declarant, bona ex parte neglecta a Geographis, quae et humile quiddam atque villaticum non raro sonant.

§. III.

Provinciae Ecclesiae Africanae

Saeculo VI. et deinceps

I. Magnam Ecclesiae Africanae vastitatem intulerant Vandalorum Reges, quotquot a Genserico ad Hildericum regnarant, profanatis passim Catholicorum templis, et Episcopis presbyterisque in exsilium ejectis. at demum anno DXXIII. quo Trasamundus obiit, *Mirabilis bonitas Hilderici regnare incipientis, Ecclesiae Catholicae per Africam constitutae libertatem resti-*

tuens, ut in vita Fulgentii Ruspensis legimus (1), *Carthaginiensi plebi proprium donavit Antistitem, cunctisque in locis Ordinationes Pontificum fieri clementissima auctoritate mandavit.* itaque Provinciae singulae, Episcopis suis receptis, aut designatis novis, plane revixerunt. id nos edocet Synodus Carthaginiensis, quae non multo post a Bonifacio Episcopo coacta est, nempe anno DXXV. quippe et concilia jam aliis in provinciis celebrata indicat (2), et subscriptiones praeterea exhibet Episcoporum, qui undique eo convenerant, numero quinquaginta novem (3), quorum pars legatione provinciae suae fungebantur.

II. Haud longum Hilderici regnum, sed multo brevior Gilimeris tyrannis fuit: et Iustiniano rerum potito, magna ubique per Africam tranquillitas exorta est, quae pacem et securitatem Ecclesiae attulit. quare tam faustis temporibus, eodem anno, qui fuit DXXXIII. Concilium Africae indictum universale, quod Carthagine actum est frequenti conventu: aderant enim Episcopi CCXVII. quemadmodum epistola indicat, quam Patres ad Ioannem II. Pontificem maximum scripsere (4), Reparato Episcopo praeeunte, qui tum Carthaginiensem Ecclesiam administrabat. quamquam Acta ipsa Concilii illius desiderantur, praeter canonem unum, quem *de libertate monasteriorum* sancivere (5): ut de provinciis, unde Episcopi Carthaginem tum convenerunt, certi nihil proferre possimus.

III. Porro immutatas sub Iustiniano Ecclesiae Africanae Provincias, non immerito suspicari quis possit, quum is idem civiles aliquatenus immutarit. nam et Tingitanam provinciam rursus ad Africam pertinere voluit, et de Caesariensi ac Sitifensi Mauretania unam provinciam fecit, et septimam demum his adjecit Sardiniam. sed de Sardinia quidem nemo adhuc docuit, Episcopos ejus insulae concilii caussa in Africam navigasse, aut Archiepiscopum Calaritanum Primati Carthaginiensi tamquam Exarcho suo honorem habuisse. hoc unum reperio, quum in Sardinia forte essent, qui adversus inopes potentia abuterentur, de ea re Gregorium magnum non modo a Praefecto Africae, sed etiam ab Episcopo Carthaginiensi admonitum esse: sic enim Gregorius Ianuario Calaritano scribit (6): *Qualiter in Sardinia minores vel pauperes ab eis, qui illic majores sunt, opprimantur, reverendissimi fratris nostri Dominici Carthaginiensis Episcopi, atque eminentissimi filii nostri Innocentii Praefecti epistolae docuerunt.* sed haec tantam habere vim non debent, ut propterea Sardiniam inter provincias numeremus, quae Episcopum Carthaginiensem Primatem summum totius Africae agnoscebant. existimare enim licet, communis boni studio factum esse, aut Praefecti ipsius rogatu, ut eas Dominicus litteras ad Gregorium mitteret. summam certe auctoritatem Archiepiscopo Calaritano alia in epistola tribuit Gregorius: qui quum eundem Ianuarium hortatus esset, ne quasdam officii sui partes negligeret, haec adjecit (7): *Ea autem, quae Fraternitati vestrae*

(1) *cap. XXVIII.*
(2) Hard. *Conc. T. II. p.* 1075. et 1085.
(3) *ibid. p.* 1154.
(4) *ibid. p.* 1154.
(5) *ibid. p.* 1177.
(6) *lib. X. ep.* 38.
(7) *lib. III. ep.* 36.

scripsimus, cunctis sub vobis Episcopis innotescite; quia ego illis scribere nolui, ne honorem vestrum viderer imminuere.

IIII. Contra vero Sitifensem provinciam, Primatu amisso, reliquae Mauretaniae accessisse, paeuo exploratum est. nimirum in Concilio Lateranensi, quod Martino Pontifice maximo, anno DCXXXXVIIII. celebratum est, epistolam habemus trium Conciliorum Africae nomine scriptam hoc titulo (8): *Domino beatissimo, Apostolico culmine sublimato, sancto Patri patrum Theodoro Papae, et summo omnium praesulum Pontifici Columbus primae sedis Episcopus Concilii Numidiae, et Stephanus primae sedis Episcopus Concilii Byzaceni, et Reparatus Episcopus primae sedis Concilii Mauritaniae, et universi Episcopi de tribus Conciliis antedictis Africanae provinciae.* nulla hic, ut vides, Sitifensis, nulla Caesariensis, sed ἁπλῶς Mauretaniae mentio fit; non aliam nempe ob caussam, nisi quia Africani Patres, imminuto jam Episcoporum numero, provincias suas ad civilium normam terminandas censuerant.

V. Num tamen aut Tingitania Ecclesiae Africanae nova provincia esse coepit, aut Tripolitana limites suos et honorem Primatis retinuit? praesertim quum Rectorem utraque Consularem a Iustiniani aevo habere coeperit. neutrum equidem liquere puto: nec sane Concilia in his acta reperias, quae in Proconsulari et Byzacena et Numidia maxime celebrata esse constat: de quibus et Iustinianus Aug. et Gregorius magnus meminerunt (9). quum autem in illis duabus provinciis pauciores, quam in aliis, Episcopi invenirentur, credibile est, Tingitanos eadem conditione fuisse, qua ante fuerant, et unum eorum fuisse concilium, quod reliquae Mauretaniae erat: Tripolitanos vero eadem de caussa honore excidisse, et Byzacenis deinde, qui proximi erant, esse adnumeratos.

VI. Gregorii magni aetate ingens etiamtum Episcoporum in Africa numerus erat, et quatuor illae provinciae manebant: quin et Martini I. Pontificis maximi temporibus, quinquaginta fere annis post Gregorium, quidam ex illis Romam ad Concilium Lateranense venerunt: reliqui partim Theodoro Martini decessori, ut paullo ante vidimus, scripserant; partim epistolis subscripsisse apparet, quae tum ad Constantinum Aug. Heraclii filium, et ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum missae sunt: quarum exempla deinde in Concilio Lateranensi recitata et Actis inserta manent. at dum haec Romae agebantur, Saraceni jam Africam occuparant, magna Ecclesiae jactura, quae non modo splendorem suum amisit, sed Episcopis viduata, et populis passim in servitutem abductis exinanita, brevi ad paucos redacta est. sub initium saeculi VIII. non paucas illic Ecclesias superstites agnoscere videntur Patres Concilii Trullani, qui canone XII. se accepisse ajunt, inter Africae Episcopos inveniri, qui cum propriis uxoribus etiam post Ordinationem versarentur. verum satis intelligi inde potest, quanta rerum conversio facta esset; quum in ea Ecclesia, quae Diaconis quoque castimoniam praescripserat, Episcopi uxoribus impune

(8) Hard. *Conc. T. III. p.* 734. (9) v. Baron. *ad an.* 541. et Greg. *epist.*

uterentur. atque id ipsum indicio est, per ea tempora nullas Synodos usquam esse coactas, in quibus vitiis hujusmodi remedium aliquod afferretur, et pristini mores ac vetera instituta revocarentur: atque adeo vix tum nomina provinciarum fuisse, et quae manebant, Ecclesias, magno intervallo disjunctas, Episcopis paruisse, qui aut Primatem haberent nullum, aut barbarorum metu et dominatione coercitum facile contemnerent. numerum quoque Episcoporum saeculo nono passim imminutum declarat Ioannis Diaconi cognomento Hymonidis (10) dictum de Chrysmatis confectione permissa Presbyteris: ait enim in epistola ad Gerarium v. III. *Sed nec illud tangat animum, quod sibi aliquando quaedam vis necessitatis assumit, veluti quod nunc per Africam fieri dicitur, ut Presbyteri sanctum Chrysma conficiant, quod merito moveret, si istam Pontificalis auctoritas licentiam non dedisset.*

VII. Proxima his tempora qualia subinde fuerint, silet historia: sed pejora prioribus successisse, satis nos docet Leo VIIII. Pontifex maximus, qui de jure Archiepiscopatus Carthaginiensis sententiam rogatus ab Episcopis quibusdam Africanis, quorum cathedrae ignotae sunt, sic litteras suas inchoavit (11): *Decus Ecclesiarum Africanarum ita conculcatum a gentibus nimium dolemus, ut modo vix quinque inveniantur Episcopi, ubi olim ducenti quinque solebant per concilia plenaria computari: et ibi pauculas oves quotidianae occisioni deputatas remansisse, ubi quondam innumerabilis grex Domini sub numerosis arietibus exsultabat alta pace.* pertinent haec ad saeculum XI. quo jam, ut idem auctor est, deserta Carthago jacebat, cujus tamen Archiepiscopum dignitate atque auctoritate non excidisse declarat, nec jus ullum Gummitano Episcopo partum esse, qui in provincia Byzacena positus, quod fortasse urbem tum temporis clariorem ceteris, aut a Principe Saracenorum habitatam incoleret, Archiepiscopum agere volebat, eoque uti jure, quod penes Carthaginiensem Episcopum antea fuerat.

VIII. Viginti post annis, aut non multo serius pauciores quam quinque in Africa Episcopos fuisse, ex Gregorii VII. epistola ad Cyriacum Carthaginiensem Archiepiscopum didici: sic enim eundem adloquitur (12): *Pervenit ad aures nostras, quod Africa, quae pars mundi esse dicitur, quaeque etiam antiquitus, vigente ibi Christianitate, maximo Episcoporum numero regebatur, ad tantum periculum devenerit, ut in ordinando Episcopo tres non habeat Episcopos.* adeo autem vestigia omnia veterum provinciarum deleta erant, ut idem Gregorius, qui Servandum Romae consecraverat Archiepiscopum Hipponensium, quum eundem clero et populo Hipponensi commendaret, eam urbem, quae in Numidia erat, ad Mauretaniam Sitifensem pertinere crediderit (13). sub haec tempora Africanos Episcopos nullos invenio: et eo redactam rem Christianam puto, ut qui fidem Deo servare, et religionem sancte tueri vellent, clam solum verterent, et tu-

(10) *ibid.*
(11) apud Hard. *Conc. T. VI. p.* 950.
(12) *ibid. p.* 1341.
(13) *ibid. ep.* 20.

tum sibi perfogium apud Christianos pararent: quod jam consilium multi superiore aetate ceperant: nec ii solum, qui pietatem colebaot, et stodio rectae doctrinae tenebantur, sed etiam ex iis, qui Christianam professionem non uoa errorum labe foedabant; quae caussa fuit, cur sub initiom saeculi vttI. Gregorios ıI. Pontifex maximus sanciret, *Afros passim ad Ecclesiasticos Ordines praetendentes suscipiendos non esse* (14). Manichaeos quippe sub his saepe latere compertum fuerat. ceterum nomeo ipsum Christiaonm in Africa et veteris Ecclesiae vestigium omne saeculo xıI. deletum est, Almohadum secta dominante post Almorabitarum caedem, quam Pagius factam putat anno M. C. XXXXVIIII.

VIIII. Fuere demum saeculo XIII. ac deinceps, qoi de salute Africae cogitarent, eoque strenuos viros submitterent, qui Afros ad Christianam professionem reducere conarentur: quos inter Franciscus Pater eminet Assisias magnum illud Italiae decus et Ecclesiae ornamentum, e cujus familia viri egregii quinque aono M. CC. XIX. in Tingitaniam missi (15). qui rem Christianam restituere, et barbaros a superstitione Mahometica revocare aggressi, multis tamen exantlatis laboribus, plus sibi utilitatis quam aliis peperere: praeclaro nempe martyrio facto in ipsa urbe Marrochio (16), quam quidam in vestigiis Bocani Hemeri conditam putant. oec aliis deinceps, quotquot eorom exemplis iostitere, qnorum et conatus sequenti commeotario attiogemos, datum noquam est, ut speciem aliquam veteris Ecclesiae redderent, ant inveteratam illam barbariem ex Saracenorum moribus disciplina ulla delerent.

(14) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 1862.
(15) apud Wading. *Ann. Min. T. I. p.* 318.
(16) apud eundem *ibid. p.* 331.

COMMENTARIVS SECVNDVS

DE EPISCOPATIBVS

Rem aggredimur laboris ac difficultatis plenissimam, ut quae olim de [illegible] Africae litteris mandata ad nos pervenerunt, ea hic simul [illegible] commentario comprehendamus. nec sane sperare licet, inceptum [illegible] successorum, ut opera nostra magnum aliquid praestitisse videamur. quis enim ignorat, quales supersint fontes, unde hauriri auctoritates possint, quibus hic maxime opus est? nam praeter ea, quae Optatus Milevitanus de Schismate Donatistarum, et Victor Vitensis de Vandalicis temporibus tradidere, historiam Ecclesiae Africanae a veteri scriptore nullam accepimus: quaeque huc pertinent, veluti racemando, singula sunt passim in Patrum scriptis cujusque generis, aut in Africanis Conciliis investiganda: quorum ne editionem quidem habemus, quam Holstenius, vir ille summus, adornare coeperat, qui certe unus maxime, qua erat eruditione atque doctrina, multa uberius ac plenius efferre poterat, quibus hoc quoque loco percommode uteremur. sed ea tamen voluntate ad opus hoc, qualecumque futurum sit, exordiendum accedimus, ut quidquid reliquum est monumentorum sacrorum accurate diligenterque scrutati, nihil eorum praetermittamus, unde lucis aliquid ad seriem hanc nostram illustrandam afferri possit. sic autem Episcopatus omnes, quorum nomina exstant, recensebimus, ut in iis digerendis usitatum illum litterarum ordinem, unde nomen inchoatur, persequamur: at in cujusque Episcopis ordinandis temporum, quibus quisque vixit, rationem habeamus. sic utrumque adsequemur, ut et Ecclesiam unam aliquam quaerenti ea cuique facile occurrat, et in unaquaque ordo Episcoporum, qui eam rexere, uno prope obtutu cognoscatur. ceterum hic quoque exsortem honorem Ecclesiae Carthaginiensi tribuamus, quam semper Africa primam ac ceterarum parentem agnovit, et ante omnes cieatur

EPISCOPATVS

I. CARTHAGINIENSIS

Urbem Africae splendidissimam Carthaginem (1), quacum nulla ceterarum vel loci amplitudine vel operum magnificentia certare poterat, ex

(1) *Vrbis hujus Antiquitates* v. apud Bochart. *Geogr. sacr. lib. I. c. 24. p. 468.*

quo in Populi Romani potestatem redacta florebat, majestas quoque Proconsulis et fasces ornabant. postquam autem Christianae doctrinae auctoritas Africae illuxit, novum Carthagini decus accessit Primatis Episcopi dignitas, ob quam Ecclesia Carthaginiensis aliarum omnium, quae in Africa fuere, veluti mater habita fuit. ac mature etiam factum est, ut quemadmodum ea urbs publicis operibus mirifice exculta eminebat, sic ipsa Ecclesia maximis Christianae religionis atque pietatis monumentis clarissima esset. templum urbis primarium, sive *Ecclesiam nomine Restitutam, in qua semper Episcopi commanebant,* memorat Victor Vitensis (2): cujus nominis hanc esse originem putabat Baronius (3), quod ea de Donatistis recepta esset; nec sane inconsulto: nam *Perpetua* primitus appellata videtur, quum synodus, quae sub Geneclio coacta est anno CCCLXXXX. *in Basilica Perpetua Restituta* celebrata esse dicatur (4). jam aeque insignis erat altera, *Fausti Basilica* dicta: de qua praeter ceteros meminit Reparatus Episcopus in synodica epistola ad Ioannem II. Pont. max. (5) in eaque multa Martyrum corpora adservata scribit. neque illi dignitate impar, quam sancti Agilei nominabant, Coemeterio ejusdem Martyris nobilitata (6) in cujus praeterea secretario synodum actam sub Bonifacio Episcopo constat anno DXXV. his aliae adnumerandae sunt, quae apud Victorem eundem, apud Augustinum, apud alios occurrunt (7), Basilica, quam *Majorem* aut *Majorum* vocabant: nam codices variant, sanctarum eadem Martyrum Perpetuae ac Felicitatis sepulcro venerabilis: Basilica Martyrum Scillitanorum, Basilica Celerinae Martyris, Basilica Novarum, Basilica Gratiani, Basilica Theodosiana, Basilica Honoriana, Basilica Theoprepia, Basilica Tricillarum, Basilica Petri in regione tertia, Basilica Paulli in regione sexta. quo de numero nemo mirabitur, qui meminerit, quantus ibidem Clerus esset saeculo V. quem obiter sic Victor (8) designavit: *Universus Clerus Ecclesiae Carthaginis caede inediaque maceratur, fere quingenti vel amplius.* et auxit postea Basilicarum numerum Iustinianus, Africa recepta: nam auctor est Procopius (9), aedes sacras ibidem ab eo binas esse conditas, quarum alteram in Palatio Dei Genetrici, alteram extra Palatium sanctae Primae dedicarit. nec vero sine templis suburbium: duo illic stabant Martyri Cypriano sacra, alterum in loco, ut Victor ait (10), *ubi sanguinem fuderat,* alterum, *ubi ejus sepultum est corpus: qui locus Mappalia vocitatur.* ibidem fortasse, aut certe in urbe ipsa fuit aedes illustris Martyris Iuliani, quam Leontius Abbas in vita Gregorii Agrigentini commemoravit.

Porro et Monasteria, ut per Africam multa erant, sic quaedam Carthagine fuisse constat. *Biguae* monasterium Victor idem ciet prope Basilicam

(2) *Hist. P. V. lib. I. c.* 5.
(3) *ad an.* 397.
(4) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 951.
(5) *ibid. T. II. p.* 1154.
(6) *in App. Chron. Prosp.* apud Canis. *Lect. ant. T. I.*
(7) v. Sirm. *Op. var. T. I. p.* 198. et Bingham. *Orig. Eccl. T. III. p.* 420.
(8) *Hist. P. V. lib. V. c.* 8.
(9) *de aedif. Iust. lib. VI. c.* 5.
(10) *ibid. lib. I. c.* 5. et apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1087.

Celerinae situm (11): in quo positas esse tradit Reliquias sanctorum septem Monachorum, quos Hunericus sustulerat, is, qui etiam, ut idem habet, *Universa Monasteria virorum vel puellarum sanctarum gentilibus id est Mauris cum habitatoribus donari* praeceperat. monasterium praeterea Carthagine ad portum Mandracium a Iustiniano exstructum esse, scripsit Procopius (12): quod Latinis ne monachis, an Graecis adtributum fuerit ignoro; nisi quod manifestum est, saeculo sequenti Lauram monachorum Sabaitarum apud Afros fuisse: ex qua Theodorus Abbas presbyter Romam ad Concilium Lateranense venit (13).

Iam inter Ecclesiae Carthaginiensis decora non ultimum fuit, quod ibi potissimum tot habiti sint Episcoporum Africae conventus, de quibus singillatim a nobis in Annalibus agendum est. actae autem synodi sunt ab Agrippino ad Bonifacium saltem triginta septem, quarum et Acta pleraque manent, magnoque in pretio semper fuere. at illud decorum omnium maximum, quod Ecclesiam eandem Martyres plurimi illustrarint, partim cives, partim externi: nam quia plerique, quorum nomina in provincia delata fuerant, ad Proconsulis tribunal Carthaginem mittebantur; saepe factum est, ut provincialium quoque martyriis et sanguine honestaretur. eorum memoriam Ecclesia ipsa Romana adhuc recolit, quos hic recensuisse satis sit: sunt autem,

Agileus Martyr idibus Octobribus.
Bassa, Paulla et Agathonica Virg. MM. IIII. id. Aug. (14)
Candida V. M. item Susanna M. XII. kal. Oct.
Catulinus, Iannarius, Florentius, Iulia et Iusta MM. idib. Iul.
Concessa M. VI. id. Apr.
Cyprianus Episc. M. XVII. kal. Oct.
Guddene V. M. XV. kal. Aug.
Heraclius et Zosimus MM. V. id. Mart.
Liberatus, Bonifacius, Servus, Rusticus, Rogatus, Septimus et Maximus MM. XVI. kal. Sept.
Marcellinus M. VIII. id. Apr.
Modestus et Iulianus MM. pridie id. Feb.
Octavianus et multa millia Martyrum XI. kal. Apr.
Restitutus Episc. et M. V. id. Dec. qui tamen *Confessor* tantum habendus est.
Speratus, Narzalus et Scillitani Martyres XVI. kal. Aug.
Trecenti Martyres VIIII. kal. Sept.

Desunt Perpetua et Felicitas, earumque socii Martyres, qui enunciantur nonis Martiis, sed *Tuburbi in Mauretania;* quae quidem urbs ad provinciam Proconsularem, non ad Mauretaniam pertinebat, et Martyrum patria, non martyrii arena fuerat. itaque ut patria designaretur, in qua Martyrium inchoatum esset, in Reginae Christinae codice scriptum invenit Holstenius, *Tuburbi apud Carthaginem:* ceterum diserte nos docet

(11) *in Act. MM. eor. n.* 2.
(12) *de aedif. Iust. lib. VI. c.* 5.
(13) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 719.
(14) v. Boll. *T. III. Iun. p.* 470.

Prosper in Chronico, insignes illas Martyres *Carthagine* sub Severo decertasse: *Qua*, inquit, *tempestate Perpetua et Felicitas pro Christo passae sunt nonis Martii apud Carthaginem Africae, in castris bestiis deputatae.*

Nec in sancta illa Ecclesia defuere egregii Confessores, e quorum numero ab Ecclesia Romana memorantur
Caecilius Presbyter III. non. Iun.
Constantinus Conf. V. id. Mart.
Cyrus Episc. pridie idus Iul.
Deogratias Episc. XI. kal. Apr.
Pontius Diaconus VIII. idus Mart.

Ac digni etiam, qui eodem numero haberentur, profecto erant
Aurelius XIII. kal. Aug.
Capreolus . . . . kal. Aug.
Eugenius non. Ian.
Geneclius non. Maiis
Gratus III. non. Majas
Quodvultdeus VI. id. Ian.
quippe horum omnium nomina in Kalendario Carthaginiensi legimus, nec sanctitatis eorum obscura fama est. utinam et civem Carthaginiensem ejusdemque Ecclesiae Presbyterum ciere cum bis possemus, Tertullianum dico, cujus quidem ingenium, doctrinam, eruditionem in scriptis ejus adhuc suspicimus; at defectionem atquo deliramenta, ut par est, lugemus ac detestamur.

Hactenus de Ecclesia Carthaginiensi. exinde ordinandi Episcopi sunt, quotquot illi praefuisse novimus. singulis autem pauca adscribemus, quo de his fusius in Annalibus agi possit: in quibus facile quis reperiet quem quaerat, siquidem annorum seriem sequatur, quam hic prius indicatam invenerit. ibidem et de conditore Ecclesiae disputabimus, cui utique locum hic primum tribueremus, si nomen ejus et tempus exploratum esset.

AGRIPPINVS. hunc, saeculo altero vertente, Carthaginiensi Episcopatu esse functum, superius ostendimus: quamquam plerique juniorem faciunt, et synodos, quas ab eo coactas scribit Cyprianus (1), celebratas esse putant alteram anno CCXV. alteram anno CCXVII. *bonae memoriae virum* bis eum appellat Cyprianus (2): memorat eundem et Augustinus persaepe, sed nullo ornat titulo.

OPTATVS. hunc nobis suppeditant Acta Martyrum clarissimarum Perpetuae et Felicitatis, quae pertinent ad annum CCIII. in his Optati Episcopi semel atque iterum n. XIII. fit mentio. fuisse autem Episcopum Carthaginiensem Martyrii locus iudicat, ipsa nempe Carthago, in cujus amphitheatro egregiae illae feminae lauream adeptae sunt: quamquam Tuburbi natae videntur, eaque de caussa Tuburbitanae quandoque Martyres dictae: quam fortasse urbem designat Perpetua n. V. sic scribens: *Supervenit autem et de civitate pater meus.*

(1) *epist.* 71. *et* 73. (2) *de Bapt. adv. Donat. lib. III. c.* 2. *et saepe alibi.*

CYRVS. inter Optatum et Donatum collocandus hic videtur. nam vix alius vacat locus deinceps, in quo censeri possit. nomen Possidio debemus, qui inter tractatus Augustini sermonem memorat *De Depositione Cyri Episcopi Carthaginiensis* (3): quamquam ipsum hodie sermonem inter Augustini opera non legimus.

DONATVS. Ecclesiam Carthaginiensem hic regebat ante an. CCXXXXVIII. nam decessorem Cypriani fuisse, ex hujus ipsius epistola ad Cornelium Pont. max. plane constat (4). quippe damnatum scribit Privatum haereticum notatumque litteris Fabiani et Donati, quos *Antecessores nostros* appellat: ut quemadmodum Cornelius Fabianum decessorem habuit, sic se Donato successisse ostendat.

CYPRIANVS. Episcopatum hic cepit anno CCXXXXVIII. aut proximo posteriore. se enim ipse in epistola ad Cornelium, quam scripsit anno CCLII. *plebi suae in Episcopatu quadriennio jam probatum dicit. primus* autem, ut in ejus vita Pontius Diaconus ait, *sacerdotales coronas in Africa imbuit* (5). quo loco Carthaginiensem Episcopatum tempore etiam, ne dum honore primum significare videtur: addit nempe, *Ex quo enim Carthagini Episcopatus ordo numeratur, numquam aliquis, quamvis ex bonis et Sacerdotibus, ad passionem venisse memoratur.* Martyris porro lauream adeptus est Cyprianus Tusco et Basso Cos. anno Christiano CCLVIII. itaque Episcopatus ejus fuit annorum fere decem. habuit adversarium Fortunatum, qui a factione Felicissimi Episcopus Carthaginiensis renunciatus est, praeter Maximum, quem item Episcopum asseclae Novatiani constituerant.

CARPOPHORVS. nomen hujus servavit nobis Optati codex Sangermanensis. in eo enim, ubi Optatus agit de schismate Majorini adversus Caecilianum legitimum Episcopum, *Plena erat*, inquit (6), *Cathedra Episcopalis, erat altare loco suo, in quo pacifici Episcopi retro temporis obtulerant, Cyprianus, Carpophorus, Lucianus et ceteri.* congruum quoque est, binos saltem Episcopos inter Cyprianum et Mensurium fuisse: nam inter utrumque fluxere anni plus minus quadraginta.

LVCIANVS. hunc ex eodem Optato novimus, et in omnibus codicibus cieri liquet. an huic proximus successerit Mensurius, subdubitare quis possit, quod Optatus scripserit *Lucianus et ceteri:* nam ceteri duos saltem designant: post Lucianum autem et ante Caecilianum, de quo Optatus non loquitur, unum Mensurium nominare possumus.

MENSVRIVS. de hoc meminere Optatus (7) et Augustinus (8). Ecclesiam Carthaginiensem administrabat sub initium saeculi IIII. quo tempore Diocletianus in Christianos saeviebat. accusatus apud Maxentium, quod Felicem Diaconum apud se latitantem non reddidisset, ad eum proficisci coactus est, ut caussam diceret. jussus deinde reverti, peregre decessit anno CCCXI.

(3) *Indic. Opusc. c.* 8.
(4) *epist.* 59.
(5) *n.* 19.
(6) *de schism. Donat. lib. I.* §. 19.
(7) *ibid.* §. 16.
(8) *contra litt. Petil. lib. III. c.* 25. *et alibi*

CAECILIANVS. hic quum esset Archidiaconus Ecclesiae Carthaginiensis, suffragio totius populi electus, a Felice Autumnitano sive Aptugnensi, ut Augustinus vocat, Episcopus consecratus est anno CCCXI. competitores habuit primum Botrum et Caelestinum (9), deinde Majorinum et Donatum, unde schismatis incrementum fuit. multa a Donatistarum factione perpessus, ac saepe accusatus, numquam cessit, et omnium sententiis absolutus est. quamdiu pontificatum gesserit, minus constat: vivebat certe anno CCCXXI. quo missum est Constantini Aug. Rescriptum ad Verinum Vicarium Africae: tum Concilio Nicaeno adfuisse anno CCCXXV. indicat laterculum subscriptionum a Labbeo editum: cui a Gelasio Cyziceno auctoritas additur, quum hic idem Caecilianum inter eos numeret (10), qui Concilio subscripserunt.

RVFVS. prodit hujus nomen opportune ex Concilio Romano sub Iulio anni CCCXXXVII. (11) nam inter Caeciliani et Grati consecrationem anni amplius triginta numerantur. quamquam de Concilio illo alii aliter sentiunt: ab Isidoro enim habemus; et temporum notas minus inter se congruentes deprehendimus. de eo multa ab Amadesio in primis disputata reperies (12).

GRATVS. hunc cum triginta amplius Episcopis Africanis Concilio Sardicensi adfuisse, testis est Athanasius (13): affirmat et Gratus ipse in Concilio, quod ipse Carthaginem convocavit anno CCCXXXXVIIII (14) id est biennio postquam inde redierat. hoc Pontifice Donatus in exsilium ejectus est, qui et exsul decessit. suffectus tamen huic a Donatistis fuit Parmenianus ab anno CCCLV. vel etiam serius.

RESTITVTVS. hic est, quem Martyrologium Romanum V. idus Dec. memorans, Martyrem appellat: quum tamen in Kalendario Carthaginiensi IIII. kal. Sept. scriptum sit *Depositio Restituti*, et Possidius Augustini Tractatus recensens, unum ex his hoc titulo inscriptum testetur, *De Depositione Restituti Episcopi Carthaginis.* interfuit anno CCCLVIIII. Concilio Ariminensi, legatusque cum aliis ad Augustum (15), apud Nicen Thraciae nefariam synodum celebravit, in qua cum Ursacio et Valente Arianis Episcopis sentire se professus est. subinde tamen resipuisse, et in Catholica Ecclesia multis insignem virtutibus defunctum esse, extra controversiam est.

GENECLIVS qui et GENETHLIVS. hunc Pontificem renunciatum esse ante an. CCCLXXXI. in comperto est. nam eo anno Felicem et Numidium ad synodum Aquilejam legavit. bina idem concilia Carthaginem coegit: nam de priore sic in altero meminit (16): *Omnipotenti Deo gratias refero, qui permisit, ut secundum commune Concilium habitum in praeterito, et juxta tenorem petitionis litterarum mearum ad Carthaginem pro fide atque utilitate Ecclesiastica veniretis.*

AVRELIVS. Diaconus quum esset Ecclesiae Carthaginiensis, ad Pontificatum evectus est anno CCCLXXXXI. aut sequenti : nam idem an-

(9) Optat. *lib. I.* §. 17.
(10) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 423.
(11) *ibid. p.* 567.
(12) *Antist. Ravenn. Chron. T. I. a p.* 37.
(13) *in Apolog. II.*
(14) apud Hard. *ibid. p.* 686. *can. V.*
(15) *ibid. p.* 719.
(16) *ibid. p.* 951.

no CCCLXXXXIII. primo eorum Conciliorum praefuit, quae deinde ad viginti celebravit (17). adversarium habuit Primianum, quem Donatistae in Parmeniani locum suffecerant, ultimum tamen sectae illius ducem. vicesima synodus sub Aurelio coacta est anno CCCCXXIII. et supervixisse ad annum CCCCXXVI. declarat epistola ejus et aliorum Episcoporum Africae ad Episcopos Galliae de caussa Leporii (18). inter praeclara ejus facta insignis fuit consecratio templi Deae Caelestis, quod superstitionis tempore Paganus Pontifex Aurelius primum dedicaverat, ipse autem in usum verae religionis expiavit. itaque, ut scribit auctor libri *de Praedictionibus: Quum sancta Poschae sollemnis ageretur festivitas, collecta illic, et undique omni curiositate etiam adveniens multitudo, sacerdotum multorum pater et dignae memoriae nominandus antistes Aurelius, caelestis jam patriae civis, cathedram illic loco Caelestis et habuit et sedit.* haec ille, sive Prosper, sive alius, qui tum se adfuisse testatur. lib. III. c. XXXVIII.

CAPREOLVS. exstat epistola ejus ad synodum Ephesinam, ad quam et Besulam Diaconum legavit anno CCCCXXXI. (19) tum aliam ejusdem epistolam primus edidit Sirmondus (20), qua respondit Vitali et Constantio Hispanis, Nestorio jam damnato, fortasse post annum CCCCXXXV. synodum enim Ephesinam sic memorat, ut rem non admodum recentem faciat.

QVODVVLTDEVS. designatus hic fuisse videtur circa an. CCCCXXXVI. nam quo anno capta est a Vandalis Carthago, (is fuit annus CCCCXXXVIII.) eo Victor Vitensis Quodvultdeum Carthaginis Episcopum fuisse ait (21), *Deo et hominibus manifestum*, quae virum, opinor, indicant aliquot jam annos pontificatu sancte perfunctum. eum mox Gensericus *et maximam turbam clericorum navibus fractis impositos, nudos atque expoliatos expelli praecepit: quos Deus miseratione bonitatis suae prospera navigatione Neapolim Campaniae perducere dignatus est civitatem.* qua in urbe eum decessisse, in Martyrologiis legimus.

DEOGRATIAS. Valentiniano Aug. *supplicante*, sic enim Victor scribit (22), *Carthaginiensi Ecclesiae post longum silentium desolationis Episcopum ordinari* passus est Gensericus, anno CCCCLIIII. in Tironis Prosperi Chronico annum, diem, locum consignata accepimus (23): *Aetio et Studio Cos. Carthagine ordinatur Episcopus Deogratias in Basilica Fausti, die Dominico, VIII. kal. Nov.* eundem functum sacerdotio annis tribus, testatur Victor: itaque decessisse dicendus est anno CCCCLVII. sed quia in Kalendario Carthaginiensi *Depositio* ejus nonis Ianuariis adscribitur, mors ejus fortasse ad annum sequentem pertinet: eique pontificatus tribuendus est annorum trium, mensium duorum, dierum decem.

EVGENIVS. de Rege Hunerico, qui patri Genserico successerat, scribens Victor, *Dedit*, inquit (24), *licentiam, Zenone Imperatore atque Placidia relicta Olibrii rogantibus, ut Carthaginiensis Ecclesia sibi quem vellet*

(17) *ibid. a p.* 953.
(18) *ibid. p.* 1261.
(19) *ibid. p.* 1419.
(20) *Op. var. T. I. p.* 215.
(21) *lib. I. P. Vand. c.* 5.
(22) *lib. I. c.* 8.
(23) apud Canis. *ant. lect. T. I.*
(24) *lib. II. c.* 1.

Episcopum ordinaret, quae jam per viginti quatuor annos tali ornamento fuerat destituta. designatus igitur est Eugenius anno CCCCLXXVIII. quinto post anno, Regis Hunerici praecepto, indictus fuit Eugenio ceterisque Africae Catholicis Episcopis conventus ille Carthaginiensis, quem exsilia consequuta sunt. vixisse autem Eugenium usque ad annum DV. Victor Tonnonensis in Chronico suo adnotavit: eumque partim in exsilio, partim Carthagine vitam exegisse, ex Tironis Prosperi Chronico ediscimus: ubi revocatum Eugenium traditur anno tertio Regis Guntamundi, id est anno CCCCLXXXVII. quamquam in exsilium rursus a Trasamundo ejectus, qui regnare coepit anno CCCCLXXXXVI. in Galliis obiisse dicitur (25). de quibus in Annalibus accuratius agemus.

Hic vero erunt fortasse, qui locum deberi putent FABIO FVRIO FVLGENTIO PLANCIADAE, qui libros tres *Mythologiarum* scripsit, item *Allegoriam librorum Virgilii* et libellum *de prisco sermone.* nam hunc in scholiis Grammaticorum Carthaginis Episcopum fuisse legimus. quin etiam in codice perantiquo Bibliothecae meae Clarensis post librum ejus tertium Mythologiarum *ad Catum Presbyt. Carthag.* haec sunt eadem, qua priora, manu perscripta: *Iste Fulgentius primo quidem vir clarissimus philosophicae disciplinae affatus distribuens sapientibus amabilis et amicus, postea vero tempore Anastasii Imp. Episcopus Carthaginiensis civitatis est ordinatus.* quamobrem, si haec starent, omnino post Eugenium numerandus esset. at quis credat, quo tempore Ecclesia Carthaginiensis maximis calamitatibus opprimebatur, et Trasamundi lege Catholici omnes ab Episcopis creandis abstinere jubebantur, quis, inquam, credat, hominem Mythographum, Apuleii imitatorem, esse delectum, qui tantam Ecclesiam regeret, solaretur, defenderet? fabulam equidem sic ortam duxerim, quod clarum nomen Fulgentii Ruspensis esset, qui saepe Carthagine versatus est; Planciadem autem constaret libellos suos ad Catum Presbyt. et Chalcidium Diaconum Carthaginienses misisse. ceterum in antiquis Fastis nulla Planciadae mentio; nec tum Carthagine de Episcopo designando sine periculo agi poterat.

BONIFACIVS. proximus quidem Eugenio, sed longo intervallo, nec ante annum DXXIII. creatus hic est consecratusque in Basilica sancti Martyris Agilei, postquam *mirabilis bonitas Hilderici regnare incipientis, Ecclesiae per Africam constitutae libertatem* restituerat (26). idem anno DXXV. concilium totius Africae Carthaginem vocavit (27). hoc Pontifice Africa a Iustiniano Aug. recepta anno DXXXIII. at Bonifacii emortualis fuit, qui alter proxime consequutus est, DXXXV.

REPARATVS. eodem hic anno creatus, quo decessor obierat, eodem et Concilium Carthagine celebravit, et synodicas litteras ad Ioannem II. Pontificem maximum misit (28). sed anno DLI. Constantinopolim vocatus, quum alienum se a trium capitulorum damnatione praebuisset anno post

(25) Ruinart. *Hist. Pers. V. nd. P. II. c.* 8. *n.* 7.
(26) auct. *v. s. Fulg. c.* 28.
(27) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1071.
(28) *ibid. p.* 1154. *et* 1177.

loco motus ẻt in exsilium missus est, alio tamen titulo: nam, ut Clerici Italiae Legatis Francorum scripsere (29), *Concinnata est caussa sancto Reparato Episcopo Carthaginiensi, quasi Areobindam magistrum militum a Guntarit tyranno in Africa fecisset occidi.*

PRIMASIVS, qui et PRIMOSVS. fuerat hic Constantinopoli Apocrisiarius Reparati: de cujus electione iidem illi Italiae Clerici haec habent: *Mittunt etiam ad Carthaginem, et alium in loco sancti Reparati Episcopi contra omnes regulas et contra omnia statuta Patrum Episcopum ordinari fecerunt.* anno DLIII. Primasii nomine interfuit Concilio Constantinopolitano II. (30) Sextilianus Episcopus Tuniensis. quo anno decesserit Primasius, incertum puto. neque enim Pinius (31), qui eum obiisse affirmat ante Reparatum anno DLXII. unde id didicerit, vel uno verbo indicavit. nec credibile est, Victorem Tonnonensem Primasii adversarium, qui saepe in contrariae factionis calamitatibus recensendis prope triumphat, silentio praeteriturum fuisse, quae caussae suae favebant: praesertim quum ipsius Reparati mortem accurate consignaverit. itaque post Iustinianum rejicienda Primasii mors, sive post annum DLXV. quo Victoris Chronicon desinit.

PVBLIANVS. quo hic anno creatus fuerit, non liquet. nec tamen tempora non patiuntur, ut Primasio proximus successisse credatur. mentio ejus fit in Tiberii Aug. Pragmatico, quod anno DLXXXI. emissum est. quare tum Publianus, siquidem a Primasii morte Episcopus factus fuerit, Pontificatus sui annum XV. plus minus agebat.

DOMINICVS. Publiani successor haberi hic potest, nec immerito. nam de Dominico meminit Gregorius Magnus ab anno DLXXXXI. (32) eundemque in Episcopatu prope senem declarat: sic enim de caritate ejus decursu temporis nutrita ad ipsum scribit: *Quam, miserante Domino, contemplatione sacerdotii, lectionis usu, aetatisque in vobis cognoscimus jam maturitate fundatam.* vixisse eundem ultra Septembrem mensem anni DCI. Gregorius idem testatur, qui ei hoc anno et mense per litteras gratulatus est (33), quod ex gravi morbo convaluisset.

FORTVNIVS. hujus certum decessorem haud novimus: nam Dominicus nimium distat. Fortunium quippe Episcopum Carthaginis fuisse, quo tempore Patriarcha Constantinopolitanus erat Paullus II. qui decessit anno DCLV. locus quidam Concilii III. Constantinopolitani Actione XIII. declarat, ubi obiter de eo sic injecta mentio est (34): *Constantinus Deo amabilis presbyter et grammaticus Latinus dixit: Scio, domine, temporibus Paulli quondam Patriarchae venisse Fortunium, qui fuit Episcopus Carthaginiensis; et quum Missas acturus esset in sancta magna Dei Ecclesia, quaesitum est, quomodo sedere debuisset etc.* porro Paullus ille Pontificatu functus est annos XIII. tantum: ut Fortunius Constantinopolim petiisse dicendus sit post annum DCXXXXII.

(29) *ibid. T. III. p.* 48.
(30) *ibid. p.* 51.
(31) *in Optato Geogr. sacr. p.* 31.
(32) *lib. II. ep.* 47.
(33) *lib. XII. ep.* 1.
(34) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 1363.

VICTOR. hic Fortunium omnino excepit: habemus enim epistolam ejus, quam scripsit Theodoro Pontifici maximo circa an. DCXXXXVI. tum in Concilio Lateranensi, in quo prolata est (35), Victorem etiamtum superstitem fuisse traditur, anno scilicet DCXXXXVIIII. extremo, quo jam Martinus Theodori successor concilium vocarat. ac diem etiam, quo Victor Ecclesiae Carthaginiensi praefectus fuerat, ipse in eadem epistola sic designat (36): *Significamus Deo placitae Fraternitati vestrae, die decimo septimo kalendarum Augustarum Indictionis quartae,* idest anno DCXXXXVI. *nostram humilitatem divina gratia suo ut praecepit munere praeveniente, et vestris sanctis ac Dei dignis precibus, in sancta Carthaginiensis civitatis Ecclesia Pontificalis honoris accepisse consecrationem et stolam.* at quamdiu eo honore potitus sit, prope ignoramus. illud affirmare licet, Pontificatum ejus in calamitosissima tempora incidisse: anno enim illius secundo armis Saracenorum oppressa Africa est maximo Ecclesiae damno, et summo Christiani nominis exitio. itaque illud quoque ignotum est, num a Victoris morte successor designari potuerit.

THOMAS. quatuor post saecula, id est anno MLIIII. nomen hujus nobis suppeditat Leo VIIII. Pontifex maximus, apud quem Thomas questus fuerat de Episcopo Gummitano, quod secum de dignitate certaret. sic quippe ad eum rescripsit Leo (37): *Noveris ergo procul dubio, quia post Romanum Pontificem primus Archiepiscopus et totius Africae maximus Metropolitanus est Carthaginiensis Episcopus: nec quicumque sit ille Gummitanus Episcopus, aliquam licentiam consecrandi Episcopos vel deponendi, seu provinciale Concilium convocandi habet sine consensu Carthaginiensis Archiepiscopi, cujuslibet dignitatis aut potestatis sit, exceptis his, quae ad propriam parochiam pertinent: cetera autem, sicut et alii Africani Episcopi, consilio Carthaginiensis Archiepiscopi aget.* concilium ab eodem cum ceteris Episcopis, qui non amplius quatuor erant, habitum esse, declarat Leo idem in epistola (38) ad Petrum et Ioannem Episcopos, quibus et laudem impertit, quod dignitatem Ecclesiae Carthaginiensis defendissent. ceterum neutra in epistola Thomam Archiepiscopum Carthaginiensem appellat, sed tantum Episcopum Africanum, nisi potius existimandum est, veteres epistolarum titulos periisse.

CYRIACVS. pertinet hic ad annum MLXXVI. quo ad eum scripsit Gregorius VII. Pontifex maximus (39), diserte Carthaginiensem Archiepiscopum appellans: rogavitque, quando tota Africa binos tantum Episcopos tunc haberet, ut tertium eligerent, consecrationisque caussa Romam mitterent: quo deinde ipsi jam numero tres *necessitati Ecclesiarum, ut sancti canones praecipiunt, Episcoporum Ordinationibus succurrere* possent. quid hi praestiterint, quae vices Ecclesiae Carthaginiensis fuerint, nemo jam est, qui doceat, aut lucem aliquam in tantis ejus aevi tenebris praeferat. illud tamen

(35) *ibid. p.* 754.
(36) *ibid. p.* 755. v. *in ann. an.* 651.
(37) *ibid. T. VI. p.* 949.
(38) *ibid. p.* 950.
(39) apud Hard. *T. VI. p* 950.

de Cyriaco accepimus, eum a Saracenis, apud quos Christiani accusarant, nudum verberibus esse caesum, et furtorum ignominia notatum. qua de re accusatores Gregorius idem graviter reprehendit (40).

Quarto fere post saeculo aliquot rursum occurrunt Carthaginienses Episcopi, sed plerique omnes ornamentarii, qui Carthaginem numquam viderint. eorum tamen nomina hic cieri placet, ne quid de Africae Christianae rebus consulto omisisse videamur (41).

IACOBVS de Padula an. M.CCCC.LXI. (Wading. *T. XIII. p. 193.*)

LVDOVICVS de Padula an. M.CCCC.LXII. (idem *ibid. p. 280*).

LEONARDVS an. M.CCCC.LXXV. (*Cod. acc. Canc. Apost. in Arch. Vatic. n. 704. p. 20*)

BERNARDINVS an. M.D.XVIIII. (*Act. Consist. T. 108. p. 47.* Wading. *T. XVI. p. 88.*)

DIDACVS Requesens Archimandr. Messan. an. M.DC.XXXVII. (*Act. Cons. T. 157. p. 196. etc.*)

SCIPIO Costaguiius an. M.DC.XXXXVIII. (*Act. Cons. T. 131. p. 72.*)

LAVRENTIVS Trottius Alexandrin. an. M.DC.LXVI. (*Act. Cons. T. 132. p. 285. etc.*)

IACOBVS NICOLAVS Colbertus an. M.DC.LXXX. (*Act. Cons. T. 134. p. 85. etc.*)

CORNELIVS Bentivolius Ferrar. an. M.DCC.XII. (*Brev. Clem. XI. T. 2. p. 444. etc.*)

FRANCISCVS HIERONYMVS an. M.DCC.XXXI. (*Act. Cons. S. Colleg. etc.*)

CHRISTOPHORVS Migazzius an. M.DCC.LII. Cardin. Archiep. Vindob.

IOANNES Devotus ab an. M.DCCC.IIII.

(40) *epist. 22. lib. I.*

(41) *Haec suppedit Marinius vir opt.*

II. ABARADIRENSIS

Vrbem Abaradiram in provincia Byzacena fuisse, una nos edocet *Notitia provinciarum et civitatum Africae*, quam primus vulgavit Sirmondus (1), ultimus edidit, enucleateque exposuit Ruinartius (2). de situ ejus nihil exploratum: at prope fluvium fuisse, nomen ipsum indicat: nam Bochartus idem esse *Abaradiram* ait (3), atque *Trajectum gregis.* neque vero Episcopos ejus praeter unum demonstrare licet, qui pertinet ad annum CCCCLXXXIIII. quo anno tot illos Episcopos Carthaginem vocavit Rex Hunericus, ut coram Arianis Episcopis disputarent, et professionis Catholicae rationem redderent. tum nempe inter ceteros adfuit ab urbe Abaradira

PRAEFECTIANVS. enimvero quum multis Episcopis, qui in illa Notitia cientur, adscriptum poenae genus sit, quam subiissent, exempli caussa *Exilium*, *Metallo*, *Corsica*, huic nostro et aliis bene multis appositum in codice legitur *Prbt.* (4) quod Sirmondus edidit *Per.* ratus scilicet a librario

(1) *Op. var. T. I.*

(2) *post. Vict. Vitens.*

(3) *Geogr. Chan. lib. I. c. 24. p. 482.*

(4) v. Ruin. *in praef. ad Notit.*

esse illud *Prbt.* neque enim Honericos Presbyteros, sed Episcopos coëgerat; et legendum esse *Periit*, qood is, cui adscripta ea nota esset, io itinere ipso aut io exsilio diem suum obiisset. rem ita esse, confirmat nomerus eorum, qui periere, ad calcem appositus: *Ex quibus perierunt numero LXXXVIII.* qnot nimirum io Notitia occurront, ea nota insigoes; quo titulo tota, opinor, controversia dirimitur. itaque Praefectianum ioter eos oumerandum apparet, qui Episcopatum suum post taotam illam cladem oon reviserunt, caelestem pro eo patriam adepti, quam sibi praeclara coofessione pepereraot. neque enim admitti potest, quod Tillemontius suspicatus est (5), nota illa designatos esse, qni poenae metu ad Arianos defecisseot. neminem quippe ex omni Episcoporum numero, qoi tantam macolam sosceperit, usquam memorat Victor, a quo tota illa malornm series accurate explicata est; idemqoe e contrario seoes quosdam et infirmos ab equitatu Hnnerici contritos tradit ( ), quibus eam notam uppositam merito credas, ut aliis fortasse oon minus, qui fame aut vexatiooe cruciati circa exsilii tempus interieraot.

(5) *Mem. Eccl. T. XVI. p.* 567. (6) *Pers. Vand. lib. III. c.* 3.

III. ABARITANVS

Abaram recenset Notitia in proviocia Proconsolari: ad vadum fluminis conditam dixeris, si oomen spectes. nam *Abara* Punice *vadum* est sive *trajectus* (1). paludem etiam ei adsitam Plinius significare videtur, qoi arondines piscatorias Abaritanas commendat (2). Episcopus fuit

FELIX anno CCCCLXXXIIII. e Confessorum oumero, qui ab Hunerico in exsilium missi sunt, ut in Notitia legimus. hunc euodem esse putabat Roinartius (3), atque illum, qoem Victor memorat (4), et quadraginta quatuor annorum episcopatu veuerabilem, qoum propter paralysim incedere non posset, toto itinere piorum sociorum manibns portatum scribit. Ruinartio tamen non assentior: nam praeterqnamqood Victor *Abbiritanum* appellat, inter eos etiam nnmerat, qui ante Episcopornm conventum ab Hunerico indictnm missi in exsilinm fueraot: quos ioter Felix hic noster esse ooo potuit, quum io eorum serie censeatnr, qui postea Carthaginem conveoeront, eodem Victore teste, qoi Regis ipsius praeceptum subinde refert (5).

VRSVS. honc, qui anoo DCCLXXXVII. Concilio Nicaeno II. sobscripsit velut *Episcopus sanctae Avaritianensium Ecclesiae,* Harduinus (6) Abaritanum in Africa Episcopom facit: in quo illi minime adqoiesco: nec tamen nominis caussa; oam scio in Africanis hujusmodi appellationibus litteras quasdam saepe variare: sed quia Episcopos Africanos Concilio illi interfuisse noo reperio; tum etiam quod ea aetate, Saracenis jamdiu Africae

(1) Boch. *Geogr. sacr. Lib. I. c.* 24.
(2) H. *N. lib. XVI. c.* 36.
(3) *in not. ad Notit. Procos. n.* 2.
(4) *lib. II. c.* 8.
(5) *ibid. c.* 13.
(6) *in Ind. Geogr. Episcopat.*

dominantibus, paucas admodum Ecclesias superstites fuisse scimus, nec Episcopo itandi ad Concilia jus et copiam factam esse, credibile est. et erat *Avara* in Arabia, itemque *Avaricum* in Gallia, unde Avariciauensis, sive Avaritiauensis Episcopus dici potuit.

IIII. ABBENZENSIS

Abbenzam in Zeugitana fuisse, non obscure indicat Victor Vitensis, ubi de Valeriano Episcopo agit, de quo infra dicemus. nam Proculum quemdam a Genserico in Zeugitanam missum ait, *qui coartaret ad tradendum ministeria divina vel libros cunctos, Domini sacerdotes.* tum Abbenzam protinus et ejus Episcopum memorat. itaque alibi quaerenda non est, eamque jure Harduinus provinciae Proconsulari adtribuit. intactam a scelere Donatistarum fuisse, testatur in Collatione Carthaginiensi Episcopus ejus diserte professus (1), *Vnitatem habeo.* nomen Episcopo fuit

FORTVNATVS. is anno CCCCXI. inter alios Episcopos Carthagine adfuit coram V. C. Marcellino Tribuno et Notario, quum in Secretario Thermarum Gargilianarum disceptationes habitae sunt inter Catholicos et Donatistas, quae *Collatio Carthaginiensis* appellantur, et trium dierum Cognitionibus concluduntur (2).

VALERIANVS. vivebat sub Genserico circa annum CCCCLX. a quo jam senex crudeli exsilio affectus est. eum Martyrologia celebrant partim IIII. kal. Decembr. partim XVIII. kal. Ianuar. sed in primis Victor Vitensis casum ejus extremum egregio testimonio nobilitavit (3): *Tunc etiam,* inquit, *sanctus Valerianus Abbenzae civitatis Episcopus, dum viriliter, sacramenta divina ne traderet, dimicasset, foras civitatem singularis jussus est pelli: et ita praeceptum est, ut nullus eum neque in domo, neque in agro dimitteret habitare: qui in strata publica multo tempore nudus jacuit sub aëre. annorum autem erat plus octoginta, quem nos tunc indigni in tali exsilio meruimus salutare.* idem fortasse Concilio Chalcedonensi interfuerat: nam ille videtur, qui ultimus legitur in subscriptionibus, quas ex codice Maffeiano descripsit Sirmondus.

(1) *Cognit. I. n.* 133.
(2) v. Balduin. *Hist. Coll. Carth.*
(3) *Pers. Van. lib. I. c.* 12.

V. ABBIR MAIORIS

Gemina urbs Abbir fuit in provincia Proconsulari, haec et quae protinus sequitur: atque utraque, Punico nomine inflexo, Abbiritana civitas dicebatur, sed haec *major,* altera *Germaniciana.* ceterum neutram veteres Geographi memorarunt, aut certe aliis appellationibus designavere. anno CCCCXI. in Episcopatu Abbir majoris nullus erat Donatista Episcopus, quemadmodum Episcopus ejus Catholicus in Collatione Carthaginiensi af-

firmavit, his verbis (1): *Catholica est sola,* Ecclesia scilicet. hujus porro erat nomen

FELIX I. qui Abbiritanorum majorum Episcopus appellatur, et Concilio Carthaginiensi sub Aurelio se adfuisse confirmat, ac Mandato cum aliis subscripsisse, quod factum fuerat (2), ut septem Episcopi totidemque Consiliarii et quatuor Custodes, Collatione indicta, Ecclesiae Catholicae partes tuerentur; quod nempe praestitere anno CCCCXI.

FELIX II. hic ille est Felix, quem Abaritanum faciebat Ruinartius: de quo insignis est locus apud Victorem Vitensem. nam bic ante quam de praecepto Regis Hunerici scribat, quod prodiit an. CCCCLXXXIIII. *ad exsilium eremi* paullo ante destinatos quamplurimos tradit, *Episcopos, Presbyteros, Diaconos et alia Ecclesiae membra, idest quatuor millia nongentos septuaginta sex.* tum de Felice haec addit (3): *In quorum erat numero beatus Felix Abbiritanus Episcopus, habens jam in Episcopatu quadraginta quatuor annos, qui paralysis morbo percussus, nec sentiebat quidquam, nec penitus loquebatur. de quo nos maxime cogitantes, quod non posset jumento portari, suggessimus, ut a suis Rex peteretur, ut saltem eum propere moriturum Carthagine esse juberet, quin ad exsilium nulla posset ratione perduci. quibus ita fertur Tyrannus cum furore dixisse: Si animali sedere non potest, jungantur boves indomiti, qui eum colligatum funibus trahendo perducant quo ego praecepi. quem ex transverso super burdonem vinctum, quasi quemdam ligni truncum, toto itinere portabamus.*

ADEODATVS. hic saeculo septimo subscripsit epistolae, quae a Guloso, Probo et ceteris Episcopis sancti Concilii Proconsularis missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum de haeresi Monotheletarum, quaeque in Concilio Lateranensi prolata est (4) anno DCXXXXVIIII. ejus autem subscriptio fuit hujusmodi: *Adeodatus gratia Dei Episcopus sanctae Ecclesiae Abbiritanae* (5).

(1) *Cognit. I. n.* 133.
(2) *Cognit. I. n.* 55.
(3) *lib. II. c.* 8.
(4) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 742.
(5) *ibid. p.* 750.

VI. ABBIR GERMANICIANAE

Haec civitas et *Abbir minor* dicta videtur, ut quum binae una in provincia cognomines essent, eas appositum brevius distingueret. illa vero altera appellatio illi fortasse haesit a militibus Germanicianis, id est qui in Germania militaverant, postquam eo in coloniam deducti essent, a Galba, ut opinor, Proconsule, quem ante Principatum legionibus Germanicis praefuisse constat (1), et extra sortem electum, exinde ad ordinandam Africam, intestina dissensione et barbarorum tumultu inquietam, missum esse (2): quo etiam tempore oppidum Numidiae *Castra Galbae* dici coe-

(1) Plutarch. *in Galb. p.* 1054. *B.*
(2) Svet. *in Galb. c. VII. n.* 3.

pit. porro Abbir Germaniciana a Cypriani temporibus Episcopum habebat. hic fuit

SVCCESSVS. interfuisse hunc Concilio Carthaginiensi, quod tertium de Baptismo Cyprianus convocavit, apparet ex sententia XVI. ejusdem Concilii, quae ipsi Successo tribuitur (3). sentiebat autem cum Cypriano, Haereticos iterum baptizandos esse. actum Concilium illud est anno CCLV. idem autem anno CCLVIII. Martyr obiisse putatur.

ANNIBONIVS. hic Collationi Carthaginiensi adfuit anno CCCCXI. quo item aderat Felix I. Episcopus Abbiritanorum majorum. quia vero Concilio Carthaginiensi, in quo Mandatum factum fuerat, praesens non subscripserat, alio modo in Cognitione prima subscripsit, id est *Mando et consentio;* nam ceteri qui Concilio adfuerant, subscripsere, *Mandavi et subscripsi.* appellatur tantum *Abbiritanus* (4), quod jam alter discrimen habebat perspicuum in apposito *Majorum.*

CANDIDVS. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi, quod XVIII. eorum est, quae sub Aurelio Episcopo celebrata sunt, pertinetque ad annum CCCCXVIII. subscripsit autem hoc pacto: *Candidus Abbiritanus, alias Germanicianorum* (5).

(3) Hard. *Conc. T. I. p.* 166.
(4) *Cognit. I. n.* 209.
(5) Hard. *ibid. p.* 1252. v. et Mans. *T. I. Suppl. Conc. p.* 307. *B.*

VI. ABIDDENSIS

Oppidum Abiddense in provincia Byzacena collocat Harduinus: nec immerito; idem enim videtur atque *Avitta*, quam ultra Sisaram paludem ad meridiem sitam indicat Tabula Peutingeriana atque ipse Ptolemaeus. nec litterarum discrimen multum valere debet: nam apud Afros impune alternant B et V, D et T, S et Z. simplices etiam et geminae ut S et SS, T et TT, aliaeque hujusmodi. itaque *Abitta* et *Abita* et *Avidda* et *Abidda* idem sunt. rem confirmat subscriptio Episcopi Abitensis in Concilio Donatistarum Cabarsussitano, id est in provincia Byzacena, quod coactum est a Maximianistis contra Primianum an. CCCLXXXXIII. erat autem Abittae Episcopus

TERTVLLVS Donatista ex nova factione Maximianistarum. nomen hujus legimus in synodica ejus Concilii, quam refert Augustinus (1).

HONORATVS. venit hic Carthaginem ad Collationem an. CCCCXI. et in illo conventu testatus est, Ecclesiam suam sibi totam parere (2): *Praesto,* inquit, *sum, Episcopum contra me non habeo ibi.* unde liquet, Tertullo neminem e secta ejus successisse, aut brevi esse sublatum.

(1) *in Psalm. XXXVI. Serm. II. n.* 20.
(2) *Cogn. I. n.* 126.

VII. ABISSENSIS

Quibus in finibus fuerit *Abissa* sive *Avissa,* minus compertum arbitror; esto, Harduinus provinciae Byzacenae adtribuerit: quod nempe, ut opinor,

in Collatione Carthaginiensi post Episcopum Abissensem proximus eieatur Zellensis, qui extra controversiam in Byzacena erat.

VICTORIANVS. adfuit hic Collationi an. CCCCXI. inter Donatistas, et electos a factione sua, qui cum Catholicis disputarent, usitata formula probavit (1): *Mandavi et subscripsi.* idem autem et illud adjecit: *Adversarium habeo in dioecesi mea.* unde discimus, in Ecclesia Abissensi Catholicum quoque Episcopum tnm fuisse: qui tamen aut sontica caussa impeditus Cognitionibus Carthaginiensibus non interfuit, aut certe sub alio aliquo nomine latet: neque enim dubium est, non omnes urbium, quae in Collatione occurrunt, appellationes carere mendo. in Conciliis vero Abissensem Episcopum nusquam legi.

(1) *Cognit. I. n.* 163.

VIIII. ABITINENSIS

Abitinae urbs et colonia in provincia Proconsulari, nec longe a Membresa. eam in primis Diocletiani aevo illustrarunt Martyres Abitinenses Saturninus Presbyter, Felix, Dativus, Ampelius et socii, quorum Acta antiqua a Ruinartio et Baluzio habemus (1). Concilium ab iis in carcere per ea tempora celebratum, Acta eadem indicant, in quo sancitum traditur, ne communio ulla esset cum iis qui sacros codices ethnicis scrutatoribus prodidissent. porro Abitinenses Augustinus quoque non semel memorat (2), a quibus magnas plagas et contumelias Salvio Membresitano Maximianistae inlatas scribit, quum essent ipsi sectatores Primiani.

SATVRNINVS. Concilio hic adfuit, quod Carthagine tertium actum est de Baptismo sub Cypriano, id est anno CCLV. sententiamque sexagesimus quartus dixit secundum Cyprianum (3): cujus Augustinus quoque meminit (4).

FVNDANVS. hic miser loco excidit, sacris codicibus proditis. quam rem sic Acta Martyrum Abitinensium perstringunt (5): *In isto namque foro jam pro scripturis Dominicis dimicaverat caelum, quum Fundanus civitatis quondam Episcopus scripturas Dominicas traderet exurendas: quas quum magistratus sacrilegus igni apponeret, subito imber sereno caelo diffunditur, ignis scripturis sanctis admotus exstinguitur etc.* haec autem contigerant ante annum CCCIII.

VICTOR. venit hic Carthaginem ad Collationem, Concilio jam peracto, an. CCCCXI. cieturque inter eos, qui Mandato praesentes non subscripserant: quorum quisque accedens hac usus est formula, *Mando et consentio* (6). erat autem Episcopus Catholicus, at adversarium Abitinis habebat Maximum Donatistam, qui maturius Carthaginem se contulerat, ut subscriptionis formula declarat, *Mandavi et subscripsi* (7).

(1) Baluz. *Misc. T. II. p.* 56. Ruin. *Act. MM. Sinc. p.* 409.
(2) *lib. III. contra Parmen. c.* 6.
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 174.
(4) *de Bapt. contra Donat. lib. VII. c.* 28.
(5) apud Baluz. *n. III.*
(6) *Cognit. I. n.* 215.
(7) *Cognit. I. n.* 201.

GAVDIOSVS. hunc circa an. CCCCXXXX. a Genserico in exsilium ejectum esse accepimus, quando et Quodvultdeus Episcopus Carthaginiensis et alii cum eo multi Confessores exulare coacti sunt: *Quos Deus*, ut scribit Victor (8), *miseratione bonitatis suae prospera navigatione Neapolim Campaniae perducere dignatus est civitatem.* auctor vitae s. Agnelli Abbatis haec obiter de Gaudioso nos docet, quae Baronius primum in Annalibus, deinde ex eo Ruinartius protulit (9): *Agnellus*, inquit, *Abbas electus in monasterio, quod beatus Gaudiosus cognomento Septimus Caelius, sanctae Bitinensis Ecclesiae Pontifex in Africa, condere studuit in hac Parthenopea civitate, eo tempore, quo ex Africae partibus advenit cum sancto Quodvultdeo et ceteris Praesulibus fugiens persecutionem Vandalorum.* plura de eodem investigavit Ruinartius, nec ambigendum est, scriptum esse *Bitinensis* pro *Abitinensis:* nusquam enim Bitinensem Ecclesiam in Africa reperias; et congruum est Abitinensem Episcopum Carthaginiensi sociatum fuisse propter loci vicinitatem, quum uterque ex eadem provincia essent. Gaudiosi mortem refert Ughellus in annum CCCCLIII. eumque Neapoli sepultum ostendit (10).

REPARATVS. convenit hic Carthaginem ad synodum, quam Bonifacius vocavit anno DXXV. subscripsitque cum ceteris Episcopis quinquaginta octo, ut Acta declarant (11).

AVGVSTALIS. hujus nomen apparet inter Episcopos provinciae Proconsularis, qui Paullo Patriarchae Constantinopolitano praeclaram illam epistolam adversus errores Monotheletarum misere: quae in Concilio Lateranensi recitata est anno DCXXXXVIIII. (12) subscriptio ejus est, *Augustalis gratia Dei Episcopus sanctae Ecclesiae Abitinensis ut supra.*

(8) *Pers. Vand. lib. I. c.* 5.
(9) *in Hist. Pers. Vand. P. II. c.* 9.
(10) *T. VI. Ital. sacr. in Archiep. Neap.* v. et *Annal. Camald. T. II. p.* 218.
(11) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.
(12) *ibid. T. III. p.* 749.

X. ABORENSIS

Erat Abora in provincia Proconsulari: hanc Plinius enumerat inter oppida civium Romanorum, id est municipia, et in mediterraneo sita (1). eandem Suidas designare videtur, quum ait, Αβωρα ονομα τοπȣ. de Catholica professione Aborensium exstat praeclarum testimonium in Collatione Carthaginiensi, in qua Episcopus ejus affirmavit, nullum illic Donatistis aditum apertum esse: *Nomen*, inquit, *si illic auditum fuerit Donatistarum, lapidatur.* erat tum Episcopus

TRIFOLIVS. interfuit hic et Concilio et Collationi an. CCCCXI. itaque ea usus est formula, *Suprascripta mandavi et subscripsi* (2).

FELIX. subscripsit hic epistolae, quae circa an. DCXXXXVI. ab Episcopis provinciae Proconsularis missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum, ut Acta Concilii Lateranensis ostendunt (3).

(1) H. *N. lib. V. c.* 4.
(2) *Cognit. I. n.* 133.
(3) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 750.

xI. ABSASALLENSIS

Ignotum Geographis oppidnm Absasalla: in provincia tamen Proconsnlari fuisse, compertnm est. hujus Episcopus saeculo septimo erat

DOMINICVS. nomen hujus legimus inter Episcopos provinciae Proconsularis, qui scripsere ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum: quorum epistola recitata est in Concilio Lateranensi anno DCXXXXVIIII. (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 750.

xII. ABTVGNENSIS

Variat apud scriptores veteres oppidi nomen: Autumnitanum appellat Optatus(1), Augustinus Aptugnense dicit(2), in Rescripto Constantini Aug.(3) Aptugnitanum vocatur; tum non ubique semper eodem modo scriptum reperias. municipium erat, ut est in Actis Purgationis Felicis (4), in quibus et Duumviri ejus nominantur, pertinebatque ad provinciam Proconsularem: quod ipsa Caeciliani Ordinatio ab Episcopo Aptugnensi facta declarat: quo spectant Augustini verba (5): *Quum aliud habeat Ecclesiae Catholicae consuetudo, ut non Numidiae, sed propinquiores Episcopi Episcopum Ecclesiae Carthaginis ordinent.*

FELIX I. praeerat hic Ecclesiae Abtugnensi anno CCCXI. nam eo anno Caecilianum consecravit quum Donatistae eripere Caeciliano pontificatum vellent, commenti sunt, Felicem, qui eum ordinaverat, sacrorum codicum traditione contaminatum fuisse, ejusque criminis ergo consecrationem Caeciliani vitiosam atque irritum esse. propterea a Constantino Aug. jussus est Proconsul Aelianus de vita Felicis Autumnitani publice quaerere. acta caussa anno CCCXIIII. pronunciavitque Aelianus (6), *Felicem religiosum Episcopum liberum esse ab exustione instrumentorum, manifestum est, quum nemo in eum aliquid probare potuerit, quod religiosissimas scripturas tradiderit vel exusserit: omnium enim interrogatio suprascriptorum manifesta est, nullas scripturas deificas vel inventas, vel corruptas, vel incensas fuisse. hoc Actis continetur, quod Felix Episcopus religiosus illis temporibus* (Diocletiani) *neque praesens fuerit, neque conscientiam accommodaverit, neque aliquid tale fieri jusserit.* addit Optatus, *unde pulsa atque extersa infamia, cum ingenti laude de illo judicio recessit.*

MAGNVS. hic anno CCCXXXVIIII. sententiam octavo loco rogavit in Concilio Carthaginiensi sub Grato, quem in Decretalibus Lib. I. Tit. XVIII. dictum reperies *August.* mendose omnino: et cujus instantia factus est Canon *de obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.*

(1) *de Schism. Don. lib. I. n.* 27.
(2) *contra Crescon. lib. III. c.* 69.
(3) *ibid. c.* 70.
(4) apud Baluz. *Misc. T. II. p.* 81. *init. id erat V. I. fortasse quod oppidum Abutucense civium Romanorum appellat Plinius lib. V. c.* 4.
(5) *in Brevic. Collat. c. XVI. n.* 29.
(6) Optat. *ibid. lib. I. n.* 27.

FELIX. II. hic Collationi Carthaginiensi interfuit anno CCCCXI. et de Ecclesia sua testatus est (7), *Catholica est omnis.*

SATVRVS. nomen hujus occurrit inter Episcopos quinquaginta novem, qui subscripsere Concilio Carthaginiensi (8) anni DXXV. cui Bonifacius Episcopus praefuit. subscriptio est, *Saturus Episcopus plebis Abtugnensis.*

(7) *Cognit. I. n.* 128.

(8) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

XIII. ABZIRITENSIS

Oppidum Abziritanum recenset Plinius (1) inter triginta libera, quae nempe in Africa αὐτονομίαν habebant. id ipsum esse, quod Ptolemaeus *Abderam* vocat (2) sub Carthagine constitutam affirmans, opinio est Ruinartii (3). erat certe in provincia Proconsulari: nec vero novum, mutari Z in D, et I in E. quin et in codicibus antiquis aliquando est *Abderitanus*, qui in aliis dicitur *Abziritanus.* nihil hac varietate frequentius apud Afros esse oportuit, quum bilingues essent, et urbes pleraeque Punicis nominibus designarentur, quae illi Latina aurium judicio faciebant.

VICTOR. Concilium hic Carthagine cum Geneclio celebravit anno CCCLXXXX. ac primus in synodi praefatione recensetur (4). *Gloriosissimo Imp. Valentiniano Aug. IIII. et Neoterio V. C. Cos. III. kal. Iunii Carthagine in Basilica Perpetua Restituta, quum Geneclius Episcopus una cum Victore Abziritano, et alio Victore Puppinianensi, et ceteris Coëpiscopis suis provinciarum diversarum consedisset etc.*

FRVCTVOSVS. hunc Carthaginem se contulisse an. CCCCXI. Collationis caussa, in Actis legimus (5): at abfuisse, quum ejus nomen recitaretur, sive morbo implicitum, sive alia de caussa, ex iisdem Actis apparet: nomine enim ejus prolato, *Vincentius Episcopus Ecclesiae Catholicae dixit: Hic est Carthagini, sensit sibi.* quibus in verbis aut mendum est, aut haec latet sententia, Fructuosum minus probare consilium Disputationis, quam Catholici Episcopi cum Donatistis habituri erant.

VICTORINVS. subscripsit hic epistolae, quam Episcopi sancti Concilii Proconsularis miserunt ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus errores Monotheletarum (6): cujus exemplum prolatum est a Martino Pontifice Maximo in Concilio Lateranensi anni DCXXXXVIIII. porro Victorini aevo *Auziritanum* placebat magis quam Abziritanum: ejus enim subscriptio est, *Victorinus gratia Dei Episcopus Auziritanae ut supra.*

(1) H. *N. lib. V. c.* 4.

(2) *Geogr. lib. IIII. c.* 3.

(3) *in not. ad Not. Byzac. n.* 67.

(4) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 951.

(5) *Cognit. I. n.* 128.

(6) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 752.

XIIII. ACOLITANVS

Inter oppida Africae libera numerat Plinius *Acolitanum* (1), quod in provincia Byzacena censum deinde est. situs ejus inter Thapsum et Ruspas.

(1) H. *N. lib. V. c.* 4.

nomen oppidi variat: Graecis est *Achylla* aut *Acholla* aut *Achola*. Latini veteres *Acillam* dixere, Hirtius nempe (2) et Livius (3): et in antiquae legis fragmento *Aquillam* (4). at in Tabula Peutingeri mendose *Anolla* legitur. aevo Augusti percussam ibidem monetam numi veteres indicant, iidemque ea aetate usitatum urbis hujus nomen fuisse ACHVLLAM, aperte declarant (5).

RESTITVTVS. hic quinquagesimus nonus est in Notitia Episcoporum provinciae Byzacenae, quos cum aliis Carthaginem evocavit Huuericus anno CCCCLXXXIIII. ac subinde exsilio affecit.

QVINTVS. subscripsit hic epistolae, quam Stephanus Primas provinciae Byzacenae et alii Episcopi ad concilium vocati misere ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletas, anno DCXXXXI. cujus exemplum habemus in Concilio Lateranensi (6).

(2) *B. Afr. c.* 33.
(3) *lib. xxxiii. c.* 48.
(4) Gruter. *p.* 512. *v.* 28.
(5) apud Eckhel. *Doctr. Num. Vol.* 4. *p.* 132.
(6) apud Hard. *Conc. T. iii. p.* 738.

XV. ACVFIDENSIS

Acufidam oppidum in Mauretania Sitifensi fuisse, ostendit Notitia provinciarum et civitatum Africae: ceterum nulla hujusce nominis vestigia apud veteres Geographos invenias: neque Ortelius aliunde, quam ex eadem Notitia nomen hausit.

IVSTVS. hic in Notitia tricesimus quintus ordine est inter Episcopos provinciae Sitifensis, quos cum ceteris Rex Hunericus Carthaginem convenire jussit anno CCCCLXXXIIII. adscriptum autem Iusto est, *periisse*, in itinere scilicet aut in ipso exsilio mortuum esse, ante quam ab Hilderico libertas Ecclesiae Africanae restitueretur.

XVI. ADQVESIRENSIS

Vicum, oppidumve, qualecumque fuerit, Adquesiram in Mauretania Caesariensi Notitia recenset: nec plus aliquid de eo cognitum.

HONORATVS. adfuit hic Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. inter Donatistas; qui ubi compellatus est, dixit, *Mandavi et subscripsi* (1): nec de adversario Catholico quidquam addidit: ut totam illam Ecclesiam in potestate Donatistarum fuisse, credibile sit.

FELIX. hic sexagesimus sextus est inter Episcopos provinciae Mauretaniae Caesariensis, qui cum aliis praecepto Regis Hunerici Carthaginem convocati fuere anno CCCCLXXXIIII.

(1) *Cognit. I. n.* 188.

XVII. ADRVMETINVS

Primaria urbs provinciae Byzacenae, eademque Metropolis, Adrumetum, quae et *Adryme* et *Adrumettus* a Graecis appellata. in veteri inscriptio-

ne (1) cives ejus dicuntur *Coloni Coloniai Concordiae Vlpiae Trajanae Augustae Frugiferae Hadrumetinae.* sita ad mare est, et portum habuit insignem, quem *Cothonem* nominabant: unde navis fuit, quae Paullum Apostolum e Syria Lystram devexit. diu apud Adrumetinos officinam fuisse monetariam, numi veteres ostendunt. territorium ejus ad Thysdri fines porrectum indicare Aggenus Urbicus videtur, qui antiquam quaestionem memorat inter Adrumetinos et Thysdritanos de aede Minervae, *de qua,* inquit, *jam multis annis litigant,* in quorum nempe finibus constituta esset. fama autem ejus clarissima in Martyrum fastis: indidem enim fuere Bonifacius et Thecla duodecim Martyrum parentes, inde Mavilus, inde Verulus et viginti duo alii Martyres, quos omnes Ecclesia Romana anniversariae memoriae honore prosequitur: inde etiam Victorianus ille, quem Victor Vitensis (2) Proconsulem Carthaginis appellat, sub Rege Hunerico Martyr invictus, quum idem esset omnium in Africa ditissimus, et in publicis negotiis summae fidei laudem apud omnes meritus. Concilium etiam Adrumeti celebratum, indicat Episcopus ejus Abundantius in synodo Carthaginiensi, quam Gratus coegit anno CCCXXXXVIII. *In nostro,* inquit, *Concilio statutum est, ut non liceat Clericis fenerari* (3). apud urbem eandem Augustini aevo Monasterium erat, cujus Abbas Valentinus Augustini ipsius epistolis celebratur (4), et litteris quoque ad eum datis (5), quibus fidem suam de libero arbitrio et de justitia Dei remunerantis exposuit, cujus rei ergo magnum illic inter monachos dissidium exarserat. degebant tum in eo Monasterio Cresconius, Florus, duo Felices, et alii, quorum nomina ignoramus.

POLYCARPVS. sententiam hic tertia loco dixit in Concilio, quod Cyprianus Carthagine tertium de Baptismo habuit, anno CCLV. (6) quo tempore Adrumetum totusque tractus Byzacenus ad provinciam Proconsularem etiamtum pertinebat. mentio item de eo saepe in scriptis Cypriani.

INNOCENTIVS. pertinet hic ad Diocletiani tempora et Anolini Proconsulatum. nam apud eum accusatus fertur, quod Christianis sacris addictus esset, per eos ipsos dies, quibus Crispina Martyr Thebastae in vinculis erat. inde autem elapsum venisse Adrumetum, ibidemque Diaconum factum, demum et pontificatu Adrumetino potitum, Acta ejus indicant, quae tamen Apocrypha Henschenius jure appellat (7): quamquam nonnulla in iisdem verae historiae vestigia deprehendere sibi visus est. Cajetae autem in Latio coli Innocentium hunc, ex Ughellio Ferrarioque Henschenius nos docet, jamdiu hospitem, ex quo nempe ex Africa profugus in Italiam navigarat.

ABVNDANTIVS. hunc cum primoribus Episcopis recenset Gratus in praefatione synodi (8), quam Carthaginem convocavit an. CCCXXXXVIII.

(1) Gruter. p. 362. 2. Aggen. p. 74. v. et Boch rt. Geogr. sacr. lib. I. c. 24. p. 478.
(2) Pers. Vand. lib. V. c. 4.
(3) apud Hard. Conc. T. I. p. 688.
(4) epist. 214. 215.
(5) in epist. August. ep. 216.
(6) apud Hard. Conc. T. I. p. 162.
(7) T. I. Maii p. 133. op. Boll.
(8) apud Hard. ibid. p. 685.

tum ejusdem nomen rursus occurrit n. XIII. quo loco Concilium Adrumetinum, ut superius monui, commemorat.

FLORENTIVS. fuit hic e secta Maximianistarum, et Concilio Cabarsussitano interfuit anno CCCLXXXXIII. quum Primianus, quem Donatistae in Parmeniani locum suffecerant, damnatus est. nomen Florentii in synodicae praefatione et in subscriptionibus legitur apud Augustinum sermone II. in Psalm. XXXVI. qui de concilio fusius agit. an et Catholicus tum Episcopus Adrumeti esset, ignoramus.

PHILOLOGVS. nomen hujus legimus inter subscriptiones Concilii Carthaginiensis, quod Aurelius tertium celebravit an. CCCLXXXXVII. ejusque subscriptio est, *Philologus Episcopus plebis Adrumetanae* (9). legunt alii *Philologius.* prodit vero idem in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. appellatus *Philolocius Episcopus plebis Adrumetinae* (10): in qua et adversarius Victorinus Donatista apparuit, dixitque, *Agnosco illum*; uterque scilicet Episcopus habebatur, ille Catholicorum, hic Donatistarum: et rursum vocatus (11), ait, *Mandavi et subscripsi.*

AVRELIVS. Concilio Chalcedonensi hic interfuit an. CCCCLI. et Actionibus pluribus subscripsit. idem Constantinopoli ante fuerat, et cum Flaviano Patriarcha ceterisque Episcopis sederat, quum de Eutychis poena actum est, quos inter appellatur *Reverentissimus Episcopus civitatis Adramytenae* (12).

FELIX. actus hic in exsilium a Rege Genserico est circa an. CCCCLIII. *quod suscepisset quemdam Ioannem monachum transmarinum*, inquit Victor Vitensis (13). tempus non obscure idem designat, quum ait: *Post haec factum est, supplicante Valentiniano Aug. Carthaginiensi Ecclesiae post longum silentium desolationis Episcopum ordinari.* is enim fuit Deogratias, quem consecratum esse constat an. CCCCLIIII. num Felix ultra annum illum toti Africanae Ecclesiae funestum vitam duxerit, quo nempe Hunericus omnes Episcopos in exsilium ejecit, mihi in ambiguo est. Notitia tamen inter Episcopos provinciae Byzacenae Adrumetinum non habet, quum et Cathedras enumeret, *quae Episcopos non habuerunt:* atque adeo et exsulem et superstitem facere videtur. quare si etiamtum vivebat, tricesimum jam in Episcopatu annum exegerat Felix, quum ceteri Episcopi poena eadem multati sunt anno CCCCLXXXIIII.

PRIMASIVS. Vigilio Pontifici maximo hic praesto fuit Constantinopoli anno DLI. quum Theodorum Episcopum Caesareae Cappadociae sacerdotali honore et communione catholica privavit (14): idemque Vigilii Constituto ita subscripsit (15): *Primasius Dei gratia Episcopus civitatis Adrumetinae, quae etiam Iustinianopolis dicitur, Concilii Byzaceni, huic Constituto, quod beatus Papa Vigilius in caussa trium Capitulorum*

(9) *ibid. p.* 974.
(10) *Cognit. I. n.* 126.
(11) *Cognit. I. n.* 206.
(12) apud Hard. *ibid. T. II. p.* 174.
(13) *Pers. Vand. lib. I. c.* 7.
(14) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 9.
(15) *ibid. p.* 46.

protulit, consentiens subscripsi. doctrina idem et scriptis inclaruit, quae exstant.

XVIII.
ADSINVADENSIS

Ignotum Geographis oppidum, nisi quod in Mauretania Caesariensi fuisse, Notitia demonstrat. propter mare conditum, nomenclatura significare videtur: contractum enim nomen populari more crediderim, ac primum loco nomen fuisse *Ad sinus vada:* quae mihi appellatio in provincia, quae fere maritima erat, plane adridet, ut Ruinartii lectionem minime anteferendam putem, qui *Adsinnadensem* legi mavult, quae aeque ignota vox est; esto, codex aliquis huic lectioni suffragetur, quam tamen Harduinus aliique posthabuere. index urbium oppidorumque Africae, praepositus editioni Cypriani Fellianae, cousentit: in eo enim inter urbes Mauretaniae enumeratur *Adsinvada.*

GAIVS. nomen hujus in Notitia occurrit, qui centesimus decimus quintus est inter Episcopos Mauretaniae, quos Hunericus cum ceteris convocavit Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. nota autem ei adscripta, quae docet, ipsum in itinere aut in exsilio obiisse.

XVIIII.
ADVOCATENSIS

Edidit Ludovicus Pinius sermonem anonymi Donatistae, cujus titulus est *De passione ss. Donati et Advocati* (1): quos nempe factio Donatistarum tamquam martyres venerabatur. in eo injecta oppidi hujus mentio videtur his verbis (2): *At vero memoratus Episcopus* (Sicilibbensis provinciae Proconsularis) *ex Abvocatensi oppido Carthaginem hospes adveniens etc.* porro, si hoc loco B pro D a librario est, jam liquet, oppidum istud ad provinciam Proconsularem pertinuisse. an et oppido nomen a pseudomartyre *Advocato* inditum fuerit, incertum est: sed illud in Donatistarum potestate fuisse, unus, quem novimus, Episcopus persuadet.

CRESCONIVS. inter Donatistas hic interfuit Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. et communi formula professus est, *Mandavi et subscripsi* (3), nulla mentione facta Episcopi Catholici, cujus sane nomen in Collatione nusquam est.

(1) *post Optat. p.* 190. *ed. Antuerp.*
(2) *ibid. p.* 192. *n. XII.*
(3) *Cognit. I. n.* 206.

XX.
AFVFENIENSIS

Quid fuerit Afufenia, vicus ne, an oppidum, silent veteres. sed tamen in provincia Byzacena sitam, Notitia addocet. si constaret, quatenus ordinem autor ejus in recensendis Episcopis sequutus sit; qui certe rationem non habuit litterarum, unde nomina sive Episcoporum, sive Episcopatuum inchoantur: profecto ex iis, quos proximos nominat, saepe et locum ediscere

possemus earum urbium, de quibus alii nihil tradidere. sed incertum plane est, utrum aetatem Episcoporum spectarit, an locorum seriem: fortasse etiam primum quemque, ut novit, in album retulit, cavitque magis ne omitteret, quam ne inordinatos exhiberet.

MANSVETVS. recensetur hic inter primos Episcopos provinciae Byzacenae, qui ex praecepto Regis Hunerici Carthaginem cum reliquis convenerunt anno CCCCLXXXIIII. quia vero alium hoc nomine Episcopum in Africa non reperio, hunc omnino esse puto, quem Victor Vitensis inter doctiores Episcopos numerat, qui a Rege crudelius vexati sunt. *Tunc*, inquit (1), *et venerabiles Mansuetum, Germanum, Fusculum et multos alios fustigavit.* eundem etiam designant Martyrologia ad diem VIII. idus Sept. his verbis: *In Africa sanctorum Episcoporum Donatiani, Praesidii, Mansueti, Germani et Fusculi, qui in persequutione Vandalica jussu Hunerici Regis Ariani pro assertione Catholicae veritatis fustibus dirissime caesi, exsilio eliminati sunt etc.*

(1) *Pers. Vand. lib. II. c.* 16.

XXI. AGENSIS

Obscurum nomen est oppidi hujus apud veteres scriptores, sive *Aga* dictum fuerit, sive Aggya, ut legimus in Concilio Cypriani: ubi tamen vexata lectio est. in provincia Proconsulari fuisse compertum habemus.

QVINTVS. Carthaginem hic se contulit ad Concilium Cypriani tertium de Baptismo anno CCLV. sententiamque in eo dixit sexagesimus quintus.

FORTIS. subscripsit hic ultimo loco epistolae, quam Episcopi sancti Concilii Proconsularis miserunt Paullo Patriarchae Constantinopolitano, ut eum a Monotheletarum errore revocarent (1). scripta ea epistola est post Fortunii Carthaginiensis mortem, et ante pontificatum Victoris, id est ante Iulium mensem anni DCXXXXVI. quo Victor renunciatus est: neuter enim subscripsit, sed omnium primus Gulosus Episcopus Ecclesiae Pupitanae.

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 752.

XXII. AGGARITANVS

Agar oppidum XVI. millibus passuum a Thapso in Byzacena situm bis memorat Hirtius (1). id ipsum illud esse, quod Plinius *Acharitanum* (2) aut *Accaritanum* appellat, atque adeo Aggaritanum, non immerito statuas. nam et regionem uterque eandem adsignant, et litterae affines C et G discriminis suspicionem tollunt.

DONATVS. hic centesimus octavus est inter Episcopos Byzacenae, quos Notitia exhibet, quem proxime sequitur *Vigilius Tapsitanus*, proximae

(1) *B. Afr. c.* 67. *et* 79. (2) H. *N. lib. V. c.* 4.

nempe Thapsi Ecclesiae Episcopus: qui utique Regis Hunerici edicto Carthaginem evocati anno CCCCLXXXIII. in exsilium, ut ceteri Episcopi, ejecti sunt.

XXIII. AGGERITANVS

In Collatione Carthaginiensi bini hujus nominis Episcopi occurrunt: in Notitia autem duo ejusdem provinciae *Aggaritani*: hoc facit, ut alterum Aggeritanum fuisse putem, eum scilicet, qui inter Turrensem et Egnatiensem cietur. nec dubitandum est, duplex in ea provincia oppidum fuisse sive ejusdem sive similis aliquatenus appellationis. in Tabula Peutingeriana, quod jam animadvertit Ruinartius (1), non modo *Aggar* consignatum est, sed etiam *Aggerfel*, et *Aggarsel* et *Aggarselnepte*.

AEMILIANVS. adfuit hic Collationi Carthaginiensi inter Catholicos Episcopos anno CCCCXI. quumque vocatus dixisset, *Praesto sum;* Candorius Donatistarum Aggeritanorum Episcopus, qui aderat, adjecit, *Agnosco illum* ( ). atque hic idem Candorius subinde appellatus ait, *Mandavi et subscripsi: habeo contrarium* (3), ipsum nempe Aemilianum.

FILTIOSVS. hujus nomen Notitia inter Episcopos Byzacenae vicesimo nono loco refert, et *Aggaritanum* pro *Aggeritano* facit: quod non patitur Episcopus alter ejusdem urbis et ejusdem anni, Donatus, inquam, ille, quem superius recensuimus, ac propter exsilii socium Vigilium Thapsensem ad Aggaritanum potius, quam ad Aggeritanum oppidum esse referendum existimavimus: esto, argumentum hujusmodi vim habere maximam non videatur. enimvero Filtiosus hic noster fortasse confessor ille venerabilis fuit, quem in Victoris Vitensis et in Martyrologiorum exemplaribus *Fusculum* appellari vidimus (4), et cum Mansneto ac Germano cieri, quos Hunericus ante exsilium fustibus caedi jussit. certe *Fusculus* in tota Notitia nullus est: tum in Vsuardi autographo Ruinartius scriptum invenit *Fulcolum* (5), et apud Sollierum adnotari reperio, in editione Lubecana et Coloniensi an. M.CCCC.LXXXX. pro *Fusculi* esse *Fustoli:* quare vel in illis exemplaribus, vel in Notitia mendum inesse vix ambigam.

(1) *in not. ad Notit. Byzac. n.* 29.
(2) *Cognit. I. n.* 126.
(3) *Cognit. I. n.* 163.
(4) *in Episc. Afufeniensi*
(5) *in not. ad Vict. Vit. n.* 93.

XXIIII. AGRENSIS

Vbinam *Agra* sita fuerit, ab antiquis non accepimus: nisi forte hanc designet Ptolemaeus in Tingitana, *Acrath* appellans, quam prope Oleastrum promontorium collocat, nec longe a Taluda flumine, quod Tamudam appellat Plinius. satis autem res congruunt, quum praefatio Concilii, in quo Agra nominatur, Episcopos convenisse nos doceat ex Africa, Numidia et Mauretania, quae tum ipsam Tingitaniam complectebatur.

LIBOSVS. sententiam hic dixit tricesimo loco in Concilio Cypriani III. de Baptismo anni CCLV. (1) *ab Agra* autem in plerisque codicibus appellatur, item apud Augustinum (2), sed non in omnibus exemplaribus: *Vagensis* in nonnullis dicitur: quam lectionem Maurini adamarunt.

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 167. (2) *de Bapt. contra Donat. lib. III. c. 6. et lib. VI. c.* 37.

XXV. AIVRENSIS

Ajura, quae et *Azura*, in provincia Numidia erat. *Assurum* vocat Ptolemaeus, et inter Siccam et Naraggaram collocat. nec de Assuris loqui putandus est, quae in Proconsulari erant.

VICTOR. in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. appellatur hic Episcopus Azurensis Ecclesiae Catholicae, et haec coram Marcellino Tribuno et Notario protulisse fertur (1): *Dicit se non habere:* idest Donatista Episcopus ait se in oppido Rotariensi non habere adversarium. *Ego Ecclesiam illic habeo, quod te non fugit.* idem Victor commemoratur infra (2), et *Ajurensis* dicitur, qui ad Tribunum accedens, *Mando,* inquit, *et consentio:* quae formula fuit eorum, qui concilio non adfuerant, quum deliberatum est de Disputatione cum Donatistis habenda.

(1) *Cognit. I. n.* 188. (2) *Cognit. I. n.* 215.

XXVI. ALAMILIARENSIS

Erat id oppidum in Mauretania Caesariensi, cui ab equitum statione militare nomen inditum *Ala Miliaria.* antiquae inscriptiones(1) et Notitia utriusque Imperii *Alas Miliarias* et *Miliarenses* saepe memorant: est vetus item titulus apud Gruterum (2), in quo statuam T. Vario Clementi dedicasse dicuntur Valer. Vrbanus, Licin. Secundinus *Decuriones Alar. Provinc. Mauretan. Caesariensis.*

MENSIVS. hunc Notitia provinciarum et civitatum Africae tricesimum tertium recenset inter Episcopos provinciae Mauretaniae Caesariensis, qui Regis Hunerici jussu Carthaginem cum reliquis adierunt an. CCCCLXXXIIII. atque inde ob Catholicam professionem in exsilium pulsi sunt.

(1) Grut. *p.* 354. 6. *etc.* (2) *ibid. p.* 482. 7.

XXVII. ALBVLENSIS

Albulae nomen oppido Mauretaniae Caesariensis, unde Episcopatus hic appellatur Albulensis. in Itinerario Antonini scriptum est *Ad Albulas*, quae aquarum appellatio fuisse videtur. collocantur autem Albulae inter *Rubras* et *Dracones*, qua iter erat Rusuccurum coloniam.

TACANVS. Carthaginem hic cum aliis Episcopis profectus est anno CCCCLXXXIIII. a Rege Hunerico evocatus, ac deinde exsilio affectus, quod

Arianam sectam aversaretur. in Notitia autem septuagesimus nonus est inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis.

xxviiI. ALTABENSIS

Itinerarium Antonini *Altabam* in Numidia recenset, nec longe a Theveste colonia. si mendo caret, geminam in Africa fuisse, fatendum est. Notitia enim Altabensem Episcopatum Mauretaniae Caesariensi adtribuit.

AVVS. nomen hujus legimus decimo loco inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos cum reliquis Carthaginem convocavit Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. et Ecclesiis ademptis, exsilio multavit.

xxviiiI. ALTIBVRITENSIS

Altiburinm sive Altoburium esse videtur, quod in Itinerario mendose *Alticuros* appellatur: inter Carthaginem enim et Cirtam recensetur; nec dubium est, in provincia Proconsulari fuisse. tabula Peutingeri habet *Altaburos*.

VICTOR. sectam hic sequebatur Maximianistarum, interfuitque anno CCCLXXXXIII. Concilio Cabarsussitano, in quo Primianus Carthaginiensis Donatistarum Episcopus absens damnatus est. ultimus autem sic subscripsit: *Victor Altiburitanus Episcopus subscripsi* (1). an et Catholicum tum Episcopum urbs haberet, quemadmodum non multis post annis habuit, mihi exploratum non est.

BASILIVS. hic Collationi Carthaginiensi inter Catholicos adfuit anno CCCCXI. quumque vocatus respondisset, *Praesto sum*, ex adverso processit Augustalis Donatista ejusdem urbis Episcopus, qui ait, *Agnosco illum* (2). hujus porro infra etiam mentio est (3), quo loco inter suos accessisse dicitur et professus esse communi formula, *Mandavi et subscripsi*.

VINDEMIVS. hunc Notitia quadragesimum quartum numerat inter Episcopos provinciae Proconsularis, qui cum aliis anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ab Rege Hunerico vocati, in exsilium deinde missi sunt.

CONSTANTINVS. subscripsisse hunc reperio epistolae sancti Concilii Proconsularis, quam ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum missam esse ostendimus (4) ante Iulium mensem anni DCXXXXVI. subscripsit autem his verbis (5) *Constantinus gratia Dei Episcopus sanctae Ecclesiae Altoburitanae*.

(1) apud August. *in Psalm. xxxvI. Serm. II. n.* 20.
(2) *Cognit. I. n.* 128.
(3) *Cognit. I. n.* 197.
(4) *in Epist. Agensi.*
(5) apud Hard. *T. III. Conc. p.* 751.

xxx. AMADERENSIS

Nomen apud veteres variat: nam *Ammedera* etiam et *Admedera* legitur. Ptolemaeo autem est Ἀμμαίδαρα. quod tamen praeferendum est, in ve-

teri titulo apud Marinium occurrunt AMMEDARENSES. in Itinerario Colonia dicitur, et situs ejus inter Carthaginem et Cirtam. eam Garnerius Numidiae adtribuit: at Norisius ultimam fuisse civitatem Dioecesis Proconsularis arbitratur, quum Thevestis inde M. P. XXV. distans ad Numidiam pertineat: in Notitia autem Episcoporum CXIII. ex Numidia omnium Ammedarensis non inveniatur. inter hanc et Thevestem Gildonis exercitum a Mascezelo caesum constat (1).

EVGENIVS. sententiam hic dixit tricesimo secundo loco in Cypriani Concilio tertio de Baptismo, quod Carthagine celebratum est anno CCLV. (2).

SPERATVS. occurrit hic in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. vocatusque pronunciasse dicitur, *Praesto sum*. aderat autem et adversarius ejus Crescentianus Episcopus Donatista, qui subjecit, *Agnosco illum* (3). hujus rursum infra fit mentio (4), quum profiteri jussus, *Mandavi*, inquit, *et subscripsi*.

(1) v. *Annal. ad an.* 398. *n.* 1.
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 167.
(3) *Cognit. I. n.* 126.
(4) *Cognit. I. n.* 208.

XXXI. AMAVRENSIS

Silent de Amaura Geographi: in Mauretania majori, sive in eo tractu fuisse, qui a Sitifensi ad Oceanum usque protenditur, ex Notitia novimus.

VRBANVS. hic tricesimus quintus est inter Episcopos provinciae Mauretaniae Caesariensis, qui jussu Regis Hunerici Carthaginem ad conventum omnium Episcoporum se contulere an. CCCCLXXXIIII. nota autem adscripta Vrbano est, quae docet, in itinere ipso aut in exsilio eum periisse.

XXXII. AMBIENSIS

Municipium Agbiensium bis cietur in Africanis Inscriptionibus a Maffejo vulgatis (1): et est utraque publica, atque altera Antonini Pii, altera Diocletiani et Maximiani nomina praefert. nullum autem invenio nomen tam simile, quam id, de quo agimus. verum Agbienses sub Proconsule erant, ut inscriptio declarat, atque adeo in provincia Proconsulari: at contra Ambiensis hic Episcopatus, quem Notitia memorat, in Mauretania Caesariensi enunciatur. de Maximo Martyre Decii temporibus lauream adepto adnotavit Ruinartius (2), in antiquis aliquot Actorum ejus exemplaribus scriptum esse, martyrium ab eo factum *apud Ambiensem provinciam*. verum cetera habent *Asiam*, et scribarum librariorum contemnenda est auctoritas, nisi plures consentiant.

FELIX. anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem cum aliis a Rege Hunerico vocatus petiit, et quadragesimus sextus cietur inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui tum propter Catholicam professionem exsilio affecti sunt.

(1) *Mus. Ver. p.* 458. 7. 459. 6.
(2) *in Act. MM. sinc. p.* 143. *n.* 2.

xxxiii. AMPORENSIS

Amporam, quae et *Amphora* et *Anbura* Punicis auribus fuit, in Numidia fuisse, ex Notitia discimus, sive illa vicus sive oppidum habenda sit: nam Geographi non commemorant.

DONATVS. interfuit hic Collationi Carthaginiensi anno ccccxi. et ubi nomen ejus recitatum est, *Praesto*, inquit (1), *sum*. aderat autem et adversarius ejus Servatus Donatista, qui subjecit, *Agnosco illum*. hujus iterum infra nomen legitur, ubi accessisse dicitur et professus esse (2), *Mandavi et subscripsi*.

CRESCONIVS. hunc Notitia undecimum numerat inter Episcopos Numidiae, qui anno ccccLXXXIIII. Carthaginem Regis Hunerici edicto convenere, et singulari constantia cum ceteris Catholicis Episcopis exsilium Arianae perfidiae praetulerunt.

(1) *Cognit. I. n.* 121. (2) *Cognit. I. n.* 198.

xxxiiii. AMVDARSENSIS

Habemus *Amudarsam* in Itinerario Antonini, quae quandoque in codicibus scribitur *Amurdasa*, designaturque inter Thenas et Theveste, id est in provincia Byzacena.

MAIVS. nomen hujus in Collatione Carthaginiensi legimus (1), eumque civem Amudarsensem fuisse discimus, et Episcopum sine adversario Donatista. vocatus enim ait, *Praesto sum: in patria mea Catholica est:* una scilicet omnium Ecclesia sine schismate, propter quod pleraeque tum urbes, id est anno ccccxi. geminos Episcopos habebant.

LIBERATVS. agmen hic ducit Episcoporum provinciae Byzacenae, qui annó ccccLXXXIIII. Carthaginem a Rege Hunerico evocati, communem Catholicorum Episcoporum poenam subierunt.

(1) *Cognit. I. n.* 126.

xxxv. ANCVSENSIS

In provincia Byzacena fuisse *Ancusam*, Notitia testatur: at nihil praeterea a Geographis accepimus.

GVDVDVS. interfuit Collationi Carthaginiensi anno ccccxi. et vocatus respondit, *Praesto sum*. aderat autem et adversarius ejus Donatus, qui ait, *Agnosco illum* (1). hujus Donati nomen infra cietur iterum, et usitata formula professus esse dicitur (2), *Mandavi et subscripsi*.

VICTORINVS. hunc Notitia quinto loco refert inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno ccccLXXXIIII. Regis Hunerici edicto, postquam cum aliis Carthaginem convenerant, in exsilium omnes ejecti sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 126. (2) *Cognit. I. n.* 208.

XXXVI. ## ANGVIENSIS

Ancuam sive *Anguam* in Byzacena recensuit Holstenius (1): mihi cum Harduino in Numidia collocanda videtur, nec longe a civitate Mustitana. hujus enim Episcopus Victorianus in Collatione Carthaginiensi Anguiensis vice functus dicitur: quod vicinitatis caussa praestitisse putandus est.

PASCHASIVS. post mandata, quae Victoriano dederat, adfuit et ipse Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. cumque nomina recognoscerentur, *Praesto sum,* dixit, *unitatem habeo* (2): id est, solus sine Episcopo Donatista Anguiensem Ecclesiam rego.

(1) *in adnot. de Patriarch. Rom. p.* 75. (2) *Cognit. I. n.* 126.

XXXVII. ## APISSANENSIS

Civitatem *Apisiam* sub hoc nomine latere puto, quae anno DCCLXIII. ab urbe condita, ut est in veteri tabula apud Gruterum (1), sibi patronum cooptavit C. Silium Aviolam Trib. Mil. et Praef. Fabr. ejusque rei caussa legatos ad eum misit. habet autem *Apisia* appositum *Maius*, quod et in quarto casu *Majus* scribitur, ut Punicum vocabulum potius, quam Latinum videatur. in Numidia fuisse, indicio mihi est altera tabula patronatus, quae ad Siagitanos Numidas et Aviolam eundem pertinet (2).

DONATVS. adfuit hic inter Donatistas Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. et vocatus ait (3): *Et mandavi et subscripsi: adversarium non habeo.* unde liquet, Apisianenses sine Episcopo Catholico tum fuisse.

(1) *p.* 470. *n.* 1.
(2) *ibid. n.* 2.
(3) *Cognit. I. n.* 184.

XXXVIII. ## APTVCENSIS

Oppidum fortasse idem appellat Plinius *Abutucense*, quod civium Romanorum fuisse scribit (1). in provincia Proconsulari erat, nec procul ab Episcopatu Libertinensi, quem in illa fuisse constat. Victor enim Libertinensis in Collatione Carthaginiensi testimonium dixit adversus Donatistam, qui se Episcopum Aptucensium falso jactabat (2). finitimum autem esse oportebat, qui de ea re testis prodibat.

IANVARIVS. Carthaginem hic se contulit anno CCCCXI. ut Collationi inter Catholicos et Donatistas interesset. sed cum nomen ejus recitaretur, morbo implicitus aberat a conventu (3). itaque respondit ejus loco Dominicus Episcopus Ecclesiae Catholicae, *Hic est, commotus est corporis infirmitate.* ubi vero citari nomina coepta Donatistarum, accessit quidem Ianuarius alter, et pronunciavit, *Mandavi et subscripsi:* et Victor, quem

(1) *H. N. lib. V. c.* 4.
(2) *Cognit. I. n.* 201.
(3) *Cognit. I. n.* 128.

modo commemorabam, *Vnitas*, inquit (4), *est illic: publicam non latet conscientiam.*

(4) *ibid. n.* 201.

XXXVIIII. AQVAE ALBENSIS BYZAC.

Bina oppida, quae *Aqua Albensis* aut *Aquae Albensium* appellarentur, in Africa fuisse, Notitia docet: et hoc quidem primum in provincia Byzacena: de quo tamen Geographi nihil habent.

IANVARIVS. interfuit hic cum Donatistis Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. vocatusque ait, *Mandavi et subscripsi* (1). ad Albenses Byzacenos spectare potius, quam ad Sitifenses duxi, quod citatum in Collatione video post Episcopum Druensem, qui profecto ad Byzacenam pertinebat.

RESTITVTVS. nomen hujus quinquagesimo secundo loco legimus inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus Carthaginem evocatos anno CCCCLXXXIIII. cum reliquis ob Catholicae professionis constantiam in exsilium ejecit.

(1) *Cognit. I. n.* 197.

XXXX. AQVAE ALBENSIS SITIF.

Id oppidum *Aquas Albas* appellat Holstenius (1): sed veterem scriptorem nullum indicat. commemorat tamen *Aquas* Itinerarium Antonini inter Perdicem et Caesaream, id est in finibus provinciae Sitifensis.

HONORIVS. quinto hic loco cietur inter Episcopos Mauretaniae Sitifensis, qui Regis Hunerici edicto obsequuti, ubi Carthaginem pervenere, cum ceteris, quos Notitia recenset, exsilio multati sunt.

(1) *in adnot. de Patr. Rom. p.* 90.

XXXXI. AQVAE ALBENSIS

Nomen oppido inditum ab aqua inventa, quod apud Afros magni fiebat ob ariditatem soli. erat autem in Numidia, quemadmodum Notitia demonstrat. Itinerarium Antonini ab Hippone Regio proficiscenti Carthaginem locum designat *ad Aquas*, et *Novas Aquilianas:* alterutrum huc pertinere, facile duxerim.

FELICIANVS. occurrit hic inter Donatistas in Collatione Carthaginiensi anno CCCCXI. qui citatus adfuit, pronunciavitque *Mandavi et subscripsi* (1).

ANASTASIVS. hunc Notitia septuagesimum tertium numerat inter Episcopos provinciae Numidiae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. ad communem omnium Episcoporum conventum evocatos exsilio affecit.

(1) *Cognit. I. n.* 198.

XXXXI. AQVARVM TIBILITANARVM

Duplex in Numidia oppidum *Aquae Tibilitanae* et *Thibilis* sive *Tibilis*. nam utrumque in Tabula Pentingeriana effictum est, quamquam alterum alteri satis proximum; utrumque etiam Augustinus memorat: nam ad Donatum, qui Proconsul fuerat, scribens (1), *Te*, inquit, *quum Tibilim venisses, videre non potui*. de Praejecto autem Episcopo agens, quo Reliquias gestante Protomartyris Stephani, mulier coeca visum receperat, narrationem ita incohavit (2): *Ad Aquas Tibilitanas Episcopo afferente Praejecto Reliquias Martyris gloriosissimi Stephani, ad ejus Memoriam veniebat magnae multitudinis concursus et occursus*. porro *Aquas Tibilitanas* inter Cirtam et Villam Servilianam, nec multum ab Hippone Regio dissitas, collocat Antonini Itinerarium: quas et in agro vicinae Tibilis fuisse, ipsa appellatio significat.

MARINVS. hunc Optatus inter primos eorum Episcoporum enumerat, qui Diocletiano Christianos dire vexante, *instrumenta divinae legis impie tradiderunt* (3). interfuit anno CCCV. Concilio Cirtensi (4), in eoque a Primate interrogatus de proditione illis verbis, *Dicitur et te tradidisse*, respondit, *Dedi Pollo chartulas; nam codices mei salvi sunt*. nec ille praeterea quid chartulae illae essent, rogavit, et *Transi*, inquit, *una parte*. pari enim scelere et Primas ipse et ceteri Episcopi, qui convenerant, obstricti erant.

PRAEIECTVS. sic nomen extulere Maurini, codicum veterum lectionem sequuti. vulgata exemplaria *Projectum* appellant. aequalis hic erat Augustini: nam quo loco de illo mentionem hic facit, temporum suorum res persequitur (5). scribebat autem post annum CCCCXIII. ceterum in Collatione Carthaginiensi Praejectus non cietur, idque indicio esse videtur, eum obiisse ante annum CCCCXI.

(1) *Epist.* 102. *n.* 1.
(2) *De C. D. lib. XXII. c. VIII. n.* 10.
(3) *De Schism. Donat. lib. I. c.* 13.
(4) Aug. *contra Cresc. lib. III. c. XXVII. n.* 30.
(5) *De C. D. ibid.*

XXXXII. AQVENSIS BYZAC.

Rursum *Aquae* oppidum in Byzacena sine apposito: quod Holstenius etiam agnoscit (1). idem in Notitia quoque occurrit secundo loco, sed Episcopo non adscripto; quod is, ut opinor, Regis Hunerici consilio explorato, solum maturius vertisset, dum ceteri Carthaginem majore animo magisque ad pericula obfirmato petebant.

VICTORINIANVS. Collationi Carthaginiensi hic interfuit an. CCCCXI. et se jam Episcopum Aquensem inter Donatistas jactabat, quum Aquis Presbyter etiamtum discessisset, et in ipso itinere a factione sua ordinatus

(1) *in adnot. de Patr. Rom. p.* 88.

cathedrae honorem noodom usurpasset. in eo namque Episcoporum conventu quum is accedens ad Tribnnum dixisset, *Mandavi et subscripsi* (2), surrexit Asellicus Episcopus Ecclesiae Catholicae municipii Tusurritani ex eadem proviocia, et *Sub testificatione*, ioquit, *omnipotentis Dei et Iesu Christi Salvatoris nostri dico, nos sic esse de Arzugibus profectos die tertio kalendarum Majarum: Presbyter fuit* (Victoriniaous) *non Episcopus: in via ordinatus est; sed hac factione qua valet, est illic Episcopus, in adulterio detectus: adhuc pendet cognitio.*

(2) *Cognit. I. n.* 208.

XXXXIIII. AQVENSIS MAVRET. CAES.

In Mauretania qooque Caesarieosi *Aquae* oppidom erat, qnod ex Notitia manifestum est. id autem Victor Viteosis Civitatem Aquitaniae appellat (1): oeque eoim in ea provincia alind oppidum reperias, cui appellatio hnjusmodi aptari possit; et ab Aquis pariter *Aquitanos* io Gallia dictos esse, accepimos.

IANVARIVS Don. interfuisse honc Coocilio Cabarsussitaoo anni CCCLXXXXIII. testatur syoodica ejusdem Coocilii, cui subscripsit; qoam nempe Augustioo debemus, qui sermoni II. in Psalmnm XXXVI. totam inseruit. erat antem Iannarius e factiooe Maximianistarom, qui tum Primianum absentem damoarunt. oec dubiom, ad Aquas Mauretaniae ipsum pertinere, qnum proximi, qni subscripseront, ex eadem proviucia fuerint.

HELPIDIVS. citatur hic in Collatione Carthaginieosi anni CCCCXI (2). qui et adjecisse dicitur, *E diverso mihi est Reparatus Episcopus.* aderat aotem hic quoque, qui ait, *Ipse* est: *agnosco illum.* hujus rursum meotio fit infra ioter Donatistas, qoum professns est: *Mandavi et subscripsi* (3).

CRESCENS. hic Primas erat provinciae anno CCCCLV. vel circa ea tempora, et *centum viginti praeerat Episcopis,* ioquit Victor (4), quot oempe Mauretaoiae Caesariensi Notitia tribuit. eondem inter eos numerat, qni a Genserico relegati suot, qood calumniati accusatores, male eos de Priocipe esse loquutos, Regis irae objecisseot.

IANVARIVS. hunc Notitia vicesimum quartnm receoset ioter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem edicto accitos cum reliquis Africae Episcopis exsilio affecit.

(1) *Pers. Vand. lib. I. c.* 7.
(2) *Cognit. I. n.* 135.
(3) *Cognit. I. n.* 197.
(4) *ibid. lib. I. c.* 7. v. Tillem *T. XVI. p.* 792.

XXXXV. AQVENSIS NVMID.

Numidia item oppidum *Aquas* habuit, qood oollo apposito distingoebatur: idqoe in Itioerario Antonioi fortasse designatur, ubi scriptum est *Ad Aquas,* id est non longe ab Hippone Regio: quamquam obscura fere suot, quae liber ille suppeditat.

CRESCONIVS. Carthaginem hic se contulit anno CCCCXI. ad Collationem, et inter Donatistas citatus, *Mandavi*, inquit (1), *et subscripsi: et Traditorem in plebe mea non habeo.* sic enim Catholicos Episcopos nominabant Donatistae, quod primitus Caecilianum defendissent, quem illi divinorum librorum proditorem jactabant, et ab iis consecratum, qui se eodem scelere contaminassent. ad ea porro, quae Cresconius dixerat, haec subjecit vicinae Ecclesiae Episcopus Aurelius Macomadiensis: *Habemus* (Catholici) *ibi Presbyterum. nam et Episcopus ibi fuit: modo defunctus est, et in loco ejus nec dum est ordinatus.*

(1) *Cognit. I. n.* 198.

XXXXVI. AQVENSIVM REGIORVM

Notum provinciae Byzacenae oppidum *Aquae Regiae*, quod saepe in Itinerario Antonini memoratur, et in Tabula etiam Peutingeriana apparet. sed claritatem addidere Martyres duo praestantissimi, germani fratres, qui indidem quum essent, apud Tambajensem civitatem insigni martyrio defuncti sunt: quorum felicem beatumque exitum Victor litteris consignavit (1). quamquam nomina eorum non retulit, nec tempus definivit: nisi quod sub Rege Hunerico lauream adeptos tradidit.

MAXIMIANVS. adiit hic Carthaginem Collationis caussa, quae anno CCCCXI. inter Catholicos et Donatistas habita est; quumque nomina Episcoporum recitarentur, et ipse etiam vocatus esset, *Praesto sum*, inquit (2): *in patria mea non habeo alium Episcopum.* atque is idem interfuit postea Concilio Carthaginiensi anni CCCCXVIIII. legatus provinciae Byzacenae (3), ut subscriptio ejus declarat.

LIBERATVS. hic octogesimus sextus est inter Episcopos Byzacenae, quos Notitia recenset cum ceteris, quos Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. vocatos Carthaginem, omnes relegavit. nomini autem ejus adjecta nota est, quae declarat reditum ipsi ad Ecclesiam morte esse interclusum.

(1) *Pers. Vand. lib. v. c.* 5.
(2) *Cognit. I. n.* 126.
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1250.

XXXXVII. AQVIABENSIS

Vici oppidive hujus vestigia nusquam reperire licuit. hoc tantum ex Notitia compertum habemus, in provincia Byzacena fuisse.

RESTITVTVS. nomen hujus legimus in Notitia vicesimo sexto loco inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui Carthaginem ad conventum omnium Episcoporum edicto Regis Hunerici profecti, an. CCCCLXXXIIII. communem exsilii poenam subierunt.

XXXXVIII. AQVISIRENSIS

Episcopatum hunc in Mauretania Caesariensi exhibet Notitia: sed locum ejus nemo indicavit: nisi lateat sub nomine *Artisiga*, quod Itine-

rarium Antonini in eadem provincia nnmerat post oppidnm *ad Fratres* et ante *Portum Caecilii.*

HONORATVS. partem hic Donati sequebatnr, adfuitque Collationi Carthaginiensi anni ccccxI. in qua citatus ait, *Mandavi et subscripsi* (1).

FELIX. sexagesimus sextus hic est in albo Episcoporum provinciae Mauretaniae Caesariensis, et Carthagine cum ceteris in exsilium profectus est anno ccccLxxxiiiI. quo Rex Hunericus Episcopos omnes Catholicos relegavit.

(1) *Cognit. I. n.* 188.

xxxxviiiI.

ARADITANVS

Nomen oppidi esse a L. Aradio Proconsule, qui diu in Africa versatus villam sibi ibidem praetorinmve condiderit, credibile est (1). nam et alia fuere in Africa, quae nomen a procerum Romanorum appellationibus duxerant, qnemadmodum infra facile recognosces. erat autem Aradia in provincia Proconsulari, qnod Notitia indicat: sed ubi sita esset, ignoramus.

FORTVNATIANVS. est hic ordine decimus tertins inter Episcopos provinciae Proconsnlaris, qni anno ccccLxxxiiiI. Carthaginem convenerunt, Regis Hnnerici edicto evocati. quum autem alii tnm alio in exsilium missi fuerint, noster hic, ut Notitia declarat, in insnlam Corsicam relegatus est. qno pertinent verba a ministris Regis prolata, qnae Victor in historiam suam retulit (2): *Ob quam caussam jussi estis in Corsicanam insulam relegari, ut ligna profutura navibus dominicis incidatis.*

AEMILIANVS. hic anno DXXV. snbscripsit Concilio Carthaginiensi, qnod Bonifacius coegit (3).

(1) v. *Comm. I. c. I. §. II. n.* 4.
(2) *Pers. Vand. lib. III. c.* 5.
(3) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

L.

ARENENSIS

Ab *arenis* ne, an ab *aris* nomen oppido impositnm fuerit, dijndicare non licet: nam gentilia nomina Afri licentius deducebant, syllaba saepe addita, quae redundaret; nt qnnm *Altiburitenses* pro *Altiburienses*, *Timidanenses* pro *Timidenses* nsurpabant. vestigium tamen apud Geographos nullnm est oppidi *Arenae;* at in Itinerario Antonini sunt *Arae* in provincia Sitifensi, cui Episcopatum hnnc adscribere jnvat: nam qni sequuntur *Arenses* alio pertinent.

CRESCENTIANVS. Collationi Carthaginiensi hic interfuit an. ccccxI. vocatnsque, *Praesto sum*, inquit (1), *unitas est apud me,* omnes scilicet Catholici Arenenses sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 128.

LI.

ARENSIS BYZAC.

Geminos omnino Arenses in Africa agnoscere necesse est, qunm duo in eadem Collatione eodemqne die cieantur Episcopi Arenses, et uterque ad-

versarium sibi esse neget, uterque etiam Donatista fuerit. quia vero alter post Episcopum provinciae Byzacenae, alter post Episcopum provinciae Proconsularis in medium prodivit, oppidum unum in Byzacena, alterum in Proconsulari fuisse, levi quidem ex indicio, sed tamen aliquo statuimus.

AVGENDVS. memoratur hic inter alios Episcopos ejusdem provinciae in epistola synodica Concilii Maximianistarum Cabarsussitani, quae anno CCCLXXXXIII. ad Episcopos per universam Africam missa fuit. ceterum huic pro Augendo, qui vel absens erat vel morbo laborabat, subscripsit Annibonius Robautensis (1).

DONATVS. hic inter Donatistas interfuit Collationi Carthaginiensi an. CCCCXI. citatusque ait, *Mandavi et subscripsi: et traditores in plebe mea non habeo* (2).

(1) apud August. *serm. II. n. 20. in Ps. XXXVI.* (2) *Cognit. I. n.* 201.

LII. ARENSIS PROCONS.

Episcopatum Arensem Harduinus quoque provinciae Proconsulari adtribuit: quamquam de auctoritate, quam sequeretur, nihil adjecit.

SECVNDVS. hujus nomen cietur inter Donatistas in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. qui quum citatus accessisset, ait (1), *Mandavi et subscripsi: adversarium in plebe mea non habeo.*

(1) *Cognit. I. n.* 208.

LIII. ARSICARITANVS

Sic in antiquis codicibus scriptum esse, sic et extulisse qui Notitiam edidere, adnotat Ruinartius: credo, quod lectio haec non placeret. nec sane *Arsicam* aut *Arsicariam* Geographi memorarunt: quam tamen Notitia in Numidia fuisse indicat. mihi vero nomen urbis germanum *Arsenariam* fuisse prope exploratum est, ut gemina hujus appellationis civitas esset, haec in Numidia, altera in Mauretania, de qua infra dicendum est. nominis vestigia reperio in Gruteriana inscriptione (1), in qua C. Calpurnius Fabatus fuisse dicitur *Praef. Coh. VII. Lusitan. et Nation.* (id est auxiliarium copiarum) *Getulic. Arsen. quae sunt in Numidia.* postrema haec verba distinctionis caussa adjecta esse videntur, ut Arsenaria Numidiae ab altera quae in Mauretania erat, et illustrior fortasse habebatur, diversa ostenderetur.

SERVVS. numerat hunc Notitia quinquagesimum septimum inter Episcopos Numidiae, qui Regis Hunerici edicto ad communem conventum Carthaginem se contulere anno CCCCLXXXIIII. ac deinde, Ecclesiis ademptis, exulare coacti sunt.

(1) *p.* 332. *n.* 6.

LIIII.

ARSINNARITANVS

Arsenariam coloniam in Mauretania Caesariensi agnoscit Ptolemaeus (1): memorat Itinerarium Antonini inter Quizam et Cartennas: tria passuum millia a mari distare scribit Plinius (2), cui *Arsennaria* est, et oppidum Latinorum dicitur, id est Colonia Latina, quales in Hispania etiam erant. Afri posteriores mutato E in I *Arsinnariam* appellare coeperunt, ut alia etiam nomina ex ingenio immutarunt. quamquam in Pomponio Mela occurrit *Arsinna* (3), quam Vossius hanc ipsam urbem esse censet.

PHILO. in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis ciet hunc Notitia ordine nonagesimum quintum: eundemque cum reliquis Carthaginem petiisse ostendit anno CCCCLXXXIIII. quo Rex Hunericus conventum omnium Episcoporum indixerat.

(1) *lib. III. c. 2.*
(2) *H. N. lib. V. c. 2.*
(3) *de sit. orb. lib. I. c. 6.*

LV.

ARSVRITANVS

Arsuram sive, ut est in Indice Cyprianico, *Arzuram*, qualecumque oppidum fuerit, in Byzacena provincia recenset Notitiae auctor: quamquam omnino magnum et illustre fuisse putandum est, siquidem inde nomen ea provinciae Byzacenae pars duxerit, quae *Arzugitana* appellata est: quam scilicet memorat Aurelius Episcopus Carthaginiensis in epistola anni CCCCXVIII. ab eo missa Episcopis *per tractum provinciae Byzacenae et Arzugitanae constitutis*, quos de Caelestii et Pelagii damnatione admonebat (1). durius quidem ex *Arsura* aut *Arzura* derivare *Arzugitanum;* sed tamen in Africa minime absonum aut praeter morem. nec vero alia urbs designari potest, cujus nomen huic alteri affine magis videatur.

SERVIVS. hunc in Notitia sexagesimum septimum legimus inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui Regis Hunerici praecepto Carthaginem vocati, anno CCCCLXXXIIII. cum ceteris Catholicis Episcopis in exsilium acti sunt.

BONIFACIVS. subscripsit epistolae synodicae inter alios Episcopos Concilii Byzaceni *Bonifacius gratia Dei Episcopus sanctae Ecclesiae Sasuritanae* (2): quum scilicet ad Constantinum Heraclii Aug. filium scripsere adversus Monotheletas, anno DCXXXXI. mendum autem esse *Sasuritanae* pro *Arsuritanae* censet auctor *Geographiae sacrae*, cui et favet Ruinartius (3). rem Holstenius susque deque habuit.

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1232.
(2) *ibid. T. III. p.* 741.
(3) *in not. ad Notit. Byzac. n.* 67.

LVI.

ASSABENSIS

Assabam sive *Assavam* in Numidia cum Harduino agnoscere licet: Episcopi enim ejus inter alios ejusdem provinciae recensentur in Actis Collationis Carthaginiensis. obscurum tamen id nomen, ut alia non pauca,

SEXTILIVS. Collationi Carthaginiensi hic interfuit anno CCCCXI. et citatus respondit, *Praesto sum.* aderat porro et Episcopus Donatista Marcianus, qui subjecit, *Agnosco illum* (1).

(1) *Cognit. I. n.* 128.

LVII. ASSAFENSIS

Municipium *Ad Sava* memoratur in Itinerario Antonini inter Olivam et Sitifim, id est in Mauretania Sitifensi, in qua Assafensem Episcopatum Notitia recenset: idem et Tabula Peutingeriana refert. quare vix ambigendum, unam eandemque civitatem designari: abnormis enim et exlex fuit in plerisque urbium appellationibus Afrorum consuetudo, et parum fere emendatus Latini sermonis usus.

VITALIS. hunc in albo Episcoporum Mauretaniae Sitifensis vicesimum quartum Notitia numerat, pertinetque ad annum CCCCXI. quo omnes Africae Episcopos Rex Hunericus Carthaginem convocavit.

LVIII. ASSVRITANVS

Nomen oppido fuit *Assurae,* quas Itinerarium Antonini inter Sicilibbam et Tuccam Terebinthinam recenset. Plinio autem oppidum Azuritanum civium Romanorum sive Municipium esse videtur (1), in provincia Proconsulari situm: quod in quibusdam codicibus *Absuritanum* est.

FORTVNATIANVS. de hoc scripsit Cyprianus circa annum CCLII. ad Episcopum et plebem Assuritanorum (2): *Graviter et dolenter motus sum, fratres carissimi, quod cognoverim, Fortunatianum quondam apud vos Episcopum post gravem lapsum ruinae suae pro integro nunc agere velle, et Episcopatum sibi vindicare coepisse,* et quae deinceps: honore nempe ille exciderat, quod Decianae cladis temporibus datam Deo fidem miser violaverat, et inanibus Diis sacrificium obtulerat

EPICTETVS. hic in Fortunatiani locum factus est, ex quo ille proditionis scelere Episcopatum amisit: atque ad hunc scripsit Cyprianus epistolam, quam modo memoravimus. decessit Epictetus ante annum CCLV. nam Assurarum Episcopus hoc anno erat.

VICTOR. interfuit hic Concilio Carthaginiensi, quod tertium de Baptismo celebravit Cyprianus an. CCLV. in eoque sententiam sexagesimo octavo loco dixit.

PRAETEXTATVS. e secta Maximianistarum erat hic, memoraturque inter Episcopos, qui Cabarsussim convenerunt anno CCCLXXXXIII (3). eundem Augustinus inter duodecim Maximiani Ordinatores numerari scribit (4), quem anno sequenti Donatistae Primiani fautores in Concilio Bagajensi damnaverunt (5). de ipsius exitu sic Augustinus (6): *Nonne Praetextatus*

(1) *H. N. lib. V. c.* 4.
(2) *epist.* 64.
(3) apud Aug. *in Ps. XXXVI. serm. II. n.* 20.
(4) idem *contra litt. Petil. lib. I. c.* 10.
(5) idem *lib. VIII. contra Cresc. c.* 4.
(6) idem *Epist. contra Donatist. c.* 18.

Assuritanus et in ipso Concilio damnatus legitur, et gestis Proconsularibus a vobis (Donatistis) *accusatus et oppugnatus, et tamen in quo damnatus erat, honore susceptus, et in vestra communione defunctus est?*

ROGATVS. damnato Praetextato, hunc Donatistae e secta sua suffecerunt. at idem postea schisma aversatus, Catholicus factus est, et multa ac gravia a Donatistis ob Catholicam professionem toleravit; de quo haec memoriae mandavit Augustinus (7): *In loco unius ipsorum Praetextati Assuritani alium jam ordinaverant nomine Rogatum, qui modo Catholicus est, cui exercitus istorum, id est agmen Circumcellionum linguam et manum praecidit.* scribebat haec Augustinus anno CCCCXVIII. quare serius ad Catholicos accessisse Rogatus dicendus est, sive post an. CCCLXXXXVII. quo jam Assuritani Catholicum Episcopum habebant. neque enim alium creassent, si tum Rogatum in Catholicorum partem secessisse cognovissent.

EVANGELVS. hunc non esse *Evagrium*, qui legitur quintus initio epistolae, quam Episcopi provinciae Proconsularis misere ad Innocentium Pontificem maximum, ostendit Norisius in censura Garnerii. ipsius autem *Evangeli* non semel mentionem factam invenies in codice canonum Ecclesiae Africanae (8) *Caesario et Attico V. C. Cos. V. kal. Sept. Carthagine in secretario Basilicae Restitutae, quum Aurelius Episcopus una cum Episcopis consedisset: adstantibus etiam diaconis, advenientibus quoque Victore sene Puppianense, Tito Migirpense, Evangelo Assuritano, Aurelius etc.* est autem tertium e Conciliis Aurelianis, quod actum est anno CCCLXXXXVII. tum idem Evangelus rursum in eodem codice occurrit, et alteri Concilio interfuisse perhibetur anno CCCCI. quum de ordinanda Ecclesia Hipponensium Diarrhytorum actum est (9). decennio post superstes etiamtum Carthaginem tertio petiit Collationis caussa, quae inter Episcopos Catholicos et Donatistas instituta fuit, quo in conventu citatus *Praesto sum*, inquit (10), nec adversarium habuit, qui prodiret, et sibi eum notum esse affirmaret: sed Petilianus Donatista subjecit, *Noster ibi defunctus est, ipse dicat*, Praetextatum scilicet designans, quem Augustinus anno CCCC. scribens contra epistolam Parmeniani, *non longe* sive non multo ante mortuum dicit (11). Rogatum certe non significabat Petilianus, quum ille viveret, et cum Catholicis sentiret.

PEREGRINVS. hunc Notitia ordine decimum nonum recenset inter Episcopos provinciae Proconsularis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ab Rege Hunerico ad communem conventum evocati, ob Catholicam professionem in exsilium ejecti sunt. Peregrino autem adscriptum est *In exsilium hic*, id est enm in Africa ipsa exsilium tolerasse: quo pertinent illa ministrorum regiorum verba apud Victorem (12) *Iussit Rex, ut civitates*

(7) idem *de gestis cum Emerito n.* 9.
(8) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 882.
(9) *ibid. p.* 906. *can.* 78.
(10) *Cognit. I. n.* 120.
(11) *lib. ul. c.* 6. *extr.*
(12) *Pers. Vand. lib. ul. c.* 5.

atque ecclesias vestras nunquam videatis, sed relegati, colonatus jure ad excolendum agros accipiatis etc.

LVIIII. ASVOREMIYTENSIS

Vix credibile est nomen hujusmodi carere mendo: sic tamen legi in antiquis codicibus, testatur Ruinartius, qui vidit. oppidum in Mauretania Sitifensi fuisse, Notitia una docet, cui adquiescendum est.

AEMILIVS. est hic tricesimus sextus inter Episcopos Mauretaniae Sitifensis, qui cum ceteris Carthaginem convenerunt anno CCCCLXXXIIII. atque inde a Rege Hunerico in exsilium missi sunt.

LX. AVGVRENSIS

Oppidum Augurense Numidiae adtribuit Notitia, sed de eo silent Geographi. quid si *Audurus* fuisse dicatur? de quo Augustinus (1): *Audurus nomen est fundi, ubi Ecclesia est, et in ea Memoria Stephani Martyris.* vicum in Numidia fuisse, ex toto orationis contextu apparet: quae enim Augustinus simul commemorat, ad coloniam Hipponensem et finitimos pertinent, id est ad Numidiam.

MONTANVS. interfuit hic Collationi Carthaginiensi an. CCCCXI. appellaturque *Episcopus Ecclesiae Catholicae Auguritanae*, qui et vocatus *Praesto sum*, inquit (2), *unitatem habeo.*

LEPORIVS. tricesimum quintum Notitia hunc numerat inter Episcopos Numidiae, quos Carthaginem ad communem conventum profectos esse scimus anno CCCCLXXXIIII. quo Rex Hunericus dolo convocatos in exsilium ejecit.

(1) *de Civ. Dei lib. XXII. c. VIII. n.* 15. (2) *Cognit. I. n.* 126.

LXI. AVRVSVLIANENSIS

Sulianas oppidum in Byzacena fuisse Notitia ostendit. ibidem fortasse et *Aurusulianae* fuere, quae sic discriminis caussa vocarentur. ceterum nihil de his exploratum dici potest.

SECVNDINVS. hunc inter Episcopos Maximianistas invenies (1), qui subscripsere epistolae synodicae Concilii Cabarsussitani an. CCCLXXXXIII.

HABETDEVS. hic Collationi Carthaginiensi inter Donatistas adfuit, qui citatus ait (2), *Mandavi et subscripsi.* erat tum annus CCCCXI.

(1) apud Aug. *in Ps. XXXVI. ser. II. n.* 20. (2) *Cognit. I. n.* 206.

LXII. AVSAFENSIS

Ausafam neglexere Geographi; at in Conciliis non semel memoratur; eamque in provinciae Proconsularis finibus sitam, cum Harduino censemus,

quum ejus Episcopos in Concilio Cypriani sententiam dixerit post Episcopum Hipponis Diarrhyti, et inter Ordinatores Maximiani cum aliis ejusdem provinciae Ausafensis quoque numeretur.

LVCIVS. adfuit hic Concilio, quod Cyprianus tertium de Baptismo celebravit Carthagine an. CCLV. in quo et sententiam septuagesimo tertio loco dixit. quidam codices appellant *ab Avasafa*, sed in Augustino etiam, ubi Episcoporum illorum sententias singulas refellit (1), *ab Ausafa* legimus.

SALVIVS. frequens hujus est meotio in Augostino. fuerat autem uous e duodecim Ordiuatoribus Maximiani, et Concilio Cabarsussitano interfuerat anno CCCLXXXXIII (2). eundem aooo sequenti in synodo Bagaitana a Donatistis Primiani fautoribus damnatum constat (3).

(1) *de Bapt. contra Donat. lib. VII. c. 37.*
(2) *idem in Ps. XXXVI. serm. II. n. 20.*
(3) *idem contra Crescon. lib. III. c. 19. item alibi.*

LXIII.

AVSANENSIS

Aosanam in provincia Procoosulari fuisse ex Notitia discimus: nec de nomine controversia institui potest, quum idem io editis libris et in antiquis codicibus reperiatur: ut ii audiendi non sint, qui vicum huoc sive oppidnm ipsam esse Ausafam suspicaotor, quam modo recensuimus.

CASSOSVS. hunc quadragesimnm septimum invenies in albo Episcoporum proviociae Proconsularis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem cum reliquis evocavit. nomini adscriptum est *Hic*, quae vox indicat, exsilii locom Cassoso fuisse Ausanam ipsam sive agrum ejus, aut certe angulum Africae aliquem, ut superins de Peregrino Assuritano adnotavimus, nisi de Constantinopoli cum Sirmondo interpretari velis.

LXIIII.

AVSVCVRRENSIS

Hunc quoque Episcopatum uni Notitiae debemus, et ex eadem in Numidia fuisse liquet. obscurum cetera nomen, de quo frustra apud veteres quaeras.

DONATVS. occurrit hic ordioe decimus quintus in albo Episcoporum Numidiae, qui anoo CCCCLXXXIIII. Carthagioem a Rege Hunerico vocati communem Catholicorum Episcoporum poenam subierunt.

LXV.

AVSVGABRENSIS

Zugabbaritanam civitatem in Mauretania Caesariensi fuisse reperio. nominis autem affinitas facit, nt Episcopatnm hunc in eadem provincia fuisse suspicer. nam et illud AV fortasse pro AB usurpatum est, ac vicioitatem, opiuor, ejus oppidi designat, uode nomen habebat. Afros autem asperius loquutos latioe, indicant illa apud Hieronymum (1): *Grammaticum qui-*

(1) *lib. III. contra Ruff. n. 27.*

dam Afrum habuit Romae virum eruditissimum, et in eo se aemulum praeceptoris putabat, si stridorem linguae ejus et vitia tantum oris exprimeret. inde factum, ut Afri linguam interdum in scribendo suam, non grammaticen sequerentur. verum haec dicta putes, ne nihil diceretur.

CRESCONIVS. hunc citatum legimus in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. inter Episcopos Donatistas, qui accedens ait, *Mandavi et subscripsi.* Catholicum Episcopum sibi esse adversarium non indicavit (2).

(2) *Cognit. I. n.* 201.

LXVI. AVTENTENSIS

In provincia Byzacena situm *Autentum* ostendit Notitia: et ex Antonini Itinerario novimus, inter Amudarsam et Sufetulam fuisse.

HORTENSIVS. hic centesimus quartus ordine est in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. cum reliquis Catholicis Episcopis relegavit.

OPTATVS. subscripsit hic epistolae Concilii Byzaceni, quae an. DCXXXXI. ad Constantinum Aug. Heraclii filium missa est adversus Monotheletas: cujus exemplum nobis servavit synodus Lateranensis Martini I. P. M. (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 739.

LXVII. AVZAGERENSIS

Compertum ex Notitia habemus, *Auzageram* in provincia Byzacena fuisse. an haec sit *Auza*, quam Iosephus (1) ab Ithobalo Achabi socero in Africa conditam, ex Menandro tradit, minime suspicatus est Bochartus: qui tamen maritimum aliquem locum quaerebat, quem Phoenicibus suis placuisse, veri magis simile esset (2).

DONATVS. adfuit hic anno CCCCXI. inter Donatistas Collationi Carthaginiensi, citatusque ait, *Mandavi et subscripsi* (3).

VILLATICVS. hunc Notitia nonagesimum sextum recenset inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. cum reliquis Africanis ab Rege Hunerico ob Catholicam professionem in exsilium acti sunt.

(1) *lib. I. contra Appion.*
(2) *Geogr. Chan. lib. I. c.* 24.
(3) *Cognit. I. n.* 208.

LXVIII. AVZVAGENSIS I.

Geminam in Africa *Auzuagam* sive *Auzaggam* fuisse, declarat interlocutio Primiani Carthaginiensis Donatistarum Episcopi in Collatione, qui controversiam solvit, quae orta erat ob Episcopos Anzuagenses binos, qui tum ciebantur (1). utramque in provincia Proconsulari agnoscere par est, quum de iis interloquutus sit Primianus, cui maxime provincia illa nota esse debebat.

(1) *Cognit. I. n.* 179.

AYMNIVS. hic quinqnagesimo loco sententiam dixit in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianns tertium de Baptismo celebravit an. CCLV (2).

IANVARIANVS. circa tempus Collationis Carthaginiensis anni CCCCXI. hunc obiisse testatnr Primianus Donatista, e cujns factione idem erat (3). primae autem Auzuagae, quae a Cypriani temporibus Episcopos habebat, hnnc adscribendum duximus, quod et Primianus primum commemorarit.

(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 171. (3) *Cognit. I. n.* 179.

LXVIIII. AVZVAGENSIS II.

Vix ambigendum puto, quum tot urbes Africanae ab *Ausa* vel *Auza* initium nominis ducant, eas ab Auza vetere Ithobali originem habere, tamquam a profugis: nam *Bagaudae* sive *Vacaudae* dicti rebelles (1), unde et *Vagenses* esse non inmerito existimes. porro Auzuagam quoque alteram in provincia Proconsulari item fuisse diximus.

PRIVATVS. adfuit hic Collationi Carthaginiensi inter Donatistas anno CCCCXI. et citatus ait, *Mandavi et subscripsi* (2). de eodem testimonium dixit Primianns his verbis (3): *Est Auzuagga, ubi fuit Ianuarianus, qui nunc defunctus est: alia Auzuagga, ubi est Privatus, qui nunc vivit.*

(1) v. Bochart. *Geogr. Chan. lib. I. c.* 62. (3) *ibid. n.* 179.
(2) *Cognit. I. n.* 126.

LXX. BABRENSIS

Oppidi hnjus vestigium apud Geographos hand facile reperias. sed tamen in Numidia fuisse ex Notitia discimus.

VICTORINVS. pertinet hic ad annum CCCCLXXXIIII. quo Rex Hunericus conventum omnium Episcopornm indixit Carthaginem, numeratnrque in albo Episcoporum Numidiae septuagesimus quartus. nomini autem ejus addita nota est, quae declarat, in ipso itinere aut in exsilio eum periisse.

PETRVS. vivebat hic anno DLXXXXIII. quo anno scripsit ad eum Gregorius magnus, Valerianum Presbyterum enixe commendans, qui in Africam captivorum redimendorum caussa trajiciebat (1). titulus epistolae vexatus ad nos pervenit, et variant codices: sed Vaticanus unus habet *Episcopo Bauricis*, alii *de Baricis*. enimvero ad Episcopos Numidiae litteras non semel a Gregorio missas constat.

(1) *lib. III. epist.* 16.

LXXI. BACANARIENSIS

In Mauretania Caesariensi Bacanariam censere videtnr Notitia, quod Tingitaniam tamquam provinciae partem habeat, et unam exhibeat Episcoporum seriem, in qua simul omnes utriusqne tractus sine discrimine numerantur. at in Itinerario Antonini indicium est quoddam, Bacanariam in Tingitania fuisse: quippe inter *sex Insulas* et *Russadirium* memorat

promontorium Canarum, quibus in verbis mendum fortasse inest, et scriptum ante fuerat *promontor. Vacanarum.*

PALLADIVS. hunc ordine quadragesimum legimus in albo Episcoporum Mauretaniae majoris, qui Carthaginem cum reliquis jussu Regis Hunerici adierunt anno CCCCLXXXIIII. atque inde in exsilium Catholicae professionis caussa missi sunt.

LXXI. BADIENSIS

Badae in Numidia fuisse ab Harduino putantur, et a *Vada* omnino distinguuntur, atque a *Vaga* oppidis ejusdem provinciae. certe in eodem Concilio bini Episcopi fuere, alter *a Badis*, alter *a Vaga*: sed ejusdem ne provinciae ambo, an diversae fuerint, non dijudico. ad Badas pertinere videtur qui in Notitia Imperii occidentalis sub Comite Africae appellatur *Praepositus Limitis Badensis.*

DATIVVS. sententiam hic dixit decimo quinto loco post tres Episcopos Numidicos in Concilio Cypriani, quod tertium de Baptismo celebratum ab eo est Carthagine anno CCLV (1). claruit idem, opinor, biennio post inter Confessores.

PANCRATIVS. adfuit hic inter Donatistas Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. citatusque respondit, *Et Mandavi, et subscripsi* (2).

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 166. (2) *Cognit. I. n.* 180.

LXXII. BAGAIENSIS

Holstenio aliisque non bene visum, oppidi hujus nomen fuisse *Vaga.* nam Baga, quam Procopius a Iustiniano communitam, ac Theodoriadem ab Augustae nomine appellatam tradit, in provincia Proconsulari sita erat. Bagaim autem ipsam in Numidia ad fluvium Abigam idem agnoscit, quamquam urbem desertam nominat, Belli nempe Vandalici libro secundo, capite vicesimo nono. eadem Augustino diserte est *Bagai*, sic enim Donatistas gloriantes inducit (1): *Et nostra Ecclesia magna est, quid tibi videtur Bagai et Tamugade?* hae nimirum praecipuae Donatistarum Ecclesiae tum erant, ambae in Numidia. apud Bagaim anno CCCLXXXXIIII. Concilium trecentorum et decem Episcoporum celebratum fuerat, in quo Maximianum et Ordinatores ejus damnaverant. indidem erat, quem tamquam Martyrem suum colebant, Donatus: de quo Augustinus (2): *Proferunt nobis nescio quos in persequutione suos Martyres: ecce Marculus de petra praecipitatus est, ecce Donatus Bagajensis in puteum missus est:* quos quidem fama ferebat voluntaria morte interiisse. de Basilica ibidem a Donatistis incensa deque aliis eorum sceleribus haec idem attigit (3): *In illo oppido commemoraverunt Catholici ab eis horrenda esse commissa*,

(1) *in ps. XXI. Enarr. II. n.* 26.
(2) *Tract. XI. in Ioan. n.* 15.
(3) *in Brevic. Collat. c. XI. n.* 23.

ita ut etiam Basilica esset incensa, et in ignem missi codices sancti. sed tamen Catholicam, quae illic quoque erat, Ecclesiam maxime illustravit Confessor egregius Maximianus Episcopus, cujus et in Martyrologio Romano fit mentio v. non. oct.

FELIX. Concilio hic, quod Cyprianus tertium de Baptismo Carthaginem vocavit, anno CCLV. interfuit, et sententiam duodecimo loco dixit, opinionem Cypriani sequutus, Baptisma haereticorum repudiandum esse (4).

DONATVS. hic ille est e praecipuis Donatistarum antesignanis, qui Agonisticos, ut vocabat, sive Circumcelliones armavit adversus Paullum et Macarium a Constante Aug. in Africam missos, ut calamitosis et egentibus stipem distribuerent. nam ii quorum inopiam levabant, eorum etiam animos ad Vnitatem hortabantur. ejus saepe meminit Optatus et Augustinus: idemque est, quem Donatistae tamquam Martyrem, ut diximus, venerabantur. sublatus putatur circa annum CCCXXXXVIII.

GAMALIVS. cietur hic primus in sententia, quae a Donatistis Primiani fautoribus dicta est in Concilio Bagaitano, annum CCCLXXXXIII. contra Maximianum. nec dubium, indidem eum fuisse: cur enim ante ipsum Primianum recenseretur, siquidem extraneus advenisset?

MAXIMIANVS I. fuerat hic ex parte Donati, itemque frater ejus Castorius: sed eos *Catholica Mater*, ut Augustinus loquitur (5), *in hereditatem Christi ab exheredata praecisione fugientes pio sinu suscepit.* porro quum Maximianus Ecclesiam Bagajensem administrare coepisset, sive ob severitatem sive ob veterem maculam, in odium offensionemque populi incidit. ratus autem e re Christiana fore, si se abdicaret, Episcopatu sponte abiit. de quo facto sic Augustinus et Alypius ad Castorium scripsere: *Voluit ergo Deus etiam per fratrem tuum filium nostrum Maximianum ostendere inimicis Ecclesiae suae esse in visceribus ejus qui non sua quaerant, sed quae Iesu Christi. neque enim illud ministerium dispensationis mysteriorum Dei victus aliqua saeculari cupiditate deseruit, sed pacifica permotus pietate deposuit, ne propter ejus honorem foeda et periculosa, aut fortasse etiam perniciosa in membris Christi dissensio nasceretur.* porro Maximiani abdicatio pertinet ad annum CCCCII. ut epistola ipsa declarat.

CASTORIVS. in Concilio Milevitano sancitum legimus an. CCCCII. his verbis (6): *De Maximiano autem Bagajensi et ad eum et ad ipsam plebem placuit de Concilio litteras dari, ut et ipse ab Episcopatu discedat, et illi sibi alium requirant.* enimvero Castorium Maximiani fratrem a Bagajensibus adscitum declarat epistola Augustini et Alypii, quam modo delibavimus, ipsi Castorio missa, ut eum ad suscipiendum pontificatum illum hortarentur. *Plebs,* inquiunt (7), *illa, cui per tuam mentem ac linguam donis Dei fecundatam et ornatam uberrima incrementa speramus, in te*

(4) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 163
(5) *epist.* 69. *n.* 1.
(6) apud Hard. *ibid. p.* 911.
(7) *epist.* 69. *n.* 2.

intelligat fratrem tuum non pro sua desidia, sed pro ejus pace fecisse quod fecit. ceterum haud diuturnus Castorii Pontificatus fuit. nam biennio post, sive anno CCCCIIII. Episcopus alter Bagajensem Ecclesiam regebat. is fuit

MAXIMIANVS II. hunc sanctis Confessoribus adnumerari, superius adnotavimus. quae autem a Donatistis toleraverit, non semel Augustinus memoravit. satis sit hic attingere, quae habet in epistola ad Bonifacium (8): *Stantem*, inquit, *ad altare irruentes horrendo impetu et furore crudeli, fustibus et cujuscemodi telis, lignis denique ejusdem altaris effracti immaniter ceciderunt: pugione etiam percusserunt in inguine; quo vulnere sanguis effluens eum exanimem redderet, nisi ei ad vitam major saevitia eorum profuisset. nam quum graviter sauciatum per terram insuper traherent, exundanti venae pulvis obtrusus sanguinem abstinuit, cujus effusione ibat in mortem. deinde quum ab eis tandem relictum nostri cum psalmis auferre tentarent, illi ira ardentiore succensi, eum de portantium manibus abstulerunt, male multatis fugatisque Catholicis, quos ingenti multitudine superabant, et facile saeviendo terrebant. inde in quamdam turrem levatum, jam defecisse arbitrantes, quum ille adhuc viveret, abjecerunt. sed quodam molli aggere exceptus, et a quibusdam nocte transeuntibus per lucernam conspectus, agnitus atque collectus, et ad religiosam domum apportatus, adhibita magna cura, post multos dies ab illa desperatione recreatus est.* haec contigisse constat ante annum CCCCV. nam hoc anno propositum est Honorii Aug. Edictum contra Manichaeos et Donatistas, quod et Patres Concilii Carthaginiensis et ipse Maximianus petierant (9). Baronius et quidam alii opinati sunt, hunc esse Maximianum, qui se Episcopatu sponte abdicavit (10). verum repugnat sanctio Concilii Milevitani, quam superius protulimus, quippe quae annum abdicationis designat CCCCII. quum Augustinus Maximianum post illam vexationem etiamtum Episcopum fuisse Bagajensium ostendat, et auxilium ab Imperatore implorasse dicat, *non tam sui ulciscendi caussa, quam tuendae Ecclesiae sibi creditae* (11): quod omnino referendum est in annum CCCCIIII. quo et decretum de legatione ad Augustum in Concilio Carthaginiensi factum est (12). vivebat autem et anno CCCCVI. (13)

DONATIANVS. hic se Carthaginem Collationis caussa contulit an. CCCCXI. interfuitque inter Donatistas, ac citatus ait, *Mandavi et subscripsi* (14). de Episcopo Catholico mentionem non fecit, quod jam, ut opinor, Maximianus decesserat.

FVLGENTIVS. hunc Notitia centesimum undecimum numerat in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum ceteris Catholicis Episcopis relegavit. in

(8) *epist.* 185. *n.* 27.
(9) August. *ibid. n.* 25. *et* 28.
(10) *in adn. ad Martyr. die* III. *Oct.*
(11) August. *ibid. n.* 28.
(12) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 915.
(13) Aug. *contra Crescon. lib.* 3. *c.* 43. *n.* 47.
(14) *Cognit. I. n.* 176.

ipso autem exsilio defunctum Fulgentium nota mortis adjecta indicat. is *Vagadensis* appellatur, pro *Bagajensis*, vulgi arbitrio, cui nulla loquendi norma est.

LXXIIII. BAIANENSIS

Bajanae in Numidia erant, ut ex earum Episcopis apparet: sed apud Geographos nulla indicia reperio. nomen si spectes, a palmis ductum videri possit: nam βαΐς et βαΐον Graecis est palmae ramus: ac palmarum magnitudine et suavitate interiorem Africam constare scribit Plinius (1) ad Garamantas usque et deserta.

FELIX. sententiam hic dixit decimo loco in Concilio Carthaginiensi anni CCCXXXXVIIII. et provinciae suae senior sive Primas fuisse videtur: quum eum Gratus in Concilii praefatione primum nominandum curaverit (2). quamquam hoc etiam tributum credi potest, quod ex Numidia esset, quae semper post Proconsularem prima provinciarum habita est.

BEIANVS. fuit hic e duodecim Ordinatoribus Maximiani, quos Concilium Bagaitanum anno CCCLXXXXIIII. damnavit (3).

VALENTINVS. hujus subscriptio lecta est in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. post Silvanum Summensem Numidiae Primatem (4): idemque rursum post Silvanum citatus, respondit, *Praesto sum* (5). defuncto autem Silvano, primus ipse seniorum evasit, et anno CCCCXVIIII. Concilio Carthaginiensi XVIII. inter Aureliana interfuit, in cujus praefatione appellatur Episcopus *primae sedis provinciae Numidiae* (6). porro in Collatione Carthaginiensi adversarius quoque ejus prodiit Quintasius, qui inter Donatistas citatus ait, *Mandavi et subscripsi* (7).

(1) *H. N. lib. XIII. c.* 19.
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 685.
(3) Aug *contra Cresc. lib* III. *c.* 4.
(4) *Cognit. I. n.* 57.
(5) *ibid. n.* 99.
(6) apud Hard. *ibid. p.* 1241.
(7) *Cognit. I. n.* 136.

LXXV. BAIESITANVS

In Numidia *Bajesam* recenset Notitia, siquidem unum est oppidum, quod modo *Bajesitanum*, modo *Vadesitanum*, modo *Vndesitanum* in antiquis codicibus scriptum invenitur, ut Baluzius et Ruinartius (1) adnotarunt. ceterum obscura est loci fama, nec indicium ejus apud Geographos reperies.

FORTUNATVS. occurrit hic in Collatione Carthaginiensi an. CCCCXI. et appellatur *Vndesitanus*. erat autem e Catholicis: itaque ut respondit *Praesto sum*, prodiit adversarius ejus Donatista Cresconius, qui ait (2) *Agnosco illum*. at hic Cresconius quum deinde citatur, non *Undesitanus*,

(1) *in not. ad Not. Num. n.* 98.
(2) *Cognit. I. n.* 126.

sed *Bajesitanus* dicitur (3), qui et addit, *Mandavi et subscripsi.* itaque apparet in alterutro loco mendum esse.

ANNIBONIVS. hunc ordine nonagesimum octavum legimus in albo Episcoporum Numidiae, qui cum reliquis Africanis Carthaginem convenerunt anno CCCCLXXXIIII. atque inde a Rege Hunerico, qui eos convocarat, in exsilium ejecti sunt. in Notitia tamen *Vadesitanus* audit.

(3) *ibid. n.* 201.

LXXVI. BALIANENSIS

Balianam, de qua silent Geographi, in Mauretania majore fuisse, Notitia docet. nec existimandum est, eandem urbem fuisse, quae Belianensis in Concilio Cabarsussitano appellatur: nam in eodem diversi utriusque Episcopi cientur, et utrumque Donatistam fuisse liquet.

PANCRATIVS. subscripsit hic epistolae synodicae Maximianistarum in Concilio Cabarsussitano anni CCCLXXXXIII (1).

CAECILIVS. est hic ordine nonagesimus primus inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. ad communem Episcoporum conventum profecti Carthaginem, procul ab Ecclesiis suis exulare coacti sunt.

(1) apud Aug. *in ps. xxxvI. Serm. II. n.* 20.

LXXVII. BAMACCORENSIS

Inter civitates nationesque Africae memorantur a Plinio (1) *Vamacures*, quos in Numidia fuisse, ex Notitia discimus. quamquam appellatio in codicibus antiquis variat, et Episcopatus idem non modo *Vamaccorensis*, in quo nihil absurdi est, sed etiam *Damatcorensis* et *ab Amaccura* aut *Amachorra* appellatur: quod scribis librariis omnino debemus.

FELIX. Concilio hic interfuit, quod Cyprianus tertium de Baptismo Carthagine celebravit anno CCLV. sententiamque tricesimo tertio loco dixit. Nominatur *ab Accura*, vel *ab Amaccura*, ut apud Augustinum (2). sed adnotat Harduinus (3), in exemplaribus ejus Concilii scriptum quandoque legi *a Bamaccore.*

CASSIANVS. quum hic presbyter esset, Donati partem aliquando sequutus fuerat. at Episcopus Catholicus fuit, et inter Catholicos adfuit Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. in qua audit *Episcopus plebis Bamaccorensis.* porro quum citatus dixisset, *Praesto sum* (4), processit adversarius ejus, et *Agnosco*, inquit, *illum, Presbyter meus fuit.* huic Donato nomen erat; qui deinde vocatus (5), quum professus esset, *Mandavi et subscripsi*, adjecit, *Et nullum habeo adversarium in plebe, nisi*

(1) *H. N. lib. v. c.* 4.
(2) *de Bapt. contra Donat. lib. vI. c.* 11.
(3) *Conc. T. I. p.* 167.
(4) *Cognit. I. n.* 128.
(5) *ibid. n.* 187.

solum Absalonem: quibus verbis defectionem Cassiani notare voluit, qui ad Catholicos accesserat. idcirco tum Aurelius Episcopus Catholicus Ecclesiae Macomadiensis aenigma ita solvit, *Hic est*, inquiens, *Episcopus praesens Cassianus.*

DVMVIRIALIS. est hic decimus quartus in albo Episcoporum Numidiae, quos Notitia cum aliis recenset, qui anno CCCCLXXXIIII. ab Rege Hunerico Carthaginem evocati, ob Catholicam professionem exsilio affecti sunt. apposita autem huic nota est, quae eum ante aliorum reditum obiisse indicat.

LXXVII.

BANENSIS

Idem oppidum esse putatur, quod *Bana* et *Bahanna* et *Boana* scriptum occurrit: quodcumque vetus fuerit nomen, in provincia Byzacena erat, quemadmodum Notitia demonstrat, nec quidquam praeterea novimus.

VICTOR. e numero Catholicorum Episcoporum hic fuit, qui Collationi Carthaginiensi interfuerunt anno CCCCXI. in ea quum citatus respondisset, *Praesto sum*, adjecit (1), *Unitatem habeo.*

DONATVS. hunc Notitia septuagesimum tertium numerat inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem Episcoporum conventum accitos communi ceterorum poena multatos in exsilium ejecit.

IANVARIVS. subscripsit hic epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. ad Constantinum Aug. Heraclii filium missa est adversus Monotheletas (2).

(1) *Cognit. I. n.* 126. (2) apud Hard. *Con. T. III. p.* 740.

LXXVIII.

BANZARENSIS

Memorat Plinius *Banasam* Coloniam, quae et *Valentia* cognominata est (1), in Tingitania sitam LXXV. millia passuum ab Lixo ad Austrum sive in mediterraneo. hanc Episcopo caruisse vix crediderim: itaque quum aliud nomen affine magis non occurrat, sub hoc, de quo agimus, latere suspicor, quod Africana illa licentia aut scribarum imperitia vitiari facile potuit.

CRESCONIVS. partem hic Donati sequebatur, adfuitque inter suos Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. in qua citatus, *Mandavi*, inquit (2), *et subscripsi:* tum adjecit, *Traditorem non habeo in plebe mea:* id est Catholicum Episcopum; sic enim a Caeciliani Carthaginiensis temporibus nostros appellabant.

(1) *H. N. lib. V. c.* 1. (2) *Cognit. I. n.* 202.

LXXX. **BAPARENSIS**

Ioter Mauretaniae Caesariensis urbes recenset Ptolemaeus (1) *Vabar*, et in veteri inscriptiooe, quam Maffejus edidit (2), meotio fit *Bavarum* Maurorum. nec ambigendum est utrumque locum ad civitatem haoc pertioere. nihil enim frequentius quam B pro V, et V aut B pro P. rem Notitia confirmat, quae Episcopatum hunc eidem provinciae adtribuit.

VINCEMALVS. in codice Lauduoeosi reperit Ruinartius *Vincemalos*, quae appellatio, si Africanorum ingeoium et cousuetudinem spectes, probabilior videri debet: sumptam eoim sacris e litteris crediderim, ubi jubemur *vincere in bono malum* (3). hic porro nonagesimus octavus est ioter Episcopos Mauretaniae Caesarieosis, quos Rex Hunericus ao. CCCCLXXXIIII. Carthaginem cum aliis evocatos exsilio multavit.

(1) *Geogr. lib. III. c. 2.*
(2) *Mus. Ver. p. 463. n. 1.*
(3) *ad Rom. c. XII. n. 21.*

LXXXI. **BARTANENSIS**

Cui provinciae adscribenda sit *Bartana*, sive oppidum sive vicus fuerit, nemo indicat. quia tameu Episcopos ejus iu Collatiooe Carthaginieusi cietur ioter binos Episcopos proviuciae Byzaceuae, in hac potius, qoam iu alia ceoseri debet.

VITALIS. subscripsit hic epistolae, quam Athanasios an. CCCXXXXVI. e synodo Sardiceosi scripsit ad Presbyteros suos, qui Ecclesias Mareotidis regebant. ea in codice Veronensi primom reperta et a Maffejo edita est (1). ceterum in ea Vitalis dicitur *Vertaresis Africae.* V nempe pro B, ut saepe alias, usurpatum, nemo jure repudiet: reliqua magis dissident. verum scribae culpandi, qui nomina in primis et appellationes proprias pessime plerumque reddideruot: nec tamen vestigia uegligenda, quae manent.

VICTOR. adfuit hic Collationi Carthagiuieosi ioter Catholicos, ac strenous Dooatistarum oppugnator fuisse putaudus est. nam anno illo CCCCXI. quum conventus haberetur, et citatus dixisset, *Praesto sum*, processit Hooorius Douatista ejusdem loci Episcopus, et *In mala,* inquit (2), *quae fecit mihi, modo illum didici.*

(1) *post Hist. Theol. p. 260.*
(2) *Cognit. I. n. 126.*

LXXXII. **BAZARIDIDACENSIS**

Quo in angulo esset *Bazaridida* sive *Bazarididaea,* non legimus. Episcopus ejus memoratur post Utineusem, cujus Ecclesia sine controversia censebatur io proviucia Procoosulari. sed qui subsequitur, ad Numidiam pertinebat: quare loci iodicium incertum ducerem, nisi mihi Publianus occurreret decimus io epistola, quam Episcopi provinciae Procousularis miseruut ad Inoocentium Pontificem maximum anno CCCCXVI.

PVBLIANVS. Collationi Carthaginiensi hic interfuit anno CCCCXI. inter Catholicos, citatusque, *Praesto sum*, inquit, *unitas est* (1). quod tum significabat, unum esse in ea Ecclesia Episcopum, et populum universum a Donatistarum schismate alienum immunemque esse.

(1) *Cognit. I. n.* 128.

LXXXIII. BAZARITANVS

Vici hanc appellationem fuisse, non urbis oppidive, ex canone LIII. Codicis Africani (1) discere licet, in quo Epigonii Episcopi Bullensium Regiorum querela exponitur apud Concilium expostulantis, puerum, quem ipse apud se educasset, a Iuliano Bazaritano sibi esse ereptum *quasi proprium civem sui loci Vazaritani*, ac deinde Diaconum esse ordinatum. illa nempe *loci* appellatio usurpata videtur, quod potiori nomine careret vicus, ubi honoris sui sedem habebat Iulianus. erat autem in Numidia, ut Notitia nos edocet.

IVLIANVS. hic est, quem modo commemorabam, Aurelii Episcopi Carthaginiensis aequalis, in cujus Concilio III. quod vocatum constat anno CCCLXXXXVII. tamquam de Episcopo etiamtum superstite questus est Epigonius (2), et de Iuliani facto atque poena actum est.

ADEODATVS. interfuit hic Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. itaque proximus Iuliano successisse videtur. erat autem Catholicus, et Catholicae Ecclesiae suae ampliator. nam in Collatione sic est loquutus (3): *Praesto sum. est quidem in corpore constitutus Calipotius; sed quum videret universum populum ad Ecclesiam Catholicam fuisse conversum, discessit.* ceterum ille *Calipotius* sive *Calipodius* cum Donatistis suis ad Collationem se conferre non dubitavit, citatusque respondit (4), *Mandavi et subscripsi.*

VITALIANVS. hujus nomen tricesimo secundo loco legimus in albo Episcoporum Numidiae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. ad communem conventum Carthaginem evocatos, ob constantiam Catholicae professionis cum reliquis relegavit.

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 891.
(2) *ibid. p.* 966.
(3) *Cognit. I. n.* 129.
(4) *ibid. n.* 188.

LXXXIIII. BELALITENSIS

Episcopatum hunc Harduinus provinciae Proconsulari adtribuit: sed quam sequutus auctoritatem id fecerit, non reperio. nomen oppido a sole inditum dixeris: nam *Bel* Phoenicibus sol est (1): et ab his colonias in Africam deductas nemo ignorat. sed de eo tamen silent Geographi.

ADEODATVS. cietur hic inter Catholicos Episcopos, qui Carthaginem anno CCCCXI. ad Collationem convenere, quae cum Donatistis habita est.

(1) Boch. *Geogr. sacr. lib. I. c.* 42.

citatus autem, quum *Praesto sum* dixisset (1), adjecit, *non habeo nec Episcopum nec haereticos: unitatem habeo.*

(1) *Cognit. I. n.* 126.

LXXXV. BELESASENSIS

Oppidum sive vicus dici debeat, in Numidia fuisse, ex Notitia discimus. nec vero Episcopatus unus idemque erat *Velesitanus*: nam in eadem Notitia nomen occurrit utrumque, et Numidiae item uni adtribuitur, sed Episcopi tempore eodem diversi sunt.

SERVVS. centesimus sextus ordine hic est in albo Episcoporum Numidiae, qui Regis Hunerici edicto Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. evocati, in exsilium cum reliquis, qui convenerant, missi sunt.

LXXXVI. BELIANENSIS

Admonui superius praeter *Balianam*, quae in Mauretania majore erat, fuisse in Africa *Belianam* quoque, ut a Baluzio et Helia Pinio animadversum est (1). sed qua in provincia esset, omnino latet.

DONATVS. fuit hic inter Episcopos Maximianistas, qui Concilium Cabarsussitanum celebraverunt anno CCCLXXXXIII. subscripsitque (2) epistolae synodicae, quae missa est *sanctissimis fratribus atque collegis per universam Africam*. ceterum in antiquis codicibus Donatus modo *Belmensis* audit vel *Belimensis*, modo *Belinensis* aut *Velimensis*, quandoque etiam *Balmiensis*.

(1) *ad n.* 57. *Cognit. I. Coll. Carth.*

(2) apud Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20.

LXXXVII. BENCENNENSIS

In provincia Proconsulari sitam Bencennam facit Harduinus: credo, quod Episcopus ejus in Collatione Carthaginiensi post Trisipensem memoretur, quem ad eam pertinuisse scimus. nam id nominis apud veteres nusquam inveni.

ADEODATVS. adfuit hic inter Catholicos Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. et praeclarum de Ecclesia sua testimonium dixit (1): *Praesto sum, Catholica est ab origine.*

(1) *Cognit. I. n.* 128.

LXXXVIII. BENEPOTENSIS

Ab uberi boni vini proventu nomen oppido impositum: est enim a *bene potando:* nam et in veteri Notitia, quam edidit Schelestrates (1), *Benepota* appellatur: et adjectum est *in parte Hispaniae:* credo, quod

(1) *Antiqu. Eccl. T. II. p.* 682.

in Tingitania esset, quam ad conventum vicinae Hispaniae pertinuisse diximus(2). certe totus ille tractus ad oceanum *Ampelusia* a vitibus dicebatur. nec vero officit Notitiae Africanae census, Episcopatum Benepotensem in Mauretania Caesariensi numerantis. una enim provincia habebatur Tingitana et Caesariensis Mauretania, neque hic solum, sed alii etiam Tingitaniae Episcopatus in eadem Notitia occurrunt uno sub titulo, quemadmodum alias animadvertimus.

HONORIVS. est hic ordine quadragesimus quartus in albo Episcoporum Mauretaniae majoris, qui anno CCCCLXXXIIII. postquam Carthaginem ad commonem Episcoporum conventum vocati pervenerant, a Rege Hunerico in exsilium ejecti sunt.

(2) v. *comm. I. c.* I. §. *II. n.* 4.

LXXXVIIII. BENEVENTENSIS

Beneventum Afri quoque suum habuere, quod in provincia Proconsulari situm Notitia demonstrat.

ANASTASIVS. nomen hujus legimus in subscriptionibus synodi Arelatensis, quae coacta est anno CCCXIIII. et quarto loco inter Episcopos provinciae Africae reperies (1). Episcopus autem dicitur *De civitate Beneventina.*

GVLOSVS. hunc Notitia nonum ordine refert inter Episcopos provinciae Proconsularis, quos Rex Hunericus cum reliquis Carthaginem accitos exsilio affecit. adscriptum *Corsic.* quod ex iis fuerit, qui in eam insulam relegati sunt.

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 267.

LXXXX. BENNEFENSIS

In provincia Byzacena fuisse id oppidum ex Notitia constat: ad mare autem situm indicat auctor vitae sancti Fulgentii Ruspensis, qui monasterium ab eo habitatum memorat *Iuncensi proximum littori, Bennefensi autem maxima ex parte contiguum* (1).

GVNTASIVS. subscripsit hic epistolae synodicae Maximianistarum in Concilio Cabarsussitano anni CCCLXXXXIII. quam nobis Augustinus servavit (2).

AEMILIANVS. hic et Concilio et Collationi Carthaginiensi interfuit anno CCCCXI. itaque citatus ait (3), *Suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini.* tum adjecit: *Habeo neminem e diverso.* eo quippe die, quo kalendae Iuniae erant, defunctus erat Episcopus Donatista Maximianus: ac propterea Valentinianus Diaconus Primiani Donatistae rem sic explicavit: *Maximianus dictus est, hodie de corpore exiit.* quod et Primianus ipse,

(1) *in vit. Fulg. c.* 14.
(2) *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20.
(3) *Cognit. I. n.* 133.

quum Donatistae Episcopi recenserentur (4), rursum confirmavit, *Hodie*, inquiens, *exivit de corpore.*

HORTVLANVS. quartum hunc ordine legimus in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, qui jussu Regis Hunerici Carthaginem profecti anno CCCCLXXXIIII. cum reliquis, quos Notitia recenset, in exsilium acti sunt. sed clarum ejus est nomen etiam apud Victorem Vitensem, qui ipsum et Florentianum pro omnibus adversus regios ministros praeclare loquutos narrat (5), quum omnes jurare juberentur, se id praestituros, quod in charta quadam, quam ostentabant, scriptum esset. ejusdem demum anniversaria memoria occurrit in Martyrologio Romano ad diem IIII. kal. Dec. et in Adone, qui *Hortolanum* appellat.

(4) *ibid. n.* 198. (5) *Pers. Vand. lib. III. c.* 4.

LXXXXI. BERCERITANVS

Ignotum apud Geographos nomen *Bercera;* sed tamen ex Notitia compertum habemus, ad Numidiam pertinuisse.

FELIX. agmen hic ducit Episcoporum Numidiae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem communis conventus caussa evocatos simul cum ceteris exsilio multavit. hunc porro Primatem Numidiae fuisse, veri mihi simile videtur. certe auctor Notitiae in recensendis Episcopis provinciae Proconsularis rationem habuit dignitatis, primumque scripsit Eugenium Carthaginiensem.

LXXXXII. BETAGBARENSIS

Nomen oppido a Phoenicibus impositum vox ipsa indicat; quae illud quoque ostendit, apud fluvium fuisse: valet enim *Domus trajectus: Bethabara* etiam dicebatur locus, in quo Ioannes baptizabat (1), prope Iordanem. ceterum de provincia nihil mihi exploratum. in Proconsulari *Abaram* fuisse vidimus: in eadem *Betagbaram* sitam non invitus credo; nam illud *Beth* discriminis caussa additum videtur, propter *Abarae* vicinitatem.

IANVARIVS. adfuit hic inter Donatistas Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. et citatus ait (2), *Mandavi et subscripsi.* Catholicum Episcopum Betagbarae tum fuisse, ex Collationis Gestis non discimus.

(1) Ioan. *c. I. n.* 28. v. Boch. *Geogr. Chan.* (2) *Cognit. I. n.* 205. *lib. I. c.* 24.

LXXXXIII. BIDENSIS

Bidam Ptolemaeus inter colonias Mauretaniae Caesariensis enumerat (1), in qua et Notitia Episcopatum hunc recenset. ab ea item nomen habebat unus ex octo limitibus provinciae, cui qui praeerat, *Praepositus limitis Vidensis*, sive *Bidensis* appellabatur (2).

(1) *Geogr. lib. III. c.* 2. (2) v. Pancir. *Not. Imp. Occ. c.* 70.

CAMPANVS. hunc ordine octogesimum quintum Notitia refert inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem a Rege Hunerico venire jussi, cum reliquis collegis acti sunt in exsilium.

LXXXXIIII. **BILTENSIS**

Bilta oppidum provinciae Proconsularis erat, idque antiquum: sed apud Geographos mentionem ejus fieri non reperio. idem et *Vilta* dictum.

CAECILIVS. ad hunc scripta videtur Cypriani epistola LXIII. de sacramento Dominici calicis. sententiam primus idem dixit in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo convocavit anno CCLV. (1) seniorem Episcoporum provinciae Proconsularis fuisse, veri mihi simile est.

FELICIANVS. erat hic e grege Donatistarum, adfuitque anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus (2) respondit, *Mandavi et subscripsi*, nec adversarium Catholicum sibi esse Biltae indicavit.

RESTITVTVS. hic subscripsit Concilio Carthaginiensi, quod a Bonifacio vocatum est anno DXXV. (3)

THEODORVS. subscripsisse hunc constat epistolae Concilii Proconsularis, quae circa annum DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum: et cujus exemplar in synodo Lateranensi Martini primi adhuc legimus (4).

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 159.
(2) *Cognit. I. n.* 208.
(3) Hard. *ibid. T. II. p.* 1082.
(4) *ibid. T. III. p.* 749.

LXXXXV. **BINEASIS**

Bina quae et *Vina*, oppidum provinciae Proconsularis, primum a Carthagine Adrumetum petentibus. nam Itinerarium Antonini inter almam et *Putput* collocat. in tabula Peutingeriana *Vicus* dicitur.

FAVSTINVS. interfuit hic Concilio Maximianistarum Cabarsussitano, et epistolae ejus synodicae subscripsit anno CCCLXXXXIII. (1) obiit anno CCCCVI. quod ex Collatione Carthaginiensi novimus: nam quum cieretur Episcopus Catholicus, ex parte Donatistarum Habetdeus Diaconus ait (2): *Non habemus: exivit de corpore ante annos quinque.* unde etiam intelligimus, mortuo Faustino, Binenses schismate sublato, Catholicos esse factos.

VICTOR. hic est, qui in Collatione Carthaginiensi anno CCCCXI. sine adversario processit, et inter Catholicos Episcopos citatus respondit *Praesto sum* (3). idem fortasse decimus quartus subscripsit epistolae Concilii Proconsularis ad Innocentium P. M.

(1) apud Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20.
(2) *Cognit. I. n.* 128.
(3) *ibid. n. eod.*

CRESCONIVS. nomen hujus legimus in subscriptionibus Concilii Carthaginiensis anni DXXV. quod a Bonifacio celebratum est (4). in epistola etiam, qua idem indixit Concilium, quinto loco cietur Cresconius (5).

FRVCTVOSVS. hic anno DCXXXXVI. subscripsit epistolae Concilii Proconsularis adversus Monotheletarum errores, quae missa est ad Paullum Constantinopolitanum Patriarcham novis rebus studentem (6).

(4) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.
(5) *ibid. p.* 1075.
(6) *ibid. T. III. p.* 739.

LXXXXVI. BITENSIS

In Mauretania Caesariensi fuisse *Bitenses* sive *Vitenses*, ex Notitia discimus. in eadem memorat Ptolemaeus *Vitacam*: ceteri Geographi neque *Vitam* aut *Bitam*, neque *Vitacam* habent. porro hujusmodi Episcopatus ignotis obscurisque in locis constitutos tam saepe occurrere, nemo valde miretur, qui Donatistarum tempora cogitarit, quibus certatum est, utra pars plures haberet Episcopos, Catholica ne, an quae Donatistis constabat? itaque in Collatione Carthaginiensi (1) quum quereretur Alypius Episcopus Ecclesiae Catholicae, *In villis et in fundis esse Episcopos ordinatos, non in aliquibus civitatibus*, rem non est inficiatus Petilianus Donatista, sed tamen respondit, *sic etiam tu multos habes per omnes agros dispersos.* leges subinde conditas, ne Episcoporum numerus nimium augeretur, exhibet codex canonum Ecclesiae Africanae, de quibus loco dicemus.

REPARATVS. erat hic e grege Donatistarum, adfuitque an. CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus (2) respondit, *Mandavi et subscripsi.* appellatur *Vindensis*, sed huc tamen pertinere videtur, quod cetera ignotus alio referri non possit.

PANNONIVS. hunc octogesimo tertio loco reperies in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, quos anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum evocatos Rex Hunericus simul cum aliis in exsilium ejecit.

(1) *Cognit. I. n.* 181.
(2) *ibid. n.* 208.

LXXXXVII. BLADIENSIS

Episcopatum hunc tribuit Harduinus provinciae Byzacenae, indicium in eo aliquod inesse ratus, quod Episcopus Bladiensis in Collatione Carthaginiensi inter Teleptensem et Turrensem citatus fuerit, qui extra controversiam e provincia Byzacena erant. sed de *Bladia* Geographi silent.

POTENTIVS. Catholicus hic erat, et in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. citatus respondit (1) *Praesto sum.* adversarium tamen in Ecclesia sua Donatistam habebat: qui quum non prodiret, ut eum sibi cognitum

(1) *Cognit. I. n.* 121.

esse testaretur, Adeodatus Donatista sic interfatus est· *Quem ibi nos habemus, oculos dolet, venire non potest.* ad quae Alypius Catholicus, *Utrum*, inquit, *hic sit Carthagini?* ob haec minime adquiesco Baluzii sententiae existimantis, Potentii adversarium fuisse Pancratium, quem superius recensuimus in Episcopatu Badiensi. nam ille eodem die citatus se adesse ostendit (2).

(2) *Cognit. I. n.* 180.

LXXXXVIII. **BOCCONIENSIS**

Oppidum *Bocconiam* aut *Bucconiam* in Numidia fuisse, Notitia ostendit. obscurum tamen id nominis, nec a Geographis memoratum.

DONATVS. fuit hic e numero Donatistarum, qui anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuere, in qua citatus, *Mandavi*, inquit (1), *et subscripsi: adversarium non habeo.* Catholicus sane Episcopus in eo conventu non memoratur.

VITALIANVS. hunc Notitia decimum tertium numerat inter Episcopos Numidiae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem accitos communi ceterorum poena affecit.

(1) *Cognit. I. n.* 198.

LXXXXVIIII. **BOFETANVS**

Bofetam Geographi non memorant: in Numidia tamen collocat Harduinus, ubi et *Buffada* erat et *Boseth*, quae sono affines suspicionem injiciunt, in alterutra vocula latere *Bofetam.* sed quia litterae, in quibus discrimen est, non sunt ex iis, quae commutari solent, idcirco non invitus tria sub his nominibus oppida agnosco.

HILARVS. adfuit hic inter Catholicos Episcopos Collationi Carthaginiensi anni CCCCXI. citatusque, *Praesto sum*, inquit (1), *sed non habeo mecum Episcopum:* nempe Donatistam in mea Ecclesia. tum vero Petilianus Episcopus Donatista subjecit, *Noster fuit*, ipse scilicet Hilarus. ad quae Alypius Catholicus ait: *et nos hoc cupimus, ut illum imitemini.*

(1) *Cognit. I. n.* 120.

C. **BOLLITANVS**

Ad provinciam Proconsularem *Bolitanum* sive *Volitanum* oppidum pertinuisse, Notitia indicat. itaque non est ambigendum id esse, quod Ptolemaeus (1) *Vol* appellat, et sub Carthagine fuisse tradit. auxere oppidi famam Martyres *Bolitani*, quorum in Kalendario Carthaginiensi mentio est ad diem XVI. kal. Nov. quorumque in festo sermonem ab Augustino habitum constat (2) Carthagine in Basilica Gratiani.

(1) *Geogr. lib. III. c.* 3. (2) *Serm.* 156. *de verb. Apost.*

CRISPVLVS. adfuit hic inter Catholicos Collationi Carthaginiensi anno ccccxI. qnumque citatus dixisset, *Praesto sum*, processit ex adverso Qnodvultdeus Donatista, qui ait, *Agnosco illum* (3). non diu post decessisse Crispulus videtur, quem excepit

MVRANVS. memorat hunc Paullinus, qui sancti Ambrosii vitam scripsit (4), quocum se ad convivium Carthagine convenisse narrat apud Fortunatum Diaconum fratrem venerabilis viri Aurelii Episcopi. erat Carthagine Paullinus anno ccccxII. eodemque anno interfuit Concilio, quod ibidem contra Caelestium actum est (5). brevis autem Murani pontificatus fuit: nam paullo post illud convivium, Carthagine apud hospitem suum obiisse tradit. et addit caussam, quod nempe in ipso convivio de sancto Ambrosio esset obloquutus.

BONIFACIVS. est hic ordine vicesimus octavus Episcoporum provinciae Proconsularis, qui anno ccccLxxxIIII. Carthaginem jussu Regis Hunerici convenerunt, et cum reliquis Episcopis in exsilium missi sunt. hujus autem nomini adscriptum est *Corsica*, quod in eam insulam, ut alii multi, relegatus fuerit (6).

(3) *Cognit. I. n.* 128.
(4) *in vit. Ambr. n.* 54.
(5) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1202.
(6) *Notit. Afr. Procos. n.* 28.

cI. BONCARIENSIS

Obscurum apud veteres nomen *Boncaria* sive *Voncaria:* at in Mauretania Caesariensi fuisse Notitia nos addocet.

FELIX. cietur hic inter Episcopos Donatistas, qui anno ccccxI. Collationi Carthaginiensi interfuerunt, in qua citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi.* Catholicum Episcopum Boncariae tum fuisse non apparet.

DONATVS. hujus nomen sexagesimo secundo loco legimus in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, qui anno ccccLxxxIIII. ad communem conventum profecti Carthaginem, exinde ob Catholicam professionem ab Rege Hunerico in exsilium acti sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 208.

cII. BONVSTENSIS

Oppidum qualecumque fuerit, *Bonustam,* in provincia Proconsulari situm Notitia indicat. in antiquis Geographis vestigium ejus nullum invenias.

RVFINIANVS. Concilio et Collationi Carthaginiensi hic adfuit an. ccccxI. itaque citatus ait (1), *Suprascripta mandavi et subscripsi.* tum de Ecclesia sua adjecit, *Nunquam illic fuerunt Donatistae.* ceterum de grege eorum ipse aliquando fuerat: nam Primianus ad ea dixit, *Ipse fuit noster; sed populos habemus, quibus ordinare:* id est, ut arbitror, quibus Episcopum nostrae partis praeficiamus. respondit enim Rufinianus, *Nunquam habuit.*

(1) *Cogn. I. n.* 132.

CYPRIANVS. tricesimus primus hic est in albo Episcoporum provinciae Proconsularis, quos ab Rege Hunerico Carthaginem evocatos anno CCCCLXXXIIII. exsilii poena subsequuta est, qua et ceteros omnes Africae Episcopos Catholicae professionis caussa affecit.

CIII. BOSETENSIS

Bosa, quae et *Vosa* et *Bossa*, in provincia Proconsulari erat, eaque Numidiae proxima, siquidem ea ipsa habenda sit, quae in actis sanctorum Martyrum Mammarii et sociorum a Mabillonio editis (1) appellatur *Boseth Anforaria, et civitas Boseth.* nam Martyres illi per varias Numidiae urbes primum traducti, Bossae demum martyrio defuncti esse dicuntur.

PALATINVS. adfuit hic cum Catholicis Episcopis Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. quumque citatus dixisset (2), *Praesto sum*, adversarius ejus Felix Donatista prodiit, qui ait, *Agnosco illum.* hic idem infra inter suos vocatus, *Mandavi*, inquit (3), et *subscripsi.*

CRESCITVRVS I. subscripsit hic Concilio Constantinopolitano secundo, in quo tria Capitula damnata sunt, anno DLIII. et in subscriptione appellatur *Episcopus sanctae Ecclesiae Catholicae civitatis Bossae provinciae Proconsularis* (4).

CRESCITVRVS II. nomen hujus legimus inter subscriptiones epistolae Concilii Proconsularis, quae circa annum DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum Monotheletarum fautorem (5). dicitur autem *Episcopus sanctae Ecclesiae Busitanae*, vel, ut est in codice Bellovacensi, *Bositanae* (6): quam eandem esse ac Bosetensem omnino arbitror, quod et in nomine similitudo est, et in provincia eadem censetur. certe Afri gentilia hujusmodi nomina alii aliter efferebant; et in Collatione Felix Donatista, quem supra memoravimus, primum quidem *Bosetensis*, deinde *Vosetanus* audit.

(1) *Analect. T. III.*
(2) *Cognit. I. n. 126.*
(3) *ibid. n. 202.*
(4) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 206.
(5) *ibid. p.* 750.
(6) Ruin. *in not. ad Not. Num. n.* 63.

CIIII. BOTRIANENSIS

Botryn oppidi nomen fuisse, ejusque originem a Phoenicibus duci, facile credo. erat enim in Phoenice *Botrys* alterum a Plinio etiam commemoratum (1). sed in Africa ubinam esset, ignotum: quamquam maritimum oppidum putandum est, ut ceterae Phoenicum coloniae fuerunt.

DONATVS. inter primores Donatistarum Episcopos hunc habitum esse apparet. nam in Collatione Carthaginiensi anno CCCCXI. quum recitatum esset Mandatum Donatistarum, quo certis Episcopis jus publicae disputationis deferebatur, Donatus hic noster post Primianum Carthaginiensem

(1) *H. N. lib. V. c. 20.*

et Felicem, qui se urbis Romae Episcopum jactabat, vocatus est, et subscriptionem suam recognovit his verbis (2), *Huic mandato subscripsi.*

(2) *Cognit. I. n.* 149.

CV.

BVFFADENSIS

Buffadam Numidiae adtribuendam Notitia docet: sed nihil praeterea de hoc oppido ab antiquis traditum reperio.

CRESCES. ita scriptum, quod N fortasse ante S Afri aegre pronunciarent. sexagesimus tertius hic est in albo Episcoporum Numidiae, qui simul cum reliquis totius Africae anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem a Rege Hunerico convocati, deinde exsilio affecti sunt. hujus autem nomini apposita est nota mortis, quod peregre scilicet decesserit.

CVI.

BVLELIANENSIS

Episcopatum hunc in provincia Byzacena fuisse, Notitia indicat. oppidi vetus nomen fuisse *Bululam* suspicari quis possit, Plinium sequutus (1), qui inter oppida a Cornelio Balbo in Africa capta, quorum et imagines in triumpho duxit, *Bululam* numerat. ceterum hanc in Cyrenaica potius, quam in Byzacena provincia fuisse crediderim.

FLABIANVS. est hic ordine decimus sextus inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui cum reliquis ex Africa omni Carthaginem accitis, propter Catholicam professionem anno CCCCLXXXIIII. a Rege Hunerico in exsilium ejecti sunt.

BONIFACIVS, qui Primas erat provinciae anno XXI. Regis Trasamundi, id est anno Christiano DXVII. hujus epistola, ab exsilii loco scripta, qua Virgines sanctimoniales liberum habere arbitrium jubebat, quem ipsae vellent, sacerdotis praeoptandi, ut apud eas sacris operaretur, et sacramenta administraret, in Concilio Carthaginiensi anni DXXV. prolata legitur (2). ceterum is *Bavagalianensis* dicitur; quae appellatio nusquam occurrit, ut mendum videri possit pro *Bulelianensis:* nisi potius in Notitia id esse malis; quid enim prohibet?

(1) *H. N. lib. V. c.* 5. (2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 188.

CVII.

BVLLAMENSIS

Sub Carthagine meridiem versus a Ptolemaeo memoratur *Bullaminsa* (1), quae haec ipsa Bullamensis civitas fuisse videtur, quam omnino ad provinciam Proconsularem spectasse scimus.

QVODVVLTDEVS. adfuit hic subscripsitque Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius celebravit *anno secundo gloriosissimi Regis Hilderici nonis Februariis in secretario Basilicae sancti Martyris Agilei.* erat autem annus Christianus DXXV. (2)

(1) *Geogr. lib. III. c.* 3. (2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

cvII. BVLLENSIS

Oppidum provinciae Proconsularis erat *Bulla*, et a Decii Aug. aevo Episcopum habebat. campum oppido proximum non semel memorare videtur Procopius (1).

THERAPIVS. Concilio hic interfuit, quod Cyprianus tertium de Baptismo convocavit, anno CCLV. in eoque sententiam sexagesimus primus dixit. in exemplari Latinae editionis appellatur, ut quidam alii, *Confessor* (2), quod serius additum, ut sciremus quinam ex illis pro Christiano nomine vexati, in Confessorum numero habiti essent. certe Augustinus in libris de Baptismo contra Donatistas, in quibus singulas Episcoporum sententias in eo Concilio prolatas examinat et refellit, nomen cujusque sine illo apposito retulit.

FELIX. est hic tricesimus quartus inter Episcopos provinciae Proconsularis, qui anno CCCCLXXXIIII. cum reliquis, quos Notitia recenset, Carthaginem a Rege Hunerico evocati, in exsilium missi sunt. habet autem mortis notam adjectam, ut intelligamus, reditum ei ad Ecclesiam suam morte esse interclusum.

PORPHYRIVS. hic anno DXXV. quum Rex Hildericus regnaret, adfuit Concilio, quod Bonifacius post diuturnam illam Ecclesiae Africanae vexationem primum coegit: eique inter postremos subscripsit (3), sive quadragesimus nonus. nam quinquaginta novem tantum Carthaginem tum convenere.

(1) *de Bello Vand. lib. I. c.* 25. *etc.*
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 174.
(3) *ibid. T. II. p.* 1082.

cvIII. BVLLENSIVM REGIORVM

Nota Geographis *Bulla Regia*, Numidiae oppidum, quod Plinius liberum appellat (1), in mediterraneo situm: et Campi Bullensis mentio fit apud Augustinum (2), qui Bullam Numidicam non obscure designat ab Hippone Regio non admodum longe dissitam, uti Antonini Itinerarium confirmat. itaque aliud oppidum esse dicendum est, quod Notitia in provincia Proconsulari numerat: quemadmodum infra indicabimus.

EPIGONIVS. semel hic atque iterum sententiam dixit in Concilio Carthaginiensi, quod Geneclius coëgit anno CCCLXXXX. (3) idemque rursus synodis prioribus Aurelianis interfuit.

DOMINICVS. adfuit hic Concilio et Collationi Carthaginiensi cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. et subscriptione ejus recitata, dixit, *E*

(1) *H. N. lib. V. c.* 3.
(2) *epist.* 65. *ad Xantipp.*
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 951. *et* 952. *n. II. et VII.*

diverso mihi est Felix, sed unus est, qui illi communicat (4). hic vero subjecit, *Agnosco illum.* et subinde citatus (5) ait, *Mandavi et subscripsi.*

(4) *Cognit. I. n.* 135. (5) *ibid. n.* 208.

CX. BVLLERIENSIS

Bullariam in provincia Proconsulari recenset Ptolemaeus (1), in qua Bnlleriensem Episcopatum fuisse constat. quare unum oppidum fuit, sive id *Bulleria* sive *Bullaria* appellandum sit, et a Bulla Regia distinguendnm est.

IOANNES. hunc quinquagesimnm Notitia numerat inter Episcopos provinciae Proconsularis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum evocatos simul cnm aliis exsilio affecit. porro hic, non *Bulleriensis*, sed *Bullensium regio* dicitur, qnae lectio, quia mendosa est, rejicienda videtur. praesertim quum Bullam Regiam in Numidia fuisse planum sit.

MELLOSVS. hic subscripsit epistolae Concilii Proconsularis, quae circa annum DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus errores Monotheletarnm. subscriptio ejns est (2), *Mellosus gratia Dei Episcopus sanctae Ecclesiae Bulleriensis ut supra.*

(1) *Geogr. lib.* III. *c.* 3. (2) apud Hard. *Conc. T.* III. *p.* 752.

CXI. BVLNENSIS

Qualecnmque oppidnm fuerit *Bulna*, nam de eo sileut Geographi, in provincia Proconsulari erat.

VICTOR. occurrit hic in subscriptionibns epistolae, quam an. DCXXXXVI. Episcopi Concilii Proconsularis misere ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum: cujus exemplar in Concilio Lateranensi Martini I. habemus (1).

(1) apud Hard. *Conc. T.* III. *p.* 750.

CXII. BVLTVRIENSIS

Bulturium sive *Vulturium* apud Geographos frustra quaeras: id tamen Notitia in Caesariensi Mauretania situm nobis demonstrat.

REPARATVS. est hic ordine octogesimus nonus in albo Episcoporum provinciae Mauretaniae Caesariensis, qui Regis Hunerici jussu an. CCCCLXXXIIII. Carthaginem adiere, atque inde cum reliquis totius Africae Episcopis in exsilium ob Catholicam professionem pulsi sunt.

CXIII. BVRCENSIS

Praeter *Burcam* a Ptolemaeo Maurotaniae adtributam, hanc alteram in Numidia nos agnoscere par est, ex Notitiae auctoritate.

LEONTIVS. quintus hic est in albo Episcoporum provinciae Numidiae, qui an. CCCCLXXXIIII. ad communem conventum ab Rege Hunerico evocati Carthaginem, inde in exsilium ejecti sunt.

CXIIII. BVRITANVS

Episcopatum hunc Harduinus Numidiae adtribuit; sed quam sit auctoritatem sequutus, non patet. ad provinciam Proconsularem potius pertinuisse, indicio sunt subscriptiones Collationis Carthaginiensis, in quibus Episcopus Buritanus cietur inter Clypiensem et Mullitanum, utrumque provinciae Proconsularis.

DONATVS. adfuit hic Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. et subscriptione ejus recitata, ait (1), *Non illic habent Donatistae neminem.*

(1) *Cognit. I. n.* 132.

CXV. BVRONITANVS

In Mauretania Caesariensi *Buroniam* fuisse, nec longe a Tabraca, significare videtur Victor Vitensis, ubi trium Martyrum sub Genserico interemptorum vitam exitumque describit (1). nam de loco, ubi lauream meruerant, haec addit: *Ubi usque in hodiernum diem non desinit ingentia mirabilia Iesus Christus Dominus noster operari:* tum Episcopum Buronitanum prodigii testem illic fuisse affirmat. omnino autem Martyres illi in Mauretania obierant, et Tabracae aliquamdiu in monasterio vixerant, ut Victor idem diserte scribit.

FAVSTVS. saeculo quinto vertente floruisse hic videtur, nec tamen Regis Hunerici tempora attigisse. nam de eo nulla est in Notitia mentio. meminit autem Victor ad eum locum, quem modo commemorabam, his verbis: *Nam nobis beatus quondam Faustus Buronitanus Episcopus attestatus est, caecam quamdam mulierem illuminatam fuisse, ubi ipse aderat praesens* (2).

(1) *Pers. Vand. lib. I. c.* 10. *et* 11. (2) *ibid. c.* 11.

CXVI. BVRVGIATENSIS

Latet sub hoc nomine *Burca*, quam Ptolemaeus in Mauretania Caesariensi agnoscit. ea Cypriani aevo *Burug* audiebat, unde *Buruga* aut *Burugia* esse coepit, quae *Burca* primitus dicta fuerat: quamquam Graeci barbara nomina mollire ipsi, et ad Graecam consuetudinem efferre solebant: ut prisca nomina ab Afris servata potius, quam immutata putare possis.

QVINTVS. interfuit hic Concilio Carthaginiensi Cypriani tertio de Baptismo, anno CCLV. sententiamque vicesimus septimus dixit (1), qualem ei antea adumbraverat Cyprianus ipse in epistola ad eundem (2); de qua

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 167. (2) *epist.* 71. *ad Quintum.*

idem meminit in litteris ad Stephanum (3): *Baptismum*, inquit, *non esse, quo haeretici utuntur, nec quemquam apud eos, qui Christo adversantur, per gratiam Christi posse proficere, diligenter nuper expressum est in epistola, quae ad Quintum collegam nostrum in Mauritania constitutum super ea re scripta est.*

LVCIANVS. de grege Donatistarum hic erat, adfuitque inter suos anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus (4) ait, *Mandavi et subscripsi.*

(3) *Epist.* 72. *ad Steph.* (4) *Cognit. I. n.* 201.

CXVII. BVSLACENVS

Mira haec vocum duarum confusio atque immutatio: nam, ut ego quidem arbitror, Episcopatus hic ad Coloniam pertinet, quae *Bisica Lucana* dicebatur, et inde *Buslacena* evasit. certe hunc Harduinus ad provinciam Proconsularem retulit: vetus autem inscriptio in veteris Carthaginis finibus adhuc manet, in qua legitur *Col. Bisica Lucana* (1): cujus quidem inscriptionis nec incerta lectio nec sublesta fides est. a docto enim viro et harum rerum intelligenti descriptam accepit Maffejus, nec solam, sed cum aliis multis, quae eandem viri sollertiam et fidem praeseferebant.

FELIX. sententiam hic dixit sexagesimo tertio loco in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo celebravit an. CCLV. (2)

(1) Maff. *Mus. Ver. p.* 460. *n.* 4. (2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 174.

CXVIII. BVZENSIS

Buzam provinciae Proconsularis oppidum facit Harduinus: at unde id rescierit, ignoro. nomen loco inditum videtur ab agrorum fertilitate, sive quod ibi fertilis *ubere* glebae campus esset: nam *Biza* uber est Phoenicibus, unde et Byzacium feracissima frumenti regio appellata creditur (1).

DONATVS. cietur hic inter Donatistas, qui Collationi Carthaginiensi adfuerunt anno CCCCXI. in qua vocatus ait (2), *Mandavi et subscripsi.*

(1) v. Boch. *Geogr. sacr. lib. I. c.* 25. *p.* 492. (2) *Cognit. I. n.* 208.

CXVIIII. BYZACENVS

In provincia Byzacena urbs fuit *Byzacia*, quam Ptolemaeus agnoscit, eaque Colonia, quemadmodum ex Reinesii inscriptione didici, in qua memoratur *Patronus Coloniae Byzacenae* (1). situs ejus in mediterraneis, unde cognominem regionem circumspectabat.

MVSONIVS I. qui et Muzonius. hic primum Sardicensi Concilio cum Grato Carthaginiensi interfuisse creditur anno CCCXXXXVIIII. tum synodo

(1) *cl. VI. n.* 122. *v. et* Bochart. *Geogr. sacr. lib. I. c.* 25. *p.* 492.

Ariminensi anno CCCLVIII. quamquam enim Hieronymus (2) non Byzacenum, sed provinciae Byzacenae Episcopum appellat. nam memorans quo pacto hic auctor fuerit, ut Valentis errores singillatim damnarentur, *Muzonius*, inquit, *Episcopus provinciae Byzacenae, cui propter aetatem primae ab omnibus deferebantur, ita loquutus est.*

MVSONIVS. II. interfuit hic Concilio Carthaginiensi anni CCCLXXXXVII. nomenque ejus legitur in litteris, quae tum ad universos Africae Episcopos missae sunt. cietur autem primus post Aurelium Carthaginiensem (3) et *senex* appellatur, quae ipsum provinciae Primatem fuisse demonstrant.

SATVRVS. e Donatistarum numero hic fuit, et anno CCCCXI. quum ad Collationem Carthaginiensem se contulisset, in ea citatus (4), *Mandavi*, inquit, *et subscripsi.* Catholicum autem Episcopum Byzacia tum habuisse non videtur.

(2) *adv. Lucif. n.* 18.
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 969.
(4) *Cognit. I. n.* 198.

CXX. CABARSVSSITANVS

Oppidum provinciae Byzacenae fuit *Cabarsussum*, quod et *Cebarsussum* quidam appellant. de eo non semel mentio fit ab Augustino (1): qui Concilium ibi a Maximianistis celebratum commemorat, in quo damnatus Primianus Carthaginiensis Donatistarum Episcopus.

DONATVS. adfuit hic cum Maximianistis suis anno CCCLXXXXIII. in Concilio Ecclesiae suae, et epistolae synodicae adversus Primianum subscripsit (2).

MARCIANVS. hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, in qua citatus ait (3): *Licet adversarium non habeam, tamen mandavi et subscripsi.* Donatista scilicet erat, et Catholicum adversus se Episcopum, quocum contenderet, non habebat.

THEODORVS. hujus meminit Victor Tunnonensis his verbis (4): *Theodorus Cabarsussitanus Episcopus defensor trium Capitulorum exsilio ad urbem Regiam eo mense ac die, quo Iustinianus, moritur: et juxta Confessores, quibus Ugnericus Vandalorum Rex linguas absciderat, sepelitur.* porro Iustinianus decessit idibus Novembribus an. DLXV.

MVSTVLVS. hujus nomen legimus inter subscriptiones epistolae synodicae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium. ceterum mendosa aliquatenus subscriptio nomen oppidi corruptum exhibet: est enim hujusmodi (5): *Mustulus misericordia Dei Episcopus sanctae Ecclesiae Cebaradefensius ut supra.*

(1) *lib. III. contra Cresc. c.* 6. *etc.*
(2) apud August. *in ps. XXXVI. serm. II. n* 20.
(3) *Cognit. I. n.* 208.
(4) *in Chron. sub fin.*
(5) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 740.

CXXI. CAECIRITANVS

Caeciram in provincia Proconsulari fuisse constat: sed quale oppidum esset et quibus finitimum, tradit nemo.

QVOBVLVS. hujus nomen legimus inter Episcopos sancti Concilii Proconsularis, qui circa annum DCXXXXVI. scripsere ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum, ut a Monotheletarum erroribus revocarent (1). porro Holstenio hujus Episcopi nomen sine dubio fuisse videtur (2) *Quodvultdeus*, ut ab antiquis usurpatum novimus; quod deinceps mollitum quodammodo contractumque putare licet.

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 751. (2) *in adnot. de Patr. Rom. p.* 50.

CXXII. CAELIANENSIS

In Numidia situm *Caelianum*, Notitia nos edocet, nomenque illi a Caelia gente Romana impositum, facile crediderim: quamquam *Coelii* potius, quam *Caelii* dicebantur Romae. sic alibi quae Romanorum villae et praetoria fuerant, oppida evasere.

QUODVVLTDEVS. est hic ordine quadragesimus nonus in albo Episcoporum Numidiae, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem a Rege Hunerico evocati, simul deinde cum reliquis Africae Episcopis in exsilium ejecti sunt. hujus nomini in Notitia adscriptum est *Nam.* de qua nota nihil Ruinartius: at Sirmondus non neglexit (1), et *Namnulae* legi posse existimavit, quod ibi Quodvultdeus exulare jussus sit. ceterum *Numnula* scriptum est in Collatione Carthaginiensi (2): fuitque oppidum provinciae Proconsularis. quid si legendum sit *Man.* id est, Mansit apud Caelianum? sed tamen ea nota iterum occurrit eodem ordine litterarum ad Episcopum Fussalensem, ut bis a scriba erratum vix credi possit.

(1) *Op. var. T. I. in not. ad Not.* (2) *Cognit. I. n.* 126.

CXXIII. CAESARENSIS

Iubae olim Regia *Iol* dicta, quae deinde in honorem Augusti *Caesarea* appellata est. nomen imposuit, postquam restituisset, ipse Rex Iubas pater Ptolemaei (1). subinde *a Divo Claudio*, inquit Plinius (2), *coloniae jure donata*. portum habebat et insulam ante portum: tum populi frequentia et ambitus sui magnitudine insignis, totius provinciae Mauretaniae cognominis Metropolis erat. eadem Christianis temporibus illustris reddita Martyrum laureis, dignitatem auxit suam. indidem enim fuit Martyr Arcadius, quem Zeno Episcopus Veronensium celebravit; indidem Severianus et Aquila, quorum martyrium sacris in fastis consignatum est. Memorias eorum, ut vocabant, ibidem fuisse, non est ambigendum. in

(1) Strabo *lib. XVII. p.* 571. (2) *H. N. lib. V. c.* 2.

templo autem urbis maximo, multis Episcopis in exhedra sedentibus, ea disputavit Augustinus cum Emerito, quae adhuc exstant (3).

FORTVNATVS. hic ad Concilium Arelatense cum diacono suo Deuterio profectus anno CCCXIIII. canones, qui tum conditi sunt, subscriptione firmavit (4).

CLEMENS. erat hic Episcopus, quo tempore Firmus in Mauretania rebellavit, id est anno CCCLXXII. et deinceps. laudat eum Symmachus in epistola ad Ticianum, quae LXIIII. est libri I. quod, quum a summatibus civitatis jus aerarii reposceret fisci depositum ab hostibus direptum, ipse boni viri functus officio, Caesaream, quae illi patria erat, conciliata maximorum Principum pace tutatus esset. impetrasse nimirum a Valentiniano et Gratiano videtur, ne opes ab inopi Curia poscerentur, neve miserae urbis calamitati hoc etiam accederet, ut quae hostis reliqua fecerat, eorum avaritia eriperentur, quibus ipsa servaverat.

DEVTERIVS. Collationi Carthaginiensi hic interfuit anno CCCCXI. in qua et Custodem tabularum egit. quum subscriptio ejus recitaretur, processit Emeritus Donatista, qui ait, *Agnosco illum.* utriusque autem frequens est mentio in libris Augustini. uterque superstes erat etiamtum anno CCCCXVIII. quo anno Augustinus Caesareae auditores habuit (5). apud eundem appellatur Deuterius *Episcopus Metropolitanus:* ea tamen formula Augustinus non Primatem Mauretaniae Caesariensis, sed Episcopum civitatis, quae Metropolis provinciae erat, designare voluit. Deuterii porro adversarius Emeritus ille idem est, qui in Collatione partes egit Donatistarum, unus nempe e septem, quos hi Catholicis opposuerunt, ut Mandatum eorum declarat (6).

APOCORIVS. est hic vicesimus primus in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem a Rege Hunerico ad conventum omnium Episcoporum vocati, exinde simul cum aliis exsilio affecti sunt.

(3) *de Gestis cum Emerito lib.*
(4) apud. Hard. *Conc. T. I. p.* 267.
(5) *Cognit. I. n.* 143.
(6) *ibid. n.* 148.

CXXIIII. CAESARIENSIS NVMID.

In Numidia quoque oppidum *Caesaream* fuisse, ex Notitia discimus: cui fortasse nomen novum ab ipso Iulio Caesare, qui Numidiam subegit, datum est. tum in Actis sancti Martyris Maximiliani (1), qui apud Thevesten in Numidia lauream tulit, mentio fit *Praepositi Caesariensis.* id autem oppidum provinciae Sitifensi finitimum credere licet, quod in Collatione Carthaginiensi (2) Episcopus ejus provinciae defensionem Catholicorum Caesariensium susceperit.

CRESCONIVS. fuit hic e grege Donatistarum, nec leviter Catholicis infensus. adfuit autem anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua

(1) apud Ruinart. *p.* 302.
(2) *Cognit. I. n.* 189

quum vocatus dixisset, *Mandavi et subscripsi*, adjecit, *Aemulum non habeo*. quod quidem verum erat, si de Episcopo dictum accipiebatur: at falsum, si de Clero et populo. itaque Novatus Episcopus Sitifensis Ecclesiae Catholicae sic obloquutus est (3): *Habet contra se Catholicum Presbyterum, Clericos abundantes et populos ex coetu Donatistarum. hic est Presbyter et Diaconus, hic in hac civitate Carthaginiensi, quem praedavit, quem torsit, quem suspendit. Ecclesiam autem Catholicam praedavit, pecuniam sustulit, frumenta deportavit, carpenta duxit. ut norit iste, quia est illic Ecclesia Catholica, hoc sum prosequutus.*

DOMNICVS. est hic ordine quadragesimus septimus inter Episcopos provinciae Numidiae, qui anno CCCCLXXXIIII· Carthaginem ad communem conventum profecti, subinde a Rege Hunerico in exsilium pulsi sunt. peregre autem defunctum adscripta mortis nota declarat.

(3) *ibidem.*

CXXV. CALAMENSIS

Calama Numidiae oppidum, *Colonia* ab Augustino appellatur (1): ab Hippone Regio haud multum distabat. erat illic inter alia templum sancto Stephano Protomartyri dicatum, (*Memoriam* Afri nuncupabant) (2) quo in templo prodigia Augustini aevo plurima contigisse, ex ejus scriptis novimus (3). quamdiu haec urbs steterit, incertum: sed jam eversam fuisse anno M.C.XIII. putat Pagius, quo anno narrat Petrus Diaconus Monachus Cassinensis, captum cum sociis Azzonem Monachum, et in Africam atque in *Civitatem Calamensem* a piratis perductum. eo enim nomine Alkalam nescioquam designari arbitratur a Saracenis conditam.

DONATVS. hujus mentio fit in Actis Concilii Cirtensis anni CCCV. in quo a Secundo Tigisitano Primate Numidiae interrogatus de proditione sacrorum librorum, respondit (4), *Dedi codices medicinales.* quibus, opinor, vocul is aliud ipse intelligebat, aliud audientibus significabat, ratus divina volumina verissime *codices medicinales* appellari, unde aegrotis animis medicina paratur. certe Optatus non modo inter Donatistarum principes, sed etiam inter Traditores enumerat, qui nempe, propositis per Africam Diocletiani edictis, *ut damno aeternae vitae, istius incertae lucis moras brevissimas compararent, instrumenta divinae legis impie tradiderunt.* ceterum Secundus, qui ejusdem criminis accusabatur, Donatum non ursit, auditoque responso, *Transi*, inquit, *una parte* (5).

MEGALIVS. hic est, qui, quum Numidiae senior Episcopus esset, anno CCCLXXXXV. Augustinum Episcopum consecravit, ut ipse idem in Collatione Carthaginiensi testatus est (6). biennio post obiisse Megalium,

(1) *lib. XXII. de C. D. c.* 8. *n.* 20.
(2) *ibid. n.* 10. *et* 21. *etc.*
(3) *ibid. n.* 12. *et* 20.
(4) *Aug. lib. III. contra Cresc. c.* 27. *n.* 30.
(5) *de sch. Don. lib. I. c.* 13.
(6) *Cognit. III. n.* 247.

ex Augustini epistola ad Profuturum (7) discimus. neque vero ei successit Crescentianus ab Aurelio memoratus in Concilio anni CCCLXXXXVII. (8) quod perperam affirmavit Ruinartius (9). neque enim Aurelius Calamensem eum dixit, sed tantum *primae sedis Episcopum*, quae, quum senioris Episcopi propria appellatio esset, ad eum pertinere non poterat, qui recens ad Ecclesiam Calamensem administrandam accessisset.

POSSIDIVS. hunc aliquot a Megalii morte mensibus factum Episcopum Calamensem, adnotavit auctor vitae Augustini Maurinus: at Norisius renunciatum ostendit anno CCCLXXXXVII. (10) interfuit autem Possidius Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. in qua unus e septem Episcopis fuit, qui pro Catholicis adversus Donatistas ex Concilii mandato disputavit. propterea sic subscripserat (11), *Hoc mandatum suscepi et subscripsi.* adversarium ante habuerat Crispinum, ad quem exstat epistola Augustini (12): sed tum jam obierat: Petilianus enim, recitata Possidii subscriptione dixit, *Crispinus proximo tempore exivit de corpore.* Possidium contra ultra annum CCCCXXX. superstitem fuisse, quo anno Augustinus decessit, Vita hujus ab eo scripta declarat (13).

QVODVVLTDEVS. tertius hic est in albo Episcoporum Numidiae, qui anno CCCCLXXXIIII. ad Carthaginiensem conventum Regis Hunerici jussu profecti, communem exsilii poenam cum reliquis Africae Episcopis subierunt.

(7) *epist.* 38. *n.* 2.
(8) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 882.
(9) *in not. ad Not. Numid. n.* 3.
(10) *lib. III. c.* 13. *n.* 1. *Hist. Pel. lib. II. c.* 8.
(11) *Cognit. I. n.* 139.
(12) *epist.* 66. v. *lib. II. c.* 83. *contra litt. Petil.*
(13) *post. Oper. August. ed. Maur.*

CXXVI. CALIBIENSIS

Quale oppidum *Calibe* fuerit, a Geographis non accepimus: nec fortasse antiquissimum erat, aut vetus nomen mutaverat. in provincia Proconsulari fuisse compertum est.

IOANNES. vivebat hic saeculo septimo, subscripsitque epistolae sancti Concilii Proconsularis, quae circa annum DCXXXXVI. missa fuit ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 749.

CXXVII. CALTADRIENSIS

Mauretaniae Caesariensi *Caltadriam* adtribuit Notitia, nec alibi uspiam oppidi hujus vestigium reperias. certe *Cartili* et *Lar Castellum*, quae Itinerarium Antonini memorat in eadem provincia, vix ejus nominis elementa aliquot praeseferunt.

VICTOR. sexagesimum septimum Notitia hunc ciet inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos anno CCCCLXXXIIII. Rex Hunericus Car-

thaginem ad communem conventum evocatos simul cum reliquis Confessoribus exsilio affecit. peregre autem defunctum adjecta mortis nota declarat.

cxxviii. **CAMICETENSIS**

Obscuri plane nominis oppidum *Camiceta* sive *Camaceta*, nam utroque modo in codicibus antiquis scriptum est: nec de provincia, ad quam pertineret, exploratum habemus.

DATIANVS. fuit hic e numero Maximianistarum, qui an. cccLxxxxiii. in Concilio Cabarsussitano Primianum damnavere. synodicae idem epistolae subscripsit ante Fiscianensem Numidiae Episcopum (1).

(1) apud Aug. *in ps. xxxvI. serm. II. n.* 20.

cxxviiii. **CANAPITANVS**

Fuit *Canapium* in provincia Proconsulari, nec ignobile oppidum fuisse videtur, quum in Actis Concilii Lateranensis *Municipium* appelletur. de eo tamen silent Geographi.

FELIX. hunc et Concilio et Collationi Carthaginiensi adfuisse an. ccccxI. ex subscriptione ejus apparet, quae fuit hujusmodi: *Suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini* (1). adversarium e Donatistis Episcopum non habebat, sed tantum Presbyterum: quare Valentinianus Diaconus, subscriptione Felicis recitata, dixit: *Presbyterum habemus nomine Restitutum.*

REDEMPTVS. subscripsit hic epistolae sancti Concilii Proconsularis quae circa annum dcxxxxvI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas. ejus subscriptio fuit (2), *Redemptus gratia Dei Episcopus Municipii Canapii ut supra.*

(1) *Cognit. I. n.* 133. (2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 750.

cxxx. **CANIANENSIS**

Vicum obscuri nominis *Canianum* qui memoret, non reperio, nec de provincia, in qua fuerit, explorati quidquam habeo. fortasse in agro Adrumetino erat, atque adeo in Byzacena: nam Episcopus Canianensis in Collatione Carthaginiensi post Adrumetinum cietur.

MAXIMVS. erat hic e grege Donatistarum, et in Collatione Carthaginiensi anni ccccxI. quum processisset, ait (1), *Mandavi et subscripsi.* nec vero contra eum Catholicus Episcopus prodire visus est.

(1) *Cognit. I. n.* 206.

cxxxI. **CAPRENSIS**

Vicum oppidumve *Capram* Mauretaniae Caesariensi adtribuit Notitia; et in ejusdem provinciae finibus pagum agnoscere videtur Victor Viten-

sis (1), cui nomen erat *Capra picta*, in ditione Regis Maurorum, qui *Capsur* dicebatur. ibidem Episcopum constitutum fuisse, vix ambigendum est: nam Genserici aevo Confessores aliquot eo relegati *caeperunt*, inquit Victor, *praedicatione et conversatione sua ad cognitionem Domini Dei nostri barbaros invitare, et tali modo ingentem multitudinem gentilium barbarorum Christo Domino lucraverunt.* addit et de legatione eorum ad Episcopum civitatis Romanae, qua Presbyterum sibi sacrosque ministros destinari petierunt; eosque voti compotes factos, Ecclesiamque illic conditam esse: cui demum et Episcopum praefectum fuisse, veri quam simillimum est.

PRIMVS. hunc Notitia quinquagesimum tertium recenset inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. ad communem conventum Carthaginem evocatos communi cum reliquis poena multavit exsilio.

(1) *Pers. Vand. lib. I. c.* 11.

CXXXII. CAPSENSIS BYZ.

Geminum in Africa oppidum *Capsa*, alterum in Numidia, de quo infra dicendum est, alterum in provincia Byzacena, de quo hic agitur. atque id quidem est, quod Cyprianus in epistola ad Fortunatum et alios collegas (1) *Capsensem civitatem* appellat, quae tum ad provinciam Proconsularem spectabat, quod nondum Byzacena et Tripolitana constitutae essent, et a Proconsulari avulsae. ea in tabula Peutingeriana *Colonia* appellatur, et civium Romanorum fuisse putanda est, quum vetus inscriptio apud Sponium ostendat, Capsenses in tribu Sergia censos, atque adeo cives Romanos esse habitos (2). at non haec Capsa fuit, quam Sallustius a Mario captam scribit (3), quamque Strabo a C. Caesare deletam tradit (4); sed quae a Ptolemaeo (5) sub Adrumeto, nec procul a palude Tritonis describitur; quo item in loco ab Arabe Geographo ponitur, ut indicavit Bochartus (6). nam illa fluvium nullum habebat vicinum, ut incolae ejus, Sallustio teste, una modo atque ea intra oppidum jugi aqua, cetera pluvia uterentur: quae caussa fuit, ut Marius eo profecturus aquam in utribus a milite ferri juberet. Byzacena vero flumine adluebatur, ut Arabs Geographus diserte docet, atque ex eo Marii exercitus haurire impune potuisset. hanc septem Martyres Monachi nobilitarunt, quorum Acta ab ipso Victore Vitensi perscripta putantur (7): qui tamen Carthagine martyrium suum consummarunt sub Rege Hunerico, anno CCCCLXXXIII. nec in patria, sed in ipsa alma urbe prope Basilicam Celerinae sepulcrum habuere.

DONATVLVS. hunc Carthaginem anno CCLV. profectum esse ad Concilium, quod Cyprianus tertium de Baptismo coegit, Acta ostendunt, in

(1) *ep'st.* 53. *v. an.* 252. *&.*
(2) *Misc. p.* 162. *n.* 2.
(3) *in Iugurt. c.* 91.
(4) *lib. XVII. p.* 572.
(5) *lib. III. c.* 3.
(6) *Geogr. Chan. lib. I. c.* 24.
(7) *ed. Ruin. post Pers. Vand. lib. V.*

quibus et sententia ejus legitur, quam sexagesimo nono loco dixit (8). nec dubium est, huic ipsi scriptam esse epistolam Cypriani (9), cujus est argumentum *De iis, qui per tormenta superantur.* in ipso enim exordio et Donatulus cum aliis appellatur, et Capsensis civitatis fit mentio.

FORTVNATIANVS. hic anno CCCXXXXVIIII. interfuit Concilio Carthaginiensi, quod Gratus indixerat (10): in cujus praefatione quum primus inter Byzacenos memoretur, provinciae tum suae Primatem fuisse credibile est.

QVINTASIVS. subscripsit hic cum reliquis Maximianistis epistolae synodicae Concilii, quod Cabarsussi in provincia Byzacena celebrarunt anno CCCLXXXXIII. (11) adversus Primianum.

DONATIANVS. cietur hic in Collatione Carthaginiensi cum Episcopo ejusdem provinciae: in eaque anno CCCCXI. quum citatus esset, *Mandavi*, inquit, *et subscripsi* (12). erat autem e numero Donatistarum, nec Catholicus Episcopus Capsae tum fuisse dicitur.

VINDEMIALIS. hunc ordine sexagesimum Notitia numerat inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. ab Rege Hunerico Carthaginem convenire jussi, exinde cum reliquis Africae Episcopis in exsilium ejecti sunt. ejusdem mentio fit in Actis sanctorum septem Martyrum Capsensis civitatis, cui nempe dicitur praefuisse *sanctus Vindemialis sacerdos egregius, et Christi fidelis antistes* (13). meminit etiam Gregorius Turonensis (14) et Martyrologium Romanum (15).

(8) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 175.
(9) *epist.* 53. *ad Fortunat.*
(10) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 685.
(11) apud August. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20.
(12) *Cognit. I. n.* 208.
(13) apud Ruinart. *ibid. n.* 3.
(14) *Hist. Franc. lib. II. c.* 3.
(15) *ad diem II. mens. Maii.* v. Boll. *T. II. Iun. p.* 179.

CXXXIII. CAPSENSIS NVMID.

Quamquam Strabo auctor est, Capsam, quae, ut idem ait (1), *γαζοφυλάκιον τῦ Ἰυγύρθα* fuerat, a C. Caesare in bello, quod gessit adversus Iubam, cum aliis finitimis oppidis deletam esse; fatendum tamen est, eam postea revixisse, quum duo Capsenses Donatistarum Episcopi in Collatione Carthaginiensi memorentur. Marii aevo erat haec urbs, ut a Sallustio describitur (2), *inter ingentes solitudines oppidum magnum atque valens, cujus conditor Hercules Libys memorabatur.* et de Mario, qui eam cepit, sic Florus (3): *Hic et urbem Hercule conditam Capsam, in media Africa sitam, anguibus arenisque vallatam, mira quadam felicitate superavit.* porro in Numidia fuisse ex eo constat, quod Iugurthae esset, qui Numidiae dominabatur.

FORTVNATVS. occurrit hic in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. in qua appellatur *Episcopus plebis Capsensis,* citaturque post Episcopum

(1) *lib. XVII. p.* 572.
(2) *in Iugurt. c.* 89.
(3) *lib. III. c.* 1.

Centuriensem, qui omnino ad Numidiam pertinebat. porro quum Fortunatus se praesto esse dixisset (4), processit *Celer* Episcopus partis Donati in eadem civitate, et ait, *Agnosco illum.*

(4) *Cognit. I. n.* 126.

CXXXIIII. CAPVTCILLENSIS

In Itinerario Antonini leges *Caputcilam*, idque oppidum Mauretaniae Caesariensi tribuitur, cui et Notitia adscribit. ei autem tamquam limiti provinciae praeerat qui in Notitia Imperii occidentalis appellatur *Praepositus Limitis Caputcellensis:* sic enim scriptum in codice, quem vulgavit Pancirolius (1), nec semel, sed iterum.

FORTIS. est hic ordine tricesimus octavus inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem cum reliquis convocatos relegavit.

(1) *p.* 159. *edit. Lugdun. et* 165.

CXXXV. CARCABIANENSIS

Oppidum provinciae Byzacenae fuisse *Carcabiam*, ex Notitia discimus: iudicium de ea aliud apud veteres non invenio; nisi quod Augustinus *Carcaviam* potius appellat (1), et in codicibus antiquis lectio non una est: nam et *Carcabinensis* legitur et *Carcabensis* et *Carcabianensis*, aut huiusmodi.

VICTORIANVS. fuit hic e numero duodecim Ordinatorum Maximiani, et anno CCCLXXXXIII. Concilio Cabarsussitano interfuit, in quo tertius cietur (2). anno insequenti in Bagajensi idem a Primiani fautoribus damnatus et loco motus est. in sententia Donatistae primo eum loco nominant (3).

DONATIANVS. erat hic quoque e grege Donatistarum, et inter hos processit in Collatione Carthaginiensi, anno CCCCXI. communi formula usus, *Mandavi et subscripsi* (4). Catholicus Episcopus Carcabiae tum fuisse non videtur.

SIMPLICIVS. est hic octogesimus quartus Episcoporum provinciae Byzacenae, quos Notitia recenset cum reliquis, qui an. CCCCLXXXIIII. Carthaginem a Rege Hunerico evocati, inde in exsilium pulsi fuere.

(1) *epist.* 108. *n.* 15.
(2) apud Aug. *in ps.* XXXVI. *serm.* II. *n.* 20.
(3) apud eund. *lib.* III. *contra Cresc. c.* 4. *n.* 5.
(4) *Cognit. I. n.* 201.

CXXXVI. CARIANENSIS

Vico nomen fuisse videtur *Casulae Carianenses:* is erat in provincia Byzacena, ut Notitia nos docet. in Itinerario Antonini occurrit *Casula*, sed ea in Proconsulari recensetur. Casularum Carianensium mentionem fieri in celeberrimo codice s. Hilarii, quem servat Bibliotheca sacrarii Vatica-

ni, Mabillonius censuit (1): habet enim emendatoris anonymi chirographum hujusmodi: *Contuli in nomine Domini Iesu Christi aput Kasulis constitutus, anno quartodecimo Trasamundi Regis,* id est anno DX. supputationis nostrae, ut ab Holstenio ad marginem adnotatum est. ceterum de his subdubitat Germonius (2) et a scribae recentioris manu esse suspicatur, qui tantam codici aetatem, pretii augendi caussa, tribuerit.

SILVANVS. hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, citatusque quum dixisset (3), *Praesto sum*, adjecit, *Vnitas est illic:* quibus verbis Ecclesiam suam Donatistarum labe immunem significabat.

QVINTIANVS. hunc ordine quinquagesimum octavum legimus in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, qui cum reliquis, quos Notitia enumerat, anno CCCCLXXXIIII. jussu Regis Hunerici, postquam Carthaginem vocati convenerant, in exsilium pulsi sunt. hic autem non *Carianensis* tantum, sed *Casulis-Carianensis* dicitur.

(1) *Dip'om. lib. r. p.* 355.
(2) *de Eccl. cod. corr. P. II c.* 9.
(3) *Cognit. I. n.* 126.

CXXXVII.

CARPITANVS

Inter oppida Carthagini proxima fuit, quod *Carpis* a Ptolemaeo (1), *Carpi* a Plinio appellatur (2): atque id ipsum in Notitia provinciae Proconsulari adtribuitur. sub Iuliani principatu magnas ibi caedes factas Catholicorum a Donatistis, quibus tum eadem voce libertas est reddita, qua voce idolorum patefieri jussa sunt templa, Optatus indicat cap. XVIII. libri II. nam descriptis iis, quae apud Castellum Lemellense incredibili crudelitate patraverant, *similiter*, inquit, *et apud Carpos.*

SECVNDINVS. sententiam hic dixit vicesimo quarto loco in Concilio Carthaginiensi (3), quod Cyprianus tertium de Baptismo coegit an. CCLV.

ANTONIVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et inter Catholicos Episcopos recensitus quum respondisset (4), *Praesto sum*, processit Episcopus Donatista, qui ait, *Agnosco illum.* huic nomen erat *Veratiano*, qui et custos tabularum a suis postea designatus est: a quo item discimus, Decessorem ejus fuisse Faustinianum (5). nam inter suos citatus ait, *Mandavi et subscripsi, qui sum successor Faustiniani, qui in unitate veritatis fuerat ordinatus a Donato: postmodum vero temporibus Macarii illic emerserunt traditores.* porro hic idem Antonius esse putandus est, qui in epistola Episcoporum provinciae Proconsularis ad Innocentium Pontificem maximum cietur ordine sextus.

PENTADIVS. occurrit hic inter Episcopos Concilii Carthaginiensis anni CCCCXVIIII. cui et legatus Ecclesiae Romanae interfuit Faustinus Ecclesiae Potentinae in Piceno Episcopus. subscripsit Pentadius Actis ejus Concilii nonus (6).

(1) *Geogr. lib. III. c.* 3.
(2) *H. N. lib. r. c.* 4.
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 166.
(4) *Cognit. I. n.* 126.
(5) *ibid. n.* 204. *et n.* 187.
(6) apud Hard. *ibid. p.* 939.

FELIX. hunc ordine vicesimum nonum Notitia exhibet inter Episcopos provinciae Proconsularis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum Regis Hunerici edicto acciti, subinde in exsilium acti sunt. Felicem autem in insulam Corsicam relegatum fuisse, adjecta nomini ejus nota declarat.

VENERIVS. hunc anno DXXV. Carthaginiensi Concilio interfuisse, quod a Bonifacio coactum est, ejus declarat subscriptio, quae fuit hujusmodi (7): *Venerius Episcopus plebis Carpitanae, provinciae Proconsularis.*

BASSVS. nomen hujus legimus inter subscriptiones epistolae synodicae, quae sub annum DCXXXXVI. a Concilio Proconsulari missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum, ut eum adversus Monotheletas excitaret (8).

(7) *ibid. T. II. p.* 1081.

(8) *ibid. T. III. p.* 750.

CXXXVIII. CARTENNITANVS

Vrbs clari nominis in Mauretania Caesariensi *Cartenna*, quam Plinius coloniam Augusti appellat (1), Legione secunda eo deducta. Ptolemaeo est *Cartennae* (2), ut etiam in Itinerario Antonini, a quo inter *Arsenariam* et *Lar Castellum* recensetur, et Colonia item dicitur. iodidem fuisse Martyres, in quorum Natali sermonem ab Augustino pronunciatum esse scripsit Possidius (3), veri est simile visum Mabillonio (4), quamquam codices habent *Per Natalem Carthaeriensium*, et in vetusto Kalendario Carthaginiensi scriptum est, *III. Nonas Februarii sanctorum Carteriensium.*

ROGATVS. is est, qui discriminis caussa apud Augustinum *Rogatus Maurus* fere appellatur. Donatista erat, et sectae auctor novae, quae ab eo *Rogatistarum* dicta est. Augustino adolescente etiamtum vivebat, id est (5) ante annum CCCLXXXX. quo hic annum agebat aetatis suae tricesimum sextum. multa a Donatistis passus est, uti et Maximianistae a Primianistis, *non pro religione sacra,* inquit Augustinus (6), *sed pro animositate sacrilega.*

VINCENTIVS. hunc Rogato successisse, docet nos Augustinus in epistola, quam ad eum scripsit circa annum CCCCVIII. (7) *Nunc me,* inquit, *potius quietis esse avidum et petentem, quam tunc, quum me adolescentem, vivo adhuc Rogato, cui successisti, apud Carthaginem noveras.* quum Donatista esset, spes tamen aliqua erat Augustino, ad Catholicam Ecclesiam eum rediturum (8): quod ex epistola, quam ejusdem nomine scriptam acceperat, planum esse argumentabatur. ceterum Collationi Carthaginiensi non interfuit.

(1) *H. N. lib. V. c.* 2.
(2) *Geogr. lib. III. c.* 2.
(3) *in Indic. Op. Aug. c.* 9.
(4) *Analect. T. III. p.* 421.
(5) *epist.* 93. *Aug. n.* 1.
(6) *contra epist. Parm. lib. I. c. X. n.* 16
(7) *epist.* 93. *c. I. n.* 1.
(8) *ibid. c. XIII. n.* 51.

RVSTICVS. Catholicus Episcopus erat, et cum Catholicis Episcopis anno CCCCXVIII. Caesareae in exedram processit, quum ibi Augustinus in maximo ejus urbis templo ad disputationem provocavit Emeritum Donatistam, quemadmodum idem narrat in eo libro, quem inscripsit *De Gestis cum Emerito* (9).

VICTOR. hunc Regis Genserici aequalem facit Gennadius (10), eique ab eodem oblatum ait librum, quem scripserat adversus Arianos. aliorum item operum auctorem fuisse scribit, libri scilicet *De poenitentia publicani*, libri consolatorii *ad Basilium super morte filii*, denique *homiliarum multarum, quas*, inquit, *a fratribus salutis propriae sollicitis in libros digestas servari cognovi*. porro Victorem floruisse puto ultra annum CCCCL. quo tempore Gensericus mitiorem se Catholicis praebebat, et Episcopum Carthaginiensem creari passus erat. tum enim magis credibile est, Victoris librum contra Arianos in ejus manus pervenire potuisse.

LVCIDVS. hic quinquagesimus ordine est inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos Notitia cum reliquis enumerat, qui anno CCCCLXXXIIII. jussu Regis Hunerici Carthaginem convocati, ut professionis suae rationem redderent, exinde in exsilium pulsi sunt.

(9) *in ipso libri initio.* (10) *de Vir. illustr. c.* 77.

CXXXVIIII. CASARVM FAVENSIVM

Vicus plane ignotus hic est, nisi mendum in lectione agnoscas: nam fuere *Casae Calventi* in Mauretania Caesariensi inter Tipasam et Icosium Colonias, ut Itinerarium Antonini demonstrat. de mendo autem suspicari plane licet, quum Collationis Carthaginiensis, in qua *Casae Favenses* semel memorantur, unum ad nos exemplum, unusque codex pervenerit (1).

SERVANDVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi inter Donatistas, vocatusque ait (2), *Mandavi et subscripsi:* deinde adjecit, *Traditorem non habeo:* qua formula quidam, ut jam admonuimus, Catholicum Episcopum adversarium designabant.

(1) v. *praef. Baluz. ad Collat.* (2) *Cognit. I. n.* 204.

CXXXX. CASARVM NIGRENSIVM

Silent de hoc vico Geographi: quem tamen Notitia Numidiae adtribuit. nec apud veteres Patres ignotus fuerat, quum inde antesignanum suum Donatistae habuissent.

DONATVS. hic ille est, qui, ut ait Augustinus (1), *primus apud Carthaginem ipsum nefarium schisma commisit:* quique a Donato Carthaginiensi Majorini successore distingnendus est: quamquam ab isto nomen factioni impositum putavere multi etiam ex antiquis, famam hominis sequuti, qui diu inter schismaticos illos dominatus est. ceterum jam *Pars*

(1) *Retract. lib. I. c.* 21.

Donati erat et dicebatur, quum Romae a Melchiade absolutus est Caecilianus, anno CCCXIII. et Majorinus etiamtum vivebat 2): ut hic noster, qui tum fortasse Primas erat Numidiae (3), Donatistarum sectae nomen dedisse videatur. de ipsa appellatione sic Augustinus, Donatum utrumque apprime distinguens 4): *Si autem quisquam nostrorum primus flexit hoc nomen, nullo modo mihi videtur illud simile intuitus, quod Evangelistae ab Evangelio nuncupantur; sed quia per Donatum non tantum Carthaginis, qui hanc haeresim maxime roborasse perhibetur, sed etiam majorem Donatum a Casis nigris, qui altare contra altare in eadem civitate primus erexit, magnum scandalum factum est: ita fortassis a Donato Donatistas, ut ab scandalo scandalistas voluit appellare.*

IANVARIANVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua subscriptio ejus ante alias omnes Donatistarum lecta est ( ): quae fuit hujusmodi: *Ianuarianus Episcopus Casensium Nigrensium huic Mandato nostro subscripsi.* hic honor Iannariano delatus, quod teste Possidio ( ) *Primas* esset *Partis Donati.* eum Augustinus *Ianuarium* appellat (7, si lectio mendo caret.

FELIX. hic ordine quinquagesimus octavus est in albo Episcoporum Numidiae, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum omnium Episcoporum Africae profecti, in exsilium cum reliquis a Rege Hunerico pulsi sunt.

(2) Tillem. *M. Eccl. T. VI. p.* 700.
(3) Tillem. *ibid.*
(4) *contra Cresc. lib. II. c.* 1. *n.* 2.
(5) *Cognit. I. n.* 149.
(6) *in Indic. op. Aug. c.* 3.
(7) *epist.* 88. *in tit. quae scripta est nomine Clericorum Cathol. Hipponens.*

CXXXXI. CASARVM SILVANAE

Vicum hunc Numidiae adtribuit Harduinus: credo, quod plures ibidem vici essent, qui *Casae* appellarentur. cognomen a fundi domina accepisse, veri simile est.

BENENATVS. e Donatistarum grege hic erat, interque illos an. CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, in qua citatus ( ), *Mandavi*, inquit, *et subscripsi.* de Catholico ejusdem loci Episcopo nulla fit mentio.

(1) *Cognit. I. n.* 198.

CXXXXII. CASASMEDIANENSIS

Numidiae vicum fuisse *Casas Medianenses*, Notitia indicat. nomen inde ductum videtur, quod inter proximos vicos medius esset.

IANVARIVS. adfuit hic quidem an. CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, sed Carthaginem mature non venerat, atque partes suas Honorio Catholico Episcopo detulerat, ut Mandato subscriberet ipsius nomine. idcirco haec

in Collatione recitata subscriptio est (1): *Honorius Episcopus pro Ianuario fratre et Coepiscopo meo plebis Casarum Medianensium Carthagini constitutus praesente V. C. Tribuno et Notario Marcellino suprascripta mandavi et pro eo subscripsi.* tum vero jam aderat Ianuarius, qui accedens ait, *E diverso est mihi Aemilianus.* qui deinde inter Donatistas suos vocatus, *Mandavi*, inquit (2) *et subscripsi.*

VILLATICVS. est hic ordine vicesimus nonus inter Episcopos Numidiae, quos Notitia cum reliquis exhibet, qui an. CCCCLXXXIIII. ad communem conventum acciti Carthaginem, ab Rege Hunerico relegati sunt. idem autem Villaticus, ut a Victore accepimus (3), cum aliis tribus Episcopis libellum communi Episcoporum nomine Regi obtulerat, in quo Professionis Catholicae summa continebatur, illum nempe ipsum, quem Victor Historiae suae inseruit (4), cujus initium est, *Regali imperio fidei Catholicae, quam tenemus, praecipimur reddere rationem.*

(1) *Cognit. I. n.* 135. (3) *Pers. Vand. lib. III. c.* 23.
(2) *ibid n.* 198. (4) *ibid. ab init. lib. III.*

CXXXXIII. CASENSIS BASTALENSIS

Hunc quoque inter Numidiae vicos numerat Harduinus: in qua nempe alii erant non pauci, qui *Casae* appellabantur. si cognomen spectes, ad mare sitas fuisse *Casas Bastalenses* putare possis: nam *Bastuli* apud Poenos sunt qui littora habitant (1).

BENENATVS. inter Donatistas suos an. CCCCXI. adfuit hic Collationi Carthaginiensi, citatusque (2) quum dixisset, *Mandavi et subscripsi*, adjecit, *Et non habeo adversarium.*

(1) Boch. *Geogr. Chan. lib. I. c.* 34. (2) *Cognit. I. n.* 188.

CXXXXIIII. CASENSIS CALANENSIS

In Numidia fuisse *Casas Calanenses* Notitia nos edocet, earumque mentio fieri videtur etiam in Notitia Leonis Aug. in qua, contracto utroque nomine, Κασκαλα appellantur: agri Tacaratensis vicum credere licet: nam in Collatione Carthaginiensi Verissimus Episcopus Donatista questus est, quatuor Episcopos ibidem a Catholicis esse constitutos, quorum tertio nomen erat *Fortunato* (1), qui non alius videtur, quam is, de quo dicendum nunc est.

FORTVNATVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in eaque subscriptio ejus recitata est hujusmodi (2): *Fortunatus Episcopus loci Casensis Calanensis coram V. C. Tribuno et Notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine.* quum autem adjecisset, *Solus sum*, Verissimus Donatista excepit, *Presbyter est ibi Victorinus*, eo nempe ab ipso submissus, qui Tacaratae Donatistarum Episcopum agebat.

(1) *Cognit. I. n.* 121. (2) *ibid. n.* 133.

OPTANTIVS. hunc quadragesimum tertium Notitia numerat inter Episcopos Numidiae, quos Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. Carthaginem cum reliquis convocatos in exsilium simul ejecit.

CXXXXV. CASTELLANVS MAVR. CAES.

Castellum Mauretaniae Caesariensi adtribuit Notitia, idemque fortasse est, quod ibidem post Cartennas memoratum reperies in Itinerario Antonini, quamquam *Lar Castellum* scriptum est, quod *Larum* legi par est; nam et alia oppida in Africa a *Laribus* Diis nomen invenerant.

SEVERINVS. erat hic e Donatistarum numero, et hos inter adfuit anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus ait (1) *Et mandavi et subscripsi.* se autem ex Mauretania esse jam indicarat, quum Auxilio Nurconensi profitente, unitatem apud se esse, idque omnibus Caesariensibus atque adeo Severino praesenti notum, testatus ipse fuerat, Donatistam apud Nurconienses nunquam fuisse (2). unde illud item ediscimus, *Castellum* Caesareae proximum fuisse: quod et Itinerario Antonini consentaneum est.

VOCONIVS. de hoc meminit Gennadius his verbis (3): *Voconius Castellani Mauretaniae oppidi Episcopus scripsit adversus Ecclesiae inimicos Iudaeos et Arianos et alios Haereticos. composuit etiam Sacramentorum egregium volumen.* floruisse hunc circa annum CCCCLX. adnotavit Cave (4): quod veri omnino simile est; nam praeterquam quod Gennadius anno CCCCLXXXXIIII. opus suum absolvit, Voconius arripuisse occasionem videtur Arianorum refutandorum, quo tempore Arianam pestem Gensericus in Africam invexerat.

PETRVS. hic septuagesimus quintus est in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. ad conventum omnium Episcoporum vocatos communi cum reliquis exsilii poena affecit. Petrum autem ex adjecta mortis nota peregre periisse discimus.

(1) *Cognit. I. n.* 180.
(2) *ibid. n.* 135.
(3) *de Vir. illustr. c.* 78.
(4) *de scrip. Eccl. ad an.* 460.

CXXXXVI. CASTELLANVS MAVR. SIT.

Suum et Mauretaniae Sitifensi *Castellum* Notitia adscribit: de quo tamen apud Geographos veteres mentionem fieri non video.

FELIX. hunc ordine duodecimum Notitia recenset inter Episcopos Mauretaniae Sitifensis, qui anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem a Rege Hunerico simul cum reliquis Africae Episcopis relegati sunt. nota mortis adjecta Felicem peregre defunctum indicat.

CXXXXVII. **CASTELLANVS NVM.**

In Numidia etiam *Castellum* Notitia designat. an id fuerit, quod Sallustius a Mario captum scribit (1), postquam Capsa potitus esset; an illud, quod P. Sitius expugnasse dicitur apud Hirtium (2), nemo definire possit: esto, utrumque in Numidia fuisse constat.

HONORATVS. quartus hic est in albo Episcoporum Numidiae, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum profecti, exinde a Rege Hunerico in exsilium pulsi, praeclarum illud Confessorum agmen auxerunt.

(1) *Bell. Iugurt. c.* 93. (2) *de Bello Afric. c. XV. n.* 36.

CXXXXVIII. **CASTELLI IABARITANI**

Constat ex Notitia, *Castellum Iabaritanum* fuisse in Mauretania Caesariensi: nec plus aliquid de illo mihi compertum est.

MATTASIVS. est hic ordine sexagesimus quintus in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. Carthaginem accitos, cum reliquis, quos eodem vocarat, relegavit.

CXXXXVIIII. **CASTELLI MEDIANI**

Mauretaniae Caesariensi Notitia adtribuit *Castellum Medianum*, cui nomen ab situ datum videtur, quod utrinque alia castella essent, ipsum intermedium emineret. *Munimentum Medianum* memorat Ammianus Marcellinus (1), quod Valesius ad Mauretaniam Caesariensem spectasse opinatus est. ceterum de eo apud Geographos veteres nulla mentio.

VALENTINVS. nomen hujus octogesimo sexto loco legimus inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. edicto Regis Hunerici ad communem conventum profecti Carthaginem, communem exsilii poenam subierunt. hunc porro illum esse *Valentinum*, cujus in Kalendario Carthaginiensi memoria recolitur idibus Novembribus, ambiguum non habuit Mabillonius (2).

(1) *lib. XXVIIII. c.* 5. (2) *in Analect. T. III. p.* 420.

CL. **CASTELLI MINORITANI**

In Mauretania Caesariensi fuisse inter alia *Castellum Minoritanum*, Notitia nos edocet, quod exiguitatem suam ipso nomine praefert. de eo qui meminerit, invenio neminem.

NICETIVS. est hic tricesimus primus inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. ad communem conventum, quem Rex

Hunericus indixerat, Carthaginem profecti, subinde cum aliis in exsilium pulsi sunt: quorum nomina Notitia servavit.

CLI.

CASTELLI RIPENSIS

Hoc quoque nomen Notitiae debemus, quod propter flumen aliquod conditum appellatio declarat. Geographi quidem veteres de eo silent.

CEREALIS. hic centesimus decimus nonus est Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, quos Notitia cum reliquis recenset, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem a Rege Hunerico vocati, Catholicae professionis caussa in exsilium ejecti sunt. hunc autem illum esse Cerealem putat Holstenius (1), quem Gennadius, sive is potius, qui Gennadio septem in fine adjecit capita (2), contra Maximinum Episcopum Arianorum scripsisse tradit: cujus liber vetustatem pertulit, et in Bibliotheca Patrum editus est (3).

(1) *in adnot. de Patr. Rom. p. 97.*
(2) *de Vir. illustr. c. 96.*
(3) *Tom. VIII. p. 671.*

CLII.

CASTELLI SINITENSIS

Ad Numidiam pertinuisse Castellum Sinitense, non ex Notitia tantum, sed etiam ex Augustino adnotum est: qui et Hipponensi Coloniae proximum fuisse docet (1). itaque ibidem aliquando et concionatus ille est, quod a Possidio didicimus (2). Memoriam sancti Protomartyris Stephani in eodem Castello positam memorat ipse Augustinus (3).

MAXIMINVS. an. CCCLXXXXII. erat hic jam Episcopus, sed Donatista, quo anno Augustinus etiamtum Presbyter eum ad colloquium per epistolam invitavit (4). idem vero in alia epistola, quam ad Donatistas scripsit anno CCCCVIIII. Catholicum eum factum sic declarat (5): *Modo*, inquit, *praeconem misistis, qui clamaret Siniti, Quisquis Maximino communicaverit, incendetur domus ejus. qui antequam ipse ad Catholicam conversus esset, et nondum de transmarinis remeasset, ad quid aliud Presbyterum Siniti miseramus, nisi ut nulli molestus nostros visitaret, et in domo juris sui positus, pacem Catholicam volentibus praedicaret?* meminit ejusdem, sed jam defuncti, in libris de civitate Dei, quos inchoavit anno CCCCXIII. *Forte*, inquit (6), *accidit, ut ego et collega tunc meus Episcopus Sinitensis Ecclesiae Maximinus in proximo essemus etc.* ante Collationem Carthaginiensem obiisse puto.

CRESCONIVS. adfuit hic Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. quumque in medium progressus dixisset (7), *Mandavi et subscripsi*, de adversario Catholico, erat enim ipse Donatista, nihil adjecit.

(1) *de Civ. Dei lib. XXII. c. VIII. n. 11.*
(2) *in Indic. Op. Aug. c. 3.*
(3) *de Civ. Dei ibid.*
(4) *epist. 23.*
(5) *epist. 105. n. 4.*
(6) *lib. XXII. c. VIII. n. 6.*
(7) *Cognit. I. n. 202.*

LVCILLVS. Donatistis post Collationem Carthaginiensem debilitatis, fortasse et Cresconio demortuo, Siniteuses rursus Catholicum Episcopum habuisse videntur. nam Augustinus prodigia narrans, quae aevo ipsius contigerant per Africam ostensa divinitus, haec de Lucillo memoriae mandavit (8): *Memorati Memoriam Martyris* (Stephani), *quae posita est in Castello Sinitensi, quod Hipponensi Coloniae vicinum est, ejusdem loci Lucillus Episcopus populo praecedente atque sequente portabat. fistula, cujus molestia jamdiu laboraverat, et familiarissimi sui medici, qui eam secaret, operiebatur manus, illius piae sarcinae vectatione repente sanata est: nam deinceps eam in suo corpore non invenit.* nullum hic, ut vides, de Lucillo jam mortuo indicium est. libros autem de Civitate Dei, in quibus haec tradit Augustinus, absolutos ab eo non esse ante an. CCCCXXVI. exploratum est. itaque vel ultra hunc annum vixisse Lucillus putari possit.

STEPHANVS. sexagesimum septimum numerat hunc Notitia inter Episcopos Numidiae, qui anno CCCCLXXXIIII. a Rege Hunerico Carthaginem evocati, cum reliquis, qui eo convenerant, in exsilium ejecti sunt.

(8) *de Civ. Dei ibid. n.* 11.

CLIII. CASTELLI TATROPORTENSIS

In Mauretania Caesariensi fuisse *Castellum Tatroportense*, Notitia indicat. ceterum apud veteres obscurum nomen est; nisi statuas, unum id esse *e* quatuor locis, quorum in Itinerario Antonini mentio est: in eo enim Mauretaniae adtribuuntur *Portus Caecilii, Portus Sigensis, Portus divini, Portus magnus.*

REPARATVS. hunc ordine nonagesimum quartum Notitia exhibet inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui cum reliquis anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem convenere, professionis suae rationem Regi Hunerico redditūri: quos ille omnes, Ecclesiis ad Arianos suos translatis, exsilio affecit.

CLIIII. CASTELLI TITVLITANI

Praeter *Titulum* provinciae Proconsularis oppidum, de quo infra agemus, fuit in Numidia *Castellum Titulitanum*, quod ex Notitia discimus: nam apud Geographos vestigium nullum est.

VICTORINVS. hic ordine quinquagesimus primus est in albo Episcoporum Numidiae, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, communem cum reliquis Episcopis poenam subiere, a Rege Hunerico in exsilium ejecti, quod Arianorum perversam doctrinam detestarentur.

CLV. CASTRORVM GALBAE

Non unum in Africa oppidum a Castris Ducum Romanorum est appellatum. hoc a Galba Proconsule, qui deinde Augustus dictus fuit, cognominatum esse, putavit Torrentius (1). Africam enim biennium obtinuit, et magna severitate ac justitiae cura, Svetonio teste, ordinavit: ut memoriae ejus retinendae caussa oppidum conditum aut restitutum videatur. in Numidia fuisse censuit Harduinus: credo, quod Episcopus ejus in Concilio Carthaginiensi sententiam inter Numidicos Episcopos dixerit. nec absimile veri est, Galbam in Numidia castra metatum esse, in qua saepe adversus rempublicam turbatum legimus (2).

LVCIVS. hic septimus est inter Episcopos, qui ad Carthaginiense Concilium anni CCLV. convenere, quod nempe tertium de Baptismo Cyprianus vocavit (3). apud Augustinum, ubi sententiam ejus refellit (4), appellatur *a Castro Galbae:* in aliis Concilii illius exemplaribus *a Castragalba:* quod plane barbaricum est: neque enim Accii auctoritati standum putes, cui Nonius (5) ea verba tribuit, *Castra haec vestra est*: illud enim *Est* pro *Sunt* Graeco more usurpatum potius crediderim.

(1) in Svet. *Galb. c. vII. n.* 4.
(2) *v. praef.* §. *v.*
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 162.
(4) *lib. vI. contra Donatist. c.* 14.
(5) *cap. III. n.* 65.

CLVI. CASTRORVM NOBENSIVM

Castra nova in Mauretania Caesariensi tam Itinerarium Antonini, quam Notitia designat, unde *Castronovani* sive *Castronovenses*, prope *Tasagoram* sive *Tasaccuram*.

VITALIS. est hic ordine septuagesimus quartus inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem evocatos simul cum reliquis relegavit.

CLVII. CASTRORVM SEBERIANENSIVM

Id quoque oppidum in Mauretania Caesariensi fuisse, ex Notitia liquet, quamquam autem plurimum a Lepti minore provinciae Byzacenae urbe distaret, quae Severi Aug. patria fuit, nomen tamen Castris ab eodem datum crediderim. nam et ante imperium legatione in Africa functus fuerat (1), et quum de imperio contenderet cum Nigro, legiones suas in Africam miserat, quae provincias in officio continerent (2).

FAVSTVS. occurrit hic ordine septuagesimus tertius inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos Notitia cum reliquis recenset, qui anno CCCCLXXXIIII. simul omnes a Rege Hunerico Carthaginem convenire jussi, ac deinde in exsilium ejecti fuere.

(1) Spart. *in Sev. c.* 2.
(2) idem *ibid. c.* 8.

CLVIII. **CATABITANVS**

Nulla nominis vestigia sunt apud Geographos veteres: sed tamen, qualiscumque is vicus fuerit sive oppidum, Notitia in Mauretania Caesariensi fuisse ostendit.

PATERA. est hic nonagesimus septimus inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos an. CCCCLXXXIIII. Rex Hunericus cum reliquis Africae Episcopis Catholicis, quos convocarat, relegavit. nomen idem esse videtur atque *Paterius*, quae saeculo insequenti appellatio fuit discipuli Gregorii magni.

CLVIIII. **CATAQVENSIS**

Ad Numidiam pertinuisse oppidum *Cataquense*, et Notitia declarat, et Augustini epistolae quaedam confirmant (1). sed apud Geographos nulla mentio.

PAVLLVS. aequalis hic Augustini fuit, ab eoque epistolam habuit, quae nunc ordine octogesima quinta est, pertinetque ad annum CCCCV. in ea Augustinus hominem in primis reprehendit, quod in ea profusione viveret, cui frugalitas Ecclesiae ejus sufficere non posset. in alia, quam idem scripsit Olympio Magistro officiorum (2), Paullum perstringit, quod, quum multa fisco deberet, agellos quosdam sub nomine potentissimae domus comparaverat, *ut etiam ex ipsis morem suum sequens, quum fisco non solveret, nullas exactorum molestias pateretur.* decessisse is videtur ante annum CCCCVIII.

BONIFACIVS. hic anno CCCCVIII. Cataquensem Ecclesiam obtinebat, ut Augustinus indicat in epistola ad Olympium (3), et litteris etiam ad Bonifacium ipsum eo anno datis ostendit (4). anno CCCCXI. adfuit idem Collationi Carthaginiensi, in qua, quum recitata subscriptio ejus esset, de adversario Donatista ait (5), *E diverso Speratus est mihi:* hic vero progressus adjecit, *Agnosco illum:* alio subinde loco citatus dixit, *Mandavi et subscripsi* (6).

PASCENTIVS. hunc ordine sexagesimum octavum Notitia exhibet inter Numidiae Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem Episcoporum Africae conventum se contulere: quos deinde Rex Hunericus in exsilium omnes ejecit. nomen urbis in Notitia vexatum apparet: scriptum enim in codice *Cethaquensusca* pro *Cataquensis*, male scriba emendante, quod in alio exemplari adnotatum invenerat, uti jam Baluzius apposite admonuit.

(1) *Epist.* 85. 96. 97.
(2) *Epist.* 96. *n.* 2.
(3) *Epist.* 96. *n.* 2. 97. *n.* 3.
(4) *Epist.* 98.
(5) *Cognit. I. n.* 143.
(6) *ibid. n.* 202.

CLX.

CATRENSIS

Catriam quod Punice *oppidum caprarum* dixeris (1), in Mauretania Caesariensi Notitia designat. at nulla alibi de eo mentio.

CANDIDIANVS. centesimus sextus hic est inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Episcoporum Catholicorum profecti Carthaginem, cum iis Regis Hunerici jussu exinde in exsilium abiere. fuit autem Candidianus e beatorum Confessorum numero, qui peregre perierunt.

(1) v. Bochart. *Geogr. Sacr. lib. I. c.* 27.

CLXI.

CATVLENSIS

Episcopatum hunc Mauretaniae Caesariensi adtribuit Notitia, sed nomen apud veteres non occurrit. Itinerarium Antonini habet *Cartili* inter Cartennas et Caesaream, unde nullam in Mauretania Ecclesiam cognominatam esse novimus. in alterutra ergo lectione mendum esse potuit, et unum utrobique oppidum indicari, veri prope simile est.

ARATOR. est hic ordine quadragesimus octavus in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem convenere, et Catholicae professionis caussa communem exsilii poenam cum reliquis Episcopis subiere, quos Rex Hunericus relegavit.

CLXII.

CEDAMVSENSIS

Cedamusam, qualecumque oppidum fuerit, Geographi non memorant, nisi forte nomen aliter extulere. in provincia Mauretania Sitifensi fuisse, ex Notitia discimus.

MONTANVS. hunc Notitia vicesimum nonum recenset inter Episcopos provinciae Sitifensis, quos Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum evocatos simul cum reliquis Episcopis Catholicis exsilio affecit.

CLXIII.

CEDIENSIS

Cedia ubi fuerit, nemo demonstrat. indicium tamen haud levo est, ad Numidiam pertinuisse. nam in Collatione Carthaginiensi (1), quum Cediensis Episcopus Donatista decimus fuisset eorum, qui se *mandasse* professi erant, et Marcellinus brevitatis caussa testari eosdem juberet de voluntate ceterorum et subscriptione; Petilianus Donatista, ne id fieret, adversatus, Catholicisque nimium tribui questus, *Lucrum*, inquit, *videtur his cedere, qui multos se adversum nostros habere per hanc provin-*

(1) *Cognit. I. n.* 164.

ciam (Proconsularem) *ostenderunt, si in provincia Numidia non ostendimus eos penitus non habere, aut habere certe, sed raris locis.* quae verba quadrant in Cediensem Episcopum, qui adversarium sibi nullum esse in Ecclesia Cediensi postremus testatus fuerat.

SECVNDINVS. sententiam hic dixit undecimus (2) *in* Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo vocavit anno CCLV. variat quidem in codicibus lectio: nam in quibusdam appellatur is *Secundinus a Chezas*, sed in aliis tamen scriptum *a Cedias*, quod in Augustino etiam legitur (3).

FORTIS. erat hic e grege Donatistarum, quos frequentes habuit Numidia, interfuitque an. CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus inter primores, ait (4), *Mandavi et subscripsi: adversarium non habeo.*

(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 163.
(3) *de Bapt. contra Donat. lib. VI. c.* 18.
(4) *Cognit. I. n.* 164.

CLXIIII.

CEFALENSIS

In provincia Proconsulari fuisse *Cefalam* constat: itaque longe dissitam a promontorio Cephalis Syrtis majoris, qua Tripolitana provincia patebat.

FIDENTIVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, qui citatus (1) ait, *Vnitatem habeo.* adversarium porro Donatistam recens amiserat: itaque Valentinianus Diaconus Primiani adjecit: *Modo exivit de corpore, Fidentius dicebatur.*

CRESCIS. subscripsit hic epistolae sancti Concilii Proconsularis, quae sub annum DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (2). in subscriptione scriptum est *Caefalensis.*

(1) *Cognit. I. n.* 133.
(2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 749.

CLXV.

CELERINENSIS

Provinciae Proconsulari adtribuit Harduinus *Celerinam*, de qua tamen silent Geographi. in Collatione Carthaginiensi post Episcopum Celerinensem citatur Episcopus Hipponensium Diarrhytorum, qui omnino ad eam provinciam pertinebant.

DONATVS. erat hic e secta cognomine, adfuitque Carthagine an. CCCCXI. quum celebrata Collatio est: in qua citatus ait (1), *Ego mandavi et subscripsi: adversarium omnino nec habui, nec habeo in plebe mea.*

(1) *Cognit. I. n.* 180.

CLXVI.

CELLENSIS BYZAC.

Non unum in Africa oppidum gaudebat hoc nomine: quod a frumento, cujus major alicubi copia conderetur, impositum arbitror. morem attigit

Hirtius (1): *Est in Africa consuetudo incolarum, ut in agris et in omnibus fere villis sub terra specus, condendi frumenti gratia, clam habeant.* in Byzacio autem, quae provincia maxime frumenti ferax, *Cellae*, quas Itinerarium Antonini *Picentinas* appellat, inter Tabaltam et Tacapen erant, ac fortasse in ipso Tacapensi agro, quem Plinius a fertilitate magnopere laudat (2).

HONORIVS. Collationi Carthaginiensi hic interfuit anno CCCCXI. citatus post Eliensem ejusdem provinciae Episcopum (3). quum autem se *praesto esse* dixisset, ex adverso *Castus* Episcopus Donatista *Agnosco*, inquit, *illum*.

FORTVNIVS. subscripsit hic anno DCXXXXI. epistolae Concilii Byzaceni, quae ad Constantinum Aug. Heraclii filium missa fuit adversus Monotheletarum errores (4).

(1) *B. Afr. c. xxv. n.* 65.
(2) *H. N. lib. xvii. c.* 22.
(3) *Cognit. I. n.* 126.
(4) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 739.

CLXVII.

CELLENSIS MAVR. SITIF.

Mentio oppidi hujus est in Itinerario Antonini Perdicen inter et Macri, praeter Notitiam, quae item Mauretaniae Sitifensi adtribuit, et Macrensi proximum facere videtur.

CRESCITVRVS. est hic decimus septimus Episcoporum Mauretaniae Sitifensis, quos Notitia cum reliquis recenset, qui an. CCCCLXXXIIII. a Rege Hunerico post indictum Carthaginiensem conventum relegati sunt. peregre autem defunctum adjecta mortis nota declarat.

CLXVIII.

CELLENSIS PROV. PROCOS.

Suas item *Cellas* habuit provincia Proconsularis, cui sane Notitia adscribit: quamquam Geographi neglexere.

CYPRIANVS. est hic ordine quadragesimus quintus in albo Episcoporum provinciae Proconsularis, qui anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis a Rege Hunerico in exsilium acti sunt. huic diserte adscriptum est *In exsilium*, credo, quod neque in Africa exulare eum Rex passus esset, ut alios, quibus adscriptum legimus *Hic*, neque in Corsicam deportari jussisset, quemadmodum quosdam, quibus additum est *Corsic.*

CLXVIIII.

CEMERINIANENSIS

In Numidia *Cemerinianum* fuisse, ac prope Cirtam, quae et Constantina dicta est, locus indicat Collationis Carthaginiensis, quem mox proferemus. ceterum de hoc oppido Geographi veteres nihil habent.

MONTANVS. erat hic e numero Donatistarum in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. in qua citatus, *Mandavi*, inquit (1), *et subscripsi: adversarium non habeo.* porro ad haec Fortunatus Episcopus Ecclesiae Catholicae Constantiniensis subjecit: *Habemus illic Ecclesiam*, et *Presbyterum Terentium.* quae satis ostendunt, rem Fortunato ob vicinitatem fuisse cognitam; praesertim quum testimonium ejus nemo refutarit: tum ipsum Terentium ab eodem illuc submissum, qui Catholicis praesto esset.

(1) *Cognit. I. n.* 201.

CLXX. CENCVLIANENSIS

Vicum *Cenculianum* ad provinciam Byzacenam pertinuisse, Notitia nos edocet, in qua *Cunculiana* cietur sine Episcopo; quod tum forte jam defunctus, Regis Hunerici, Episcopos undique evocantis, consilium praevertisset. in Notitia a Goare edita scriptum est *Cenculiana.*

IANVARIVS. interfuit hic Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. ac inter Catholicos citatus, *Praesto sum*, inquit (1), *non est illic Episcopus alius. Catholica est.* porro ibidem appellatur Episcopus plebis *Cenculianensis:* ut mendum in Notitia civitatum Africae agnoscatur, ubi *Cunculiana* legitur pro *Cenculiana.*

(1) *Cognit. I. n.* 128.

CLXXI. CENENSIS

Oppidum *Cenae* ab Harduino provinciae adscribitur Byzacenae, e qua certe erat Episcopus, qui in Collatione Carthaginiensi ante Cenensem citatur. ceterum nulla loci indicia apud veteres.

BONIFACIVS. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, atque inter Catholicos citatus, quum se *praesto esse* respondisset, adversarium habuit *Vindemium*, qui adjecit (1), *Agnosco illum.* atque hic etiam postea vocatus ait (2), *Mandavi et subscripsi:* quo loco appellatur *Vindemius a Cenis.*

(1) *Cognit. I. n.* 129. (2) *ibid. n.* 197.

CLXXII. CENTENARIENSIS

Centenariam in Numidia fuisse, Notitia ostendit. Tabula Pentingeri locum designat *ad Centenarium:* verique simile est, nomen oppido impositum, quod centesimo milliario a Carthagine situm esset.

CRESCONIVS. hic anno CCCCXI. Carthaginem ad Collationem profectus in morbum incidit. propterea partes ejus egit Reginus Episcopus Tigillavensis ex eadem provincia, cujus subscriptio fuit hujusmodi (1): *Qui supra pro Cresconio Episcopo Centenariensi praesente V. C. Tribuno et Nota-*

(1) *Cognit. I. n.* 133.

rio Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini eo quod infirmitatis caussa praepediatur, mandante ipso subscripsi Carthagini. advenerat autem indidem et Episcopus Donatista, cujus nomen excidit: ceterum hic quoque aeger erat, quod alius Episcopus testatus est his verbis, *Etiam ipse male habet.*

FLORENTIVS. est hic ordine tricesimus nonus inter Episcopos Numidiae, qui an. CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem acciti, deinde in exsilium cum reliquis Episcopis a Rege Hunerico pulsi sunt.

CLXXIII. CENTVRIENSIS

Oppidum, cui nomen *Centuriae*, praeter Notitiam, Procopius quoque in Numidia agnoscit (1). nomen autem inditum puto, quod illic Centuriarum praesidium esset adversus barbaros.

QVODVVLTDEVS. mentio hujus est in Concilio Milevitano I. an. CCCCII. ut ex Codice Canonum Ecclesiae Africanae novimus (2): unde etiam apparet, contentionem illi aliquam cum adversario fuisse, neque subinde jus apud Episcopos experiri voluisse (3). idem autem Quodvultdeus an. CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, in qua se *praesto esse* ait (4), et Donatistam Cresconium ex adverso habuit, qui pronunciavit, *Agnosco illum.*

IANVARIVS. est hic nonagesimus quintus in albo Episcoporum Numidiae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem convocatos, simul cum reliquis, qui jussu ejus eodem convenerant, relegavit.

(1) *Bell. Vand. lib. II.*
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 910.
(3) *ibid. can. LXXXVII.*
(4) *Cognit. I. n.* 116.

CLXXIIII. CENTVRIONENSIS

Nomen urbis fuisse *Centuriones*, extra controversiam videtur, etsi variat in codicibus lectio: nam et *Centurianensis* alicubi appellatur Episcopus, et *a Centurionis.* at in Actis Martyrum Numidicorum Iacobi et Mariani, quae edidit Ruinartius (1), memorantur *Magistratus Centurionum*, quae vera lectio habenda est. atque inde etiam liquet, non modo Numidiae oppidum fuisse, sed etiam Cirtae proximum. nam Cirtae ad Martyrum quaestionem Centurionenses quoque Magistratus adfuisse dicuntur (2): quod utique vicinitatis indicium est.

NABOR. numeratur hic inter Episcopos Concilii Cirtensis anno CCCV. a Secundo Tigisitano coacti (3), in quo examen eorum institutum est, qui sacros codices Diocletianaei edicti metu tradidisse arguebantur. sed Nabor e tribus fuit, qui accusati non fuere, sed tantum consulti, quid in ea caussa deliberandum esset (4): quorum responsum fuit, *Talem caussam Domino debere reservari.*

(1) *in Act. sinc. p.* 225.
(2) *ibid. n. V.*
(3) apud Aug. *contra Cresc. lib. III. c.* 27.
(4) Opt. *de Schis. lib. I. c.* 14.

IANVARIVS. erat hic e grege Donatistarum, interque eos anno ccccxI. Collationi Carthaginiensi interfuit (5), in qua citatus, *Mandavi*, inquit, *et subscripsi.* nec de Episcopo Catholico quidquam additur, qui tum in aliis quoque Numidiae oppidis bene multis desiderabatur: nam in Numidia potissimum Donatistae tamquam in regno suo late dominabantur.

FIRMIANVS. hunc Notitia sextum memorat inter Numidiae Episcopos, qui anno ccccLxxxIIII. ad communem Africae conventum Regis Hunerici edicto vocati, simul cum reliquis in exsilium ejecti sunt. atque hic idem, apposita mortis nota, peregre defunctus ostenditur.

(5) *Cognit. I. n.* 202.

CLXXV. CERAMVSSENSIS

Ceramussam in Numidia fuisse, eamque in finibus Milevitanis, declarat exorta in Collatione Carthaginiensi contentio inter Episcopos, de qua modo dicendum est.

SEVERIANVS. Carthaginem hic se contulit anno ccccxI. ad Collationem Carthaginiensem, in qua etiam, cum subscriptio ejus recitata esset, de Ecclesia sua testatus est (1), *Catholica est omnis.* at ex adverso Habetdeus Diaconus Primiani Episcopi Donatistae, *Habemus*, inquit, *senem Adeodatum.* hic vero Severianus, *Ostendat*, ait, *illum.* tunc Adeodatus Episcopus Donatistarum Milevitanus rem sic explicavit: *In plebe mea est Milevitana Ceramussa.* nec tamen adquievit Severianus, et quod dixerat, iterum ita confirmavit: *Omnis ab origine Catholica est ibi, numquam ibi fuerunt Donatistae.* rursum Adeodatus, *In plebe*, inquit, *mea est. per violentiam inde exclusit omnes Clericos et Presbyteros.* contra Severianus, *Mentitur*, ait, *teste Deo.* at vir mitissimus Marcellinus, quem Honorius Aug. Collationi praeesse jusserat, sic Adeodatum compellans interloquutus est: *Illud sanctitas tua simpliciter dignetur edicere, utrum in ea plebe Episcopus nunc sit.* cui Adeodatus: *In plebe mea est*, inquit, *circum circa meum est totum: etiam mei terrore succubuerunt omnes, qui in eodem loco constituti erant.* ad haec Severianus denuo, *Mentitur.* atque hic rixae finis fuit: manifestumque visum est, Ceramussenses Catholicos esse, quamvis in finibus Milevitanis continerentur, ubi Adeodatus Donatista tamquam in Ecclesia sua dominabatur.

(1) *Cognit. I. n.* 133.

CLXXVI. CERBALITANVS

Cerbicam memorat Ptolemaeus in Zeugitana mediterranea: quae fortasse ipsa est, quam saeculo VI. *Cerbaliam* appellatam constat. hanc sane in provincia Proconsulari fuisse satis Episcopi provinciae ejusdem, inter quos Cerbalitanus cietur, indicare videntur. itaque Harduinus Episcopatum hunc ad Proconsularem pertinere putavit.

CONSTANTIVS. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi, quod a Bonifacio vocatum est anno DXXV. (1) qui secundus erat regni *gloriosissimi Regis Hilderici.*

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

CLXXVII.

CESSITANVS

Oppidum *Cessitanum*, quod et *Cissitanum* scribitur, ipsum esse *Cisi Municipium* videtur, quod in Itinerario Antonini memoratur inter *Rusubricari* et *Rusuccurum*, id est in media Mauretania Caesariensi, cui et Notitia Cessitanum Episcopatum adscribit.

QVODVVLTDEVS. erat hic e secta Donatistarum, et ad Collationem Carthaginiensem profectus anno CCCCXI. quum subscriptio ejus recitaretur, jam decessisse dictus est (1). magna autem controversia exarsit inter Catholicos et Donatistas, quod hi in itinere eum mortuum dixissent; illi autem scire vellent, quo pacto Quodvultdeus subscripsisset, siquidem in ipso itinere obiisset: nam omnes Episcopi Carthagine Mandato subscripserant. post altercationem satis longam, nodum ita solvit Adeodatus Donatista: *Octo dies emensi sunt, ut Mandatum confectum est. is, qui mandavit, de cujus nomine nunc agitur, quum aegrotare coepisset, ad propria remeans in itinere defecit.* ceterum Catholicis responsum hujusmodi parum probatum est, qui et scire volebant, quo ille in loco defecisset, quem illi non designabant, et testes dari postulabant, qui eum Carthagine vidissent: quorum neutrum Donatistae praestitere.

REPARATVS. est hic ordine centesimus septimus inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos anno CCCCLXXXIIII. ad communem conventum Carthaginem accitos Rex Hunericus simul cum reliquis, quos Notitia recenset, exsilio affecit.

(1) *Cognit. I. n.* 207.

CLXXVIII.

CIBALIANENSIS

Cibalianam in Africa Proconsulari fuisse, censuit Harduinus. at quis veterum hoc docuerit, non invenio. in Collatione Carthaginiensi Episcopus Cibalianae cietur post Bullensem provinciae Proconsularis sine dubio Episcopum.

DONATVS. sententiam hic dixit quinquagesimo quinto loco in Carthaginiensi Concilio, quod Cyprianus anno CCLV. tertium de Baptismo celebravit (1).

CRESCONIVS. hic Collationi Carthaginiensi interfuit anno CCCCXI. interque Donatistas vocatus (2), *Mandavi,* inquit, *et subscripsi.* Catholicum autem Cibalianensium Episcopum tum fuisse non apparet.

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 174. (2) *Cognit. I. n.* 208.

CLXXVIIII. CICSITANVS

Carthagioi proximam facit *Cigisam* Itinerarinm Antooini, quae *Cicisa* est in Tabnla Peutingeri. *Cicsitanum* autem Episcopatum provinciae Proconsulari adtribnit Notitia. utrobique unum idemque oppidnm designari, facile crediderim.

FLAVOSVS. erat hic e grege Donatistarum, adfuitque aono CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus (1), *Mandavi*, inqoit, *et subscripsi.* una tamen in ejns appellatione litternla abludit, nam *Cissitanus* dicitur: at non ideo ad Cessitnnam urbem referri debet, quum ea, ut vidimos, alium Episcopum Donatistam haberet.

CRESCES. sic alii, pro *Crescens,* uti snperius admonuimus. fuit autem hic vicesimus septimns inter Episcopos provinciae Proconsularis, qui anno CCCCLXXXIIII. Regis Hunerici edicto Carthaginem ad communem Episcopornm conveotum acciti, ob Catholicam professionem subinde communi cnm reliqois poeoa affecti snnt. huic porro adscriptnm est *In exsilium:* quod ei nempe, ubi libuit, exsnlare fas fuit. nam quosdam in insulam Corsicam deportatos esse, Notitia identidem designat.

(1) *Cognit. I. n.* 208.

CLXXX. CILIBIENSIS

Cilibiam Harduinns provinciae Proconsulari adtribuit, seqnutos, opinor, indiciom Episcoporum ejusdem proviociae, quos inter Cilibiensis subscripsit Concilio Carthaginiensi. est autem in eo tractu vetns quoque inscriptio reperta, in qua memorantur *Municipes Chidibb.* (1) quae vox ad *Cilibienses* magis, quam ad alios, quos in Africa fuisse novimus, populos referri potest. sed apud Geographos neutra appellatio occurrit.

TERTVLLVS. adfuit hic anno CCCCXI. ioter Donatistas Collationi Carthaginiensi, in qua vocatus ait (2), *Mandavi et subscripsi.* de Catholico Cilibiensium Episcopo nulla fit mentio.

RESTITVTVS. nomen hujus legimus in subscriptionibus Concilii Carthagioiensis, quod anno DXXV. vocatum est a Bonifacio (3).

(1) apud Maff. *Mus. Ver. p.* 459. *n.* 7.
(2) *Cognit. I. n.* 206.
(3) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

CLXXXI. CILITANVS

Stat adhuc fornix in Tunetanorum finibus, qni olim dicatus fuit *Coloniae Cilitanae* (1). haec in Antonini Itinerario *Cilium* appellatur, et ad provinciam Byzacenam pertinebat, ut Notitia demonstrat. ibidem Monasterium fuit, cui Iustiniani Aug. aevo praeerat Abbas Felix, is quem

(1) Maff. *Mus. Ver. p.* 462. *n.* 3.

Vigilius P. M. ut incentorem pravitatis Rustici Diaconi cum Rustico ipso damnavit: ac deinde Iustinianus, quod quintae synodo scriptis suis obtrectaret, in exsilium ejecit. de eodem Victor Tunonensis in Chronico: *Post consulatum Basilii V. C. anno XVII.* id est anno Christiano DLVII. *Felix Hegumenus Monasterii Gillitani in exsilio apud Sinopem de hac vita migravit ad Dominum.* nec mirere, scriptum *Gillitani* pro Cilitani, quae germana lectio est: similia tibi exempla Africanae hujus licentiae passim occurrent: at contra nullum aliud oppidi nomen huic affine magis reperias.

TERTIOLVS. adfuisse hunc constat anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus *praesto se esse* respondit. Catholicus erat, sed non totam urbem sibi consentientem habebat. praeerat autem Schismaticis Cilitanis Donatus, qui in Collatione progressus ait (2), *Agnosco illum.* atque hic Donatus subinde vocatus (3), *Mandavi*, inquit, *et subscripsi.* nec Tertiolo solum adversabatur, sed etiam Privatiano Episcopo plebis Vegeselitanae, quae Coloniae Cilitanae suberat. nam hujus subscriptione recitata, idem subjecit (4), *E diverso est mihi Donatus Cilitanus.* tum ipse Donatus addidit: *Diaconos illic habeo, vicina plebs agit, Diocesis mea est.* interroganti autem Privatiano, *ubi conveniunt?* respondit, *Et loca et Memorias Martyrum tamen prohibuisti. Candidum non habui Presbyterum inde?* cui rursum Privatianus, *Et ubi agebatur?*

FORTVNATIANVS. est hic ordine sexagesimus quartus inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. Regis Hunerici edicto ad communem Episcoporum conventum Carthaginem evocati, in exsilium cum reliquis ejecti sunt.

(2) *Cognit. I. n.* 128. (4) *ibid. n.* 133.
(3) *ibid. n.* 187.

CLXXXII. CINCARITANVS

Vicum hunc sive oppidum, qualecumque fuerit, Geographi veteres non memorant: Harduinus tamen provinciae Proconsulari adscribit. indidem fuisse Episcopum, post quem in Collatione Carthaginiensi cietur Cincaritanus, manifestum est: verum tam levi indicio non bene creditur.

RESTITVTVS. Collationi Carthaginiensi cum Catholicis Episcopis hic adfuit anno CCCCXI. in qua, quum subscriptio ejus lecta esset, dixit (1), *E diverso mihi est Campanus Episcopus:* hic vero accedens, *Agnosco*, inquit, *illum:* infraque citatus (2), *Mandavi*, ait, *et subscripsi.*

(1) *Cognit. I. n.* 133. (2) *ibid. n.* 188.

CLXXXIII. CIRCINITANVS

Cercinam appellant veteres, clarum oppidum in insula cognomine ad Syrtim minorem e regione provinciae Byzacenae (1). de ea sic Pli-

(1) Livius *lib. XXXIII. c.* 48. Strabo, Hirtius, Tacitus.

nius (1): *Cercina cum urbe ejusdem nominis libera, longa XXV. millia passuum, lata dimidium ejus, ubi plurimum: at in extremo non plus quinque millia passuum.* haec eadem est, quae sancto Fulgentio jam seni et vitae exitum opperienti secessum praebuit (3).

ATHENIVS. hunc Notitia quadragesimum septimum numerat inter provinciae Byzacenae Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, quem Rex Hunericus indixerat, ab eodem subinde cum ceteris in exsilium pulsi sunt.

(2) *H. N. lib. V. c. 7.* (3) *in vit. c. 29.*

CLXXXIIII.

CIRTENSIS

Cirta Colonia nihil illustrius. Massanissae et successorum Regia fuerat, et Numidiae Metropolis semper habita: quam munitissimam et omnibus rebus instructam fuisse, auctor est Strabo (1). a C. Caesaris temporibus Colonia Sittianorum dici coeperat, P. Sittii militibus eo deductis, postquam C. Caesari in bello Africano egregiam operam utilemque navaverant (2). ab aevo autem Constantini Aug. qui eam bello Maxentiano eversam restituerat, *Constantina* dicta est (3): unde Episcopi ejus et Cirtenses et Constantinienses appellantur. bina ibidem templa diversis temporibus a Constantino eodem condita, Rescriptum ejus ad Episcopos Numidas declarat (4): *Accepta*, inquit, *epistola sapientiae et gravitatis vestrae, comperi haereticos sive schismaticos eam basilicam Ecclesiae Catholicae, quam in Constantina civitate jusseram fabbricari, solita improbitate invadendam putasse, et frequenter tam a nobis, quam a judicibus nostris ex nostra jussione commonitos et reddere quod suum non erat, noluisse; vos tamen imitatores patientiae Dei summi, eorum malitiae placida mente ea, quae vestra sunt, relinquentes, et potius locum vobis invicem alium fiscalem scilicet poscere. quam petitionem more instituti mei libenter amplexus sum, et statim ad Rationalem competentes litteras dedi, ut domum bonorum nostrorum transgredi faciat, cum omni jure suo, ad dominium Ecclesiae Catholicae, quam prompta liberalitate donavi, ac vobis tradi protinus jussi. in quo tamen loco sumptu fiscali Basilicam erigi praecepi. ad consularem quoque scribi mandavi Numidiae, ut ipse in ejusdem Ecclesiae fabricatione in omnibus sanctimoniam vestram juvaret.* porro eandem urbem et Martyres illustrarant Agapius et Secundinus Episcopi, Aemilianus miles, Tertulla et Antonia Deo devotae virgines, mulier praeterea cum geminis pueris: quos omnes sub Valeriano Aug. lauream meritos Ecclesia Romana in Martyrologio suo memorat III. kal. Majas. fama demum eidem urbi parta Cirtensi Concilio, cujus Acta Augustinus ab interitu vindicavit (5).

(1) *lib. XVII. p.* 572. v. et. *Petrarch. Africae lib. V. v.* 1.
(2) Dio *lib.* 43. *init.*
(3) Aur. Vict. *in Constant.*
(4) apud Pin. *in Opt. post. gesta Purgat. Felic. Aptung. p.* 189.
(5) *contra Cresc. lib. III. c.* 27.

CRESCENS. Cypriani Concilio Carthagine hic adfuit anno CCLV. sententiamque octavo loco dixit, quum de Baptismo haereticorum actum est (6).

PAVLLVS. praeerat hic Ecclesiae Cirtensi, quum promulgata per orbem Romanum fuere edicta Diocletiani adversus Christianos. porro XIII. kal. Iun. anni CCCIII. ut in Actis purgationis Caeciliani legimus (7), fides ejus in discrimen adducta est; nam venit ad eum Munatius Felix Flamen perpetuus, Curator Coloniae Cirtensium, et *Proferte*, inquit, *Scripturas legis, et si quid aliud hic habetis, ut praecepto et jussioni parere possitis.* cui Paullus, *Scripturas*, inquit, *Lectores habent, sed nos quod hic habemus, damus.* proditumque tum est quidquid supellectilis Ecclesia habebat, *Calices duo aurei, item Calices sex argentei, urceola sex argentea* et reliquum instrumentum: deinde et sacra volumina, quae apud Lectores erant, impie hostibus tradita. post tantum scelus non diu vixisse Paullum, constat. nam anno CCCV. in Concilio Cirtensi, cui praefuit Secundus Tigisitanus, de successore designando actum est.

SILVANVS. fuerat hic Paulli Hypodiaconus, et in nefaria illa rerum sacrarum proditione praecipuus administer (8). eundem tamen Secundus Tigisitanus in Concilio Cirtensi Episcopum ordinavit (9), anno CCCV. in ipso schismatis Donatistarum exordio (10), quorum primus Cirtae Episcopus fuit: repugnante populo, qui clamaverat, *Civem nostrum volumus*, id est Donatum, uti leges in Gestis apud Zenophilum.

ZEVZIVS. hic Cirtensibus praeerat anno CCCXXX. quum ad eum Constantinus Aug. et ad decem collegas ejus litteras misit officii plenas, quibus novam Cirtae Basilicam suis sumptibus se aedificaturum pollicebatur, laudabatque consilium eorum, quod aliam Basilicam non repeterent, quam eis Donatistae per vim ademerant.

GENEROSVS. hunc ex Augustini ad eum litteris novimus (11), quae scriptae fuere ante annum CCCC. ut collegarum quoque nomine adversus Donatistas confirmaret, et Presbyteri ex ea secta epistolam refelleret, qui se ab Angelo admonitum jactabat, ut Generosum ad Donatistarum partes traduceret.

PROFVTVRVS. hujus quoque nomen Augustino debemus. in libro enim de unico Baptismo contra Petilianum Cirtensem Donatistarum Episcopum haec habet (12): *Proinde si Profuturus ante paucissimos annos defunctus, et Fortunatus, qui in corpore adhuc est, atque illi successit Episcopo, quo modo Manichaei fuerunt, sic fuerunt et illi traditores, quos longe a nostris temporibus ignotissimos accusare non cessant, etiam illorum nobis pura ab istorum probris vita notissima est.* eum librum scripsisse Augustinus putatur circa annum CCCCX. itaque proximus Generoso successisse

(6) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 163.
(7) apud Pin. *ibid. p.* 168.
(8) *in Act. Purgat. Caec. ibid.*
(9) Aug. *epist.* 53. *n.* 4.
(10) id. *contra litt. Petil. lib. III. c.* 58.
(11) *epist.* 53.
(12) *c. XVI. n.* 30.

Profuturus dicendus est. ceterum et hunc et qui sequitur Fortunatum antiquiores facit Norisius (13), quod Fortunatus in Collatione Carthaginiensi Possidium, qui Megalio Calamensi proximus successit an. CCCLXXXXVIII. aut sequenti, ordine praecedat, atque adeo ante ipsum Pontificatum cepisse videatur. at quid prohibet dicere, receptum morem idcirco tunc in ciendis Episcopis servatum non esse, quod tributae Fortunato partes praecedendi jus darent, et priore loco fari eum juberent?

FORTVNATVS. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua et partes Catholicorum egit, unus e septemviris, quibus ea cura mandata est: itaque subscriptio ejus fuit (14), *Fortunatus Episcopus Ecclesiae Constantiniensis Carthagini constitutus, praesente V. C. Tribuno et Notario Marcellino, hoc Mandatum suscepi et subscripsi.* hac vero recitata, adjecit, *E diverso habeo Petilianum:* qui et ipse a Donatistis designatus fuerat, ut contra Catholicos disceptaret. atque hic idem est, cujus scripta Augustinus refutavit. anno CCCCXVI. superstes etiamtum erat Fortunatus: cujus sane nomen legimus in epistola Concilii Milevitani eo anno coacti, quae ad Innocentium Pontificem maximum missa fuit (15).

HONORATVS ANTONINVS. florebat hic saeculo V. quum jam Africa in Genserici potestatem redacta esset: de quo Gennadius (16): *Honoratus Constantinae Africae civitatis Episcopus scripsit ad Arcadium quemdam, qui pro confessione fidei Catholicae in partibus Africae a Genserico Rege missus exulabat, Epistolam ad labores pro Christo ferendos hortatoriam, et exemplis praesentibus et Scripturarum relationibus roboratam; et quod confessionis fidei perseverantia non solum praeterita purget peccata, sed et meritum procuret martyrii.* hanc epistolam post alios edidit ex optimo codice Ruinartius (17), qui et geminum hujus Episcopi nomen adseruit. initium est *Perge fidelis anima, perge, et Confessor unitatis gaude, quia pro nomine Iesu pati meruisti contumeliam.*

VICTOR. est hic ordine octogesimus tertius inter Episcopos Numidiae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIII. Carthaginem accitos cum reliquis totius Africae Episcopis relegavit. peregre defunctum nota mortis ostendit. non est autem dissimulandum, in Notitia scriptum esse *Circensis:* mendosam tamen ejusmodi lectionem prope omnes, qui Notitiam ediderunt, habuisse videntur; nam *Cirtensis* reposuerunt. nec sane usquam Episcopus Cirtensis sive Constantiniensis in Notitia se offert, ac *Circensis* Episcopatus adhuc ignotus est.

Demum post annos mille et quinquaginta octo novus exsistit Cirtae sive Constantinae Episcopus ornamentarius: is fuit

IOANNES Iubeus ex familia Franciscana anno M.DXXXXII. a Paullo III. P. M. designatus, quem sibi adjutorem adscivit Antistes Barcinonensium (18).

(13) *Hist. Pel. lib. II. c. 8.*
(14) *Cognit. I. n. 138.*
(15) apud Hard. *Conc. T. I. p. 1221.*
(16) *de vir. illustr. c. 95.*
(17) *Hist. Pers. Vand. P. II. c. 4.*
(18) *Ann. Min. T. XVIII. p. 53.*

CLXXXV.

CIVMTVTVRBII

Holstenius legit *Ciumtuburbo* et vocabulum *corruptissimum* appellat. *puto*, inquit, *distinguendum* CIV. M. TVBVRBO. eundem sequutus Ruinartius (1) ea sic legebat, *Civitatis majoris* aut *minoris Tuburbii*. erant enim in Africa Tuburbitani majores et minores. sed illud M. ambiguum quis probet? deinde exemplaria Concilii Lateranensis, unde nomen urbis habemus, referunt *Ciumtuturbo*. nec vero caussa est, cur numerum Episcopatuum in provincia Proconsulari imminuamus, quos Genserici aevo centum sexaginta quatuor fuisse, scripsit Victor Vitensis (2): et ubi post Vandalorum clades et multarum urbium excidia alios aliis in locis revixisse, credibile est. si autem dividendae nominis litterae sunt, legas velim, *Civilis Municipii Tuturbii*. sic enim et in veteri inscriptione occurrit *Municipi Civilis Agbiensium* (3), quod in eadem provincia erat.

GERMANVS. subscripsit hic anno DCXXXXVI. epistolae Concilii Proconsularis, quae missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (4).

(1) *in adnot. ad Not. Procos. n.* 52.
(2) *Hist. Pers. Vand. lib. I. c.* 9.
(3) Maff. *Mus. Ver. p.* 458. *n.* 7.
(4) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 750.

CLXXXVI.

CLYPIENSIS

Oppidum liberum *Clupeam* appellat Plinius (1) in promontorio Mercurii, vel potius post promontorium, ut Strabo docet (2), in colle sitam, et a clypei similitudine appellatam, unde Graeci Ἀσπίδα nominabant. eam Agathocles Siciliae tyrannus aedificasse ferebatur, quo tempore classem duxit adversus Carthaginienses. primam hanc ex Africanis urbibus in Romanorum potestatem venisse, auctor est post Polybium Florus (3): *Prima*, inquit, *belli praemium fuit civitas Clypea: prima enim a Punico littore quasi arx et specula procurrit.* de ea passim scriptores rerum Romanarum meminere.

LAODICIVS. occurrit inter Catholicos Episcopos, qui anno CCCCXI. Carthaginem convenere ad Collationem cum Donatistis. quum subscriptio ejus recitata esset, adjecit (4), *E parte adversa est Geminius.* atque hic postea citatus accessit, ac *Mandavi*, inquit (5), *et subscripsi.*

AVRELIVS. est hic ordine tricesimus octavus in albo Episcoporum provinciae Proconsularis, qui edicto Regis Hunerici evocati, an. CCCCLXXXIIII. Carthaginem convenerunt, ac se cum reliquis Episcopis Catholicos professi, irrogatam exsilii poenam praeclara constantia subierunt. Aurelium autem in Corsicam deportatum fuisse, adjecta nota declarat.

(1) *H. N. lib. V. c.* 4.
(2) *lib. XVII. p.* 573.
(3) *Epit. rer. Rom. lib. II. c.* 2.
(4) *Cognit. I. n.* 133.
(5) *ibid. n.* 198.

CRESCENS. subscripsit hic anno DXXV. Actis Concilii Carthaginiensis (6), quod Bonifacius sub Rege Hilderico convocavit.

STEPHANVS. nomen hujus legimus inter subscriptiones synodicae epistolae (7), quam Patres Concilii Proconsularis anno DCXXXXVI. scripsere ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum contra Monotheletas.

(6) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082. (7) *ibid. T. III. p.* 732.

CLXXXVII. COLVMPNATENSIS

Oppidum non ignobile provinciae Mauretaniae *Columnae* fuere: quippe in Notitia Imperii Occidentalis, ubi de ordinum ductoribus agitur, qui erant *sub dispositione viri spectabilis Ducis et Praesidis provinciae Mauretaniae Caesariensis*, primus cietur *Praepositus limitis Columnatensis* (1). atque *Hic limes*, inquit Pancirolius, *quum latius se extenderet, alium sub Comite Africae Praepositum habuit.* in Notitia autem civitatum Africae scriptum est *Columpnatensis*, ut in aliis codicibus *Colupna* et *Columpna*, scribarum arbitrio, quorum utique raro aures teretes et intelligens judicium fuit.

MARTIALIS. hunc ordine duodecimum Notitia recenset inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem usque profecti ad conventum omnium Episcoporum, quem Rex Hunericus indixerat, subinde cum reliquis in exsilium pulsi sunt.

(1) *p.* 163. *edit. Lugdun.*

CLXXXVIII. CORNICVLANENSIS

In Mauretania Caesariensi fuisse *Cornicul anum*, ex Notitia discimus: nomen autem a militia ductum videtur, id est a *Corniculariis* sive *Corniculis*, qui in legione Proconsulibus, Praefectis Praetorio, item Tribunis apparebant, ut veteres inscriptiones ostendunt.

SYRVS. quartus hic est in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum accitos, cum reliquis Episcopis relegavit.

CLXXXVIIII. COVIENSIS

Variat oppidi nomen apud veteres: nam quod Notitia *Covam* appellare videtur, Ptolemaeo est *Chobat*, et in Antonini Itinerario *Coba Municipium*, inter Saldas et Igilgilim, quae Coloniae erant Mauretaniae Sitifensis. ceterum B et V versa vice passim usurpata esse, nemo ignorat.

MAXIMVS. occurrit hic tertius inter Episcopos Mauretaniae Sitifensis, qui anno CCCCLXXXIIII. cum ceteris, quos Notitia exhibet, Carthagine, quo eos Rex Hunericus vocaverat, in exsilium ejectus est.

CLXXXX.

CREPEDVLENSIS

Oppidum, opinor, maritimum *Crepedula* fuit, a *Crepidine* nominatum, quod in littore scopulis impositum suspensumque emineret. ad provinciam Byzacenam pertinuisse, Notitia ostendit: at nulla loci fama, nec apud Geographos veteres mentionem fieri inveni.

BARBARIANVS. interfuit hic Collationi Carthaginiensi an. CCCCXI. et subscriptione ejus recitata, testimonium de Ecclesia sua dixit (1), *Catholica est tantum:* quod et Valentinianus Primiani Diaconus confirmavit, adjiciens, *Non habemus:* Episcopum scilicet Donatistam Crepedulae non esse confessus.

FELIX. quadragesimus hic est inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus cum reliquis anno CCCCLXXXIIII. relegavit, postquam omnes Carthaginem vocatos, in Catholica professione constantes frustra labefactare conatus fuerat.

SPES. subscripsit hic epistolae sancti Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium (2) adversus errores Monotheletarum.

(1) *Cognit. I. n.* 133. (2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 740.

CLXXXXI.

CRESIMENSIS

Hoc nomine nihil obscurius: ac mendosa fortasse lectio in exemplari illo unico Collationis Carthaginiensis, in quo tantum legimus. nec affine vocabulum in magna illa nominum varietate reperio, quae apud Afros maxima fuit.

DONATVS. adfuit hic Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. inter Donatistas, ac citatus, quum dixisset, *Mandavi et subscripsi*, de Ecclesia sua adjecit, *Adversarium non habeo* (1).

(1) *Cognit. I. n.* 187.

CLXXXXII.

CVBDENSIS

Cubdam in provincia Proconsulari fuisse, constat: sed quale oppidum et quibus finitimum fuerit, ignoramus.

THOMAS. interfuit hic cum Catholicis Episcopis Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. et subscriptione ejus recitata, ait (1) *E contra neminem habemus.*

GENTILIS. nomen hujus legimus inter Patres Concilii Proconsularis, qui anno DCXXXXVI. Paullum Patriarcham Constantinopolitanum Monotheletis studentem, praeclara ad eum missa epistola (2), ad bonam frugem revocare conati sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 133. (2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 749.

CLXXXXII.

CVFRVTENSIS

In provincia Byzacena fuisse *Cufrutam* Notitia indicat. vestigium alibi de ea nullum occurrit.

FELICIANVS. hunc a provinciae Byzacenae Episcopis ad Concilium Carthaginiense anni CCCCII. legatum fuisse, Codex Canonum Ecclesiae Africanae testatur (1). eundem anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi adfuisse, ex Actis patet. atque in hac citatus (2), *Praesto sum*, inquit, *Episcopum alium non habeo.* habuerat tamen; nam ad haec Primianus ait: *Ille, qui fuit, damnatus est a nobis et ab illis, quum scirent illum reum; et ipsi confirmaverunt: adhuc alter non est ordinatus.*

HELIODORVS. sexagesimus secundus hic est in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, quos Notitia cum reliquis enumerat, qui simul omnes anno CCCCLXXXIIII. a Rege Hunerico acciti Carthaginem, exsilio subinde affecti sunt.

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 911. (2) *Cognit. I. n.* 128.

CLXXXXIII.

CVICVLITANVS

Cuiculos in Numidia fuisse, praeter Notitiam, Itinerarium Antonini nos docet, in quo cientur inter Idicram et Sitifim.

PVDENTIANVS. interfuit hic anno CCLV. Carthaginiensi Concilio, quod Cyprianus tertium de Baptismo celebravit, sententiamque septuagesimo primo loco dixit. in ea autem se recens creatum significat. *Novitas*, inquit (1), *Episcopatus effecit, fratres carissimi, ut sustinerem, quid majores judicarent.*

ELPIDEPHORVS. sententiam hic dixit in Concilio Carthaginiensi sub Grato, quod coactum est anno CCCXXXXVIII. et auctor Canonis (2) fuit, *Vt Clerici, qui superbi vel contumaces sunt, coerceantur: qui minores majoribus irrogaverunt injurias, ut metum habeant disciplinae.*

CRESCONIVS. profectum hunc apparet ad Collationem Carthaginiensem anno CCCCXI. in qua citatus (3) respondit, *Praesto sum. habui contra me Episcopum; exivit de corpore.*

VICTOR. hunc Notitia decimum numerat inter Episcopos Numidiae, qui ad communem conventum anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem profecti, ab Rege Hunerico cum reliquis Africae Episcopis in exsilium pulsi sunt.

CRESCENS. Constantinopolim hic petiit, et Concilio V. Oecumenico interfuit anno DLIII. subscriptio ejus fuit (4), *Crescens misericordia Dei Episcopus sanctae Ecclesiae Catholicae Cuiculitanae, provinciae Numidiae, similiter.*

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 175.
(2) *ibid. p.* 687.
(3) *Cognit. I. n.* 121.
(4) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 204.

CLXXXXV.

CVLCITANENSIS

Oppidum *Culcitanense*, quod et *Culsitanum* atque *Culusitanum* quandoque appellatur, in provincia Proconsulari erat. praecipua ei laus a Martyribus parta, qui sub Rege Hunerico Catholicae religionis retinendae caussa magnas animas profuderunt. *In civitate vero Culusitana*, inquit Victor Vitensis (1), *non valeo quae gesta sunt nuntiare, quia et ipsam quantitatem Martyrum vel etiam Confessorum impossibile est homini supputare*. deinde Martyrium perstringit Victoriae matronae, quae mariti etiam preces et liberorum lacrimas invicta contempserat.

NICASIVS. sententiam hic sexto loco in Concilio Carthaginiensi, quod Gratus convocavit anno CCCXXXXVIII. adversus Clericos dixit (2), *Vt qui serviunt Deo et adnexi sunt Clero, non accedant ad actus seu administrationem vel procurationem domorum*.

VINCENTIVS. hujus mentio fit a Paullino in vita s. Ambrosii (3); saepius autem in Collatione Carthaginiensi, in qua anno CCCCXI. ex Episcoporum omnium Mandato partes Catholicorum egit: ejus subscriptio fuit hujusmodi (4): *Vincentius Episcopus Ecclesiae Culusitanae Carthagini constitutus, praesente V. C. Tribuno et Notario Marcellino hoc Mandatum suscepi et subscripsi*. adjecitque ipse, postquam recitata est, *Catholica est*. eundem cum Fortunatiano Siccensi Patres Concilii Carthaginiensis anno CCCCVII. ad Augustos legaverant (5). idem demum anno CCCCXVIII. Concilio Carthaginiensi interfuit gemino (6) jam senior, et primus, post Aurelium Episcopum almae urbis, inter Episcopos provinciae suae.

AEMILIANVS. hunc Notitia tricesimum tertium recenset inter Episcopos provinciae Proconsularis, qui anno CCCCLXXXIIII. a Rege Hunerico Carthaginem convocati, deinde exsilio cum reliquis, qui eo convenerant, affecti sunt. fuit autem Aemilianus ex iis, qui in Corsicam deportati fuere.

MARCIANVS. nomen hujus legimus in subscriptionibus Concilii Carthaginiensis, quod Bonifacius coegit anno DXXV. (7) tum in epistola ejusdem Bonifacii missa ad Episcopos *per tractum Proconsularis provinciae* (8).

PETRVS. hic subscripsit epistolae sancti Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa fuit ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (9).

(1) *Hist. Pers. Vand. lib. v. c.* 3.
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 686.
(3) *n.* 54.
(4) *Cognit. I. n.* 138.
(5) apud Hard. *ibid. p.* 919.
(6) *ibid. T. I. p.* 1249.
(7) *ibid. T. II p.* 1082.
(8) *ibid. p.* 1075.
(9) *ibid. T. III. p.* 750.

CLXXXXVI. **CVLLITANVS**

Numidiae oppidum, magnum a Strabone vocatum (1), erat *Collops*, quod et *Cullu* appellatum, in Itinerario Antonini *Municipium Chulli* dicitur. meminit et Plinius, qui oppidum tantum nuncupat (2). Solinus (3) secundum dignitate post Cirtam in Numidia facit. *Vrbes*, inquit, *in ea quamplurimae nobilesque, sed Cirta eminet, dein Chulli purpurario fuco Tyriis velleribus comparatae.*

AVRELIVS. Cypriani Concilio hic interfuit, quod ille tertium de Baptismo celebravit anno CCLV. ac sententiam octogesimus primus dixit (4).

VICTOR. Carthaginem hic se contulit anno CCCCXI. Collationis caussa, in eaque citatus, *Praesto sum*, inquit (5). aderat autem et adversarius ejus Fidentius Donatista, qui ait, *Agnosco illum:* ac deinde vocatus, se *mandasse ac* subscripsisse professus est (6).

(1) *lib. xvII. p.* 570.
(2) *H. N. lib. v. c.* 3.
(3) *Polyhist. c.* 26.
(4) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 178.
(5) *Cognit. I. n.* 126.
(6) *ibid. n.* 201.

CLXXXXVII. **CVLVLITANVS**

Oppidum *Cululis* in provincia Byzacena erat, quod, praeter Notitiam, indicat Procopius (1), qui illud a Iustiniano Aug. adversus Mauros communitum tradit, et inter urbes illius provinciae mediterraneas recenset.

CONCORDIVS. est hic quinquagesimus sextus in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. cum reliquis Episcopis Carthaginem accitos relegavit.

(1) *de aedif. Iust. lib. vI. c.* 5.

CLXXXXVIII. **CVRBITANVS**

Nobile oppidum provinciae Proconsularis fuit *Curubis*, liberum a Plinio appellatum, inter Neapolim et Hermaeum (1). in veteri inscriptione Colonia etiam dicitur (2): COL. FVL. CVRVBIS, id est *Colonia Fulminatrix*, ut ego quidem legendum puto, cognomine a legione accepto, quam illuc M. Aurelius Aug. deducendam curaverit: quod Plinius superioris aevi scriptor indicare non potuit. ipsi cives *Curubitani* saepius apud probatos scriptores, quam *Curbitani* appellantur: ut etiam ab Augustino, qui popularem Curubitanum duplici morbo aegrum, quum baptizaretur, repente sanum repertum esse scribit (3). hanc porro urbem posteris memorabilem reddidit annuum Cypriani Martyris exsilium. huc enim eum relegarat Aspasius Paternus Proconsul, quemadmodum in Martyrii ejus Actis et apud Pontium Diaconum legimus.

(1) *H. N. lib. v. c.* 4.
(2) apud Maff. *Mus. Ver. p.* 463. *n.* 3.
(3) *de Civ. Dei lib. xxII. c.* 8. *n.* 5.

VICTOR. erat hic e grege Donatistarum, atque hos inter anno ccccxI. in Collatione Carthaginiensi citatus processit, ac *Mandavi*, inquit (4), *et subscripsi*. Catholicus autem Curubi Episcopus tum fuisse non videtur.

FELIX. est hic ordine tricesimus sextus inter Episcopos provinciae Proconsularis, quos Notitia cum ceteris exhibet, qui an. ccccLxxxIIII. jussu Regis Hunerici Carthaginem adiere, atque inde in exsilium ejecti sunt. Felicem ex iis fuisse, qui in insulam Corsicam deportati fuere, adjecta nota declarat.

PEREGRINVS. interfuit hic anno DXXV. Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius coegit, Rege Hilderico regnante, subscripsitque (5) primus post legatos provinciarum.

BENENATVS. hujus nomen legimus paenultimo loco in subscriptionibus epistolae, quam Patres Concilii Proconsularis anno DCXXXXVI. miserunt ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum (6), ut a Monotheletarum, quibus favebat, haeresi revocarent.

(4) *Cognit. I. n.* 198. (5) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1081. (6) *ibid. T. III. p.* 752.

CLXXXXVIIII. DECORIANENSIS

Oppidum *Decoriana* in provincia Byzacena erat: quod ex Notitia et ex Concilio Lateranensi manifestum est. sed de eo silent Geographi.

LEONTIVS. est hic ordine duodecimus inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno ccccLxxxIIII. Carthaginem, quo Rex Hunericus omnes Africae Episcopos edicto acciverat, profecti, in exsilium cum reliquis ob Catholicam professionem pulsi sunt.

PASCHASIVS. subscripsit hic epistolae, quam anno DCXXXXI. universi Episcopi Concilii Byzaceni miserunt ad Constantinum Aug. Heraclii filium, ut ad coercendos Monotheletas incitarent (1). ceterum pro *Decorianensis* in Concilii Lateranensis exemplaribus legitur *Decorianensis*.

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 739.

CC. DIANENSIS

Numidiae oppidum *Diana* inter Lambesem et Novam Petram, ut Antonini Itinerarium demonstrat: neque id ignobile; nam ordinem Decurionum habebat, et Augustorum etiam munificentiam aliquando expertum fuerat. exstat adhuc fornix, quem *Dianenses ex Decreto Decurionum pecunia publica* posuerunt *Imp. Caes. Severo Pio Felici Aug. Pont. Max. Tri. Pot. Providentissimo et Sanctissimo Principi, et Antonino Nobilissimo Caesari Principi Iuventutis* (1).

(1) Maff. *Mus. Ver. p.* 453. *n.* 1.

FIDENTIVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi inter Donatistas, citatusque ait (1), *Mandavi et subscripsi.* de Catholico Dianensium Episcopo nulla fit mentio.

(1) *Cognit. I. n.* 198.

CCI.

DICENSIS

Ignotum oppidum *Dice*, nisi quod ad provinciam Byzacenam pertinuisse constat, et *Tices* aliud oppidum ejusdem provinciae fuisse scimus, quum utriusque loci Episcopi ad idem Concilium convenerint.

CANDIDVS. subscripsit hic inter primores epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa fuit ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletarum errores (1). subscriptio autem fuit hujusmodi: *Candidus gratia Dei Episcopus sanctae Ecclesiae patriae Dicensis ut supra.* eadem formula in antiquis codicibus Victor Vitensis appellatur Episcopus *patriae Vitensis:* ea porro indicari putabat Ruinartius (2), Victorem praefuisse, non oppido, sed pago sive, vicis aliquot ejusdem tractus, qui *Patria Vitensis* diceretur.

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 739.
(2) *in praef. ad Pers. Vand. n.* 5.

CCII.

DIONYSIANENSIS

Provinciae Byzacenae oppidum erat *Dionysiana*, et ab antiquis temporibus Christianum. sed de eo Geographi veteres nihil tradidere.

POMPONIVS. quadragesimus octavus hic est inter Patres Concilii Carthaginiensis, quod Cyprianus tertium de Baptismo celebravit anno CCLV. (1) in editis exemplaribus appellatur *Confessor*, ut nonnulli alii ex Episcopis, qui tum convenerunt, quemadmodum et quidam Martyres dicuntur. ceterum hujusmodi apposita a manu recentiore sunt, quum Augustinus, qui totum illud Concilium et singulorum Episcoporum sententias refutavit (2), nomina cujusque et verba referat, titulos illos nunquam enunciet. additos a Donatista aliquo credibile est, quo major ejus Concilii auctoritas videretur, quod Catholica Ecclesia respuebat, Donatistae amplexabantur. porro idem ille esse Pomponius putatur, qui Cyprianum de virginibus synisactis consuluit, egregiamque ab eo epistolam accepit, quae LXII. est epistolarum Cypriani.

FORTVNATVS. subscripsit hic epistolae Concilii Cabarsussitani, quod Maximianistae habuere an. CCCLXXXXIII. contra Primianum (3).

VICTOR. Carthaginem hic se contulit anno CCCCXI. ut Collationi Carthaginiensi cum Donatistis suis interesset. sed morbo implicitus abfuit, quum citatus est (4): itaque Primianus excusationem legitimam afferens,

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 171.
(2) *de Bapt. contra Donat. lib. V.*
(3) Aug. *in Ps. XXXVI. Serm. II. n.* 20.
(4) *Cognit. I. n.* 198.

Aegrotat, inquit. nec vero de Catholico Dionysianensium Episcopo illata mentio est.

Anno CCCCLXXXIIII. quo Rex Hunericus omnes Africae Episcopos Carthaginem evocavit, Ecclesia Dionysianensis Episcopum amiserat; itaque Dionysiana in Notitia cietur inter oppida, quae tum Episcopos non habebant: quae in provincia Byzacena sex fuere.

CCIII. DRVENSIS

Episcopatum hunc provinciae Byzacenae adscriptum ab Harduino reperio: sed cujus ille auctoritatem sequutus id fecerit, plane ignoro. vicum ignobilem fuisse, pro certo habeo, quod nullum apud Geographos vestigium ejus sit, quodque Donatistam tantum Episcopum habuerit, quales multi in agris ad factionem augendam, ut jam monuimus, constituti sunt, quo tempore illa nefarii schismatis natio plurimum poterat.

ANTONIANVS. Collationi Carthaginiensi inter Donatistas hic interfuit anno CCCCXI. ac citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi.* nec de adversario Catholico quidquam adjecit.

(1) *Cognit. I. n.* 197.

CCIIII. DRVSILLIANENSIS

Provinciae Proconsulari Drusilianum adtribuunt Harduinus et Elias Pinius: nam et Tabula Peutingeri eandem memorat post Taciam Montanam, quam in eadem provincia fuisse constat. villam Drusorum aut Drusillae Germanici filiae credere possis: multa enim in Africa praedia Romani habuere.

RVFINVS. interfuit hic cum Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in eaque citatus se *praesto esse* respondit. aderat autem et adversarius ejus Restitutus Donatista, qui ait (1) *Agnosco illum:* ac subinde vocatus (2), *Mandavi*, inquit, *et subscripsi.*

(1) *Cognit. I. n.* 121. (2) *ibid. n.* 187.

CCV. DVASSENEMSALITANVS

Nomen oppidi fuisse videtur *Duae Senempsalae:* nam aliud erat in eadem provincia, Proconsulari nempe, quod *Senempsalae* appellabatur. quamquam nulla utriusque oppidi fama est, nomenque ipsum Geographis indictum.

MANNVCIVS. est hic ordine decimus sextus inter Episcopos provinciae Proconsularis, quos Notitia cum reliquis recenset, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem, edicto Regis Hunerici evocati, petierunt, atque inde in exsilium acti sunt.

IVLIANVS. adfuit hic Carthaginiensi Concilio an. DCXXXXVI. et epistolae subscripsit, quam Patres misere ad Paullum Patriarcham Constantino-

politanum, ut a Monotheletis fovendis deterrerent. subscriptio ejus fuit hujusmodi (1): *Iulianus gratia Dei Episcopus sanctae Ecclesiae duarum Senepsalitanarum, ut supra.*

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 750.

ccvI. **DVRENSIS**

Atlantem Poeni *Durim* appellabant (1): inde oppido fortasse nomen impositum, quod ab incolis ejus montis conditum esset quam longissime: in provincia enim Byzacena *Duris* fuit, ut Nōtitia declarat. de eo nihil a Geographis traditum.

QVODVVLTDEVS. est hic ordine sexagesimus primus inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem Episcoporum conventum profecti, simul cum reliquis ob Catholicam professionem a Rege Hunerico in exsilium pulsi sunt. fuit autem Quodvultdeus ex eorum numero, qui in ipso exsilio mortui, Ecclesiam suam non revisere: quod adjecta nomini mortis nota declarat.

(1) Bochart. *Geogr. Chan. lib. I. c.* 13.

ccvII. **DVSENSIS**

Vbi *Dusa* fuerit, non reperio: et nomen ipsum apud Geographos inauditum. neque ego in Tingitania statuam, quod illic *Duus* esset, fluvius a Ptolemaeo memoratus: sed ignobilem vicum putaverim, ex iis nempe, quibus Donatistae, ut numero cum Catholicis contendere possent, Episcopos imposuerunt.

BEBIANVS. adfuit hic anno CCCCXI. cum Donatistis suis Collationi Carthaginiensi, in qua citatus processit, et *Mandavi,* inquit (1), *et subscripsi.* nec ex adverso Episcopus Catholicus apparuit.

(1) *Cognit. I. n.* 198.

ccvIII. **EDISTIANENSIS**

Esto Harduinus *Edistianam* Numidiae adscribat, incertum adhuc puto, quam ad provinciam pertineret. quamquam indidem fuisse suspicari quis possit, quod Donatistam tantum haberet Episcopum. in Numidia enim potissimum secta illa dominabatur: quodque Episcopus ejus inter binos Numidicos citatus fuerit.

MIGGIN. aderat hic Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. in qua vocatus accessit et ait (1), *Mandavi et subscripsi,* cum Donatistis scilicet, e quorum grege erat.

(1) *Cognit. I. n.* 198.

CCVIIII. EGVGENSIS

Illud quidem compertum, *Egugem* ad provinciam Proconsularem pertinuisse; sed quale oppidum esset, quorum fines attingeret, omnino ignoramus.

FLORENTIVS. subscripsit hic inter seniores epistolae sancti Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa fuit ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum Monotheletis studentem (1): cujus exemplum in Concilio Lateranensi Martini I. Pont. max. prolatum est.

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 749.

CCX. ELFANTARIENSIS

Erat *Elfantaria*, quae et *Elephantaria*, in Mauretania Caesariensi, quemadmodum Notitia indicat: quamquam Geographi veteres non memorarunt.

MIGGINVS. fuit hic Maximianista atque unus e duodecim Maximiani Ordinatoribus, qui anno CCCLXXXXIII. in Concilio Cabarsussitano damnavit Primianum (1), et anno insequenti ipse in Bagaitano Concilio damnatus est (2). *Miggenem* quandoque appellatum reperias apud Augustinum.

VASSINVS. hunc ordine nonagesimum sextum reperias in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, qui Regis Hunerici edicto, an. CCCCLXXXIIII. ad communem Episcoporum conventum Carthaginem acciti, deinde cum reliquis exsilio affecti sunt. peregre autem defunctum Vassinum nota mortis apposita ostendit.

(1) Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20. (2) idem *contra Cresc. lib. III. c.* 4.

CCXI. ELIENSIS

Nomen oppido fuisse videtur *Elie:* sic enim in codice Regio Itinerarii Antonini scriptum invenit Surita, quamquam vulgata exemplaria habent *Elices*, et Tabula Peutingeri *Aeliae.* certe in Collatione Carthaginiensi scriptum est *plebis Eliensis*, et in Concilio Lateranensi cum adspiratione *Ecclesiae Heliensis.* erat autem, ut Notitia nos edocet, in provincia Byzacena, atque inter Germanicianam et Tusdrum, ut in Itinerario demonstratur.

FVSCINVLLVS. adfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in eaque citatus (1), *Praesto sum*, inquit, *non contra me habeo* Episcopum.

DONATIANVS. est hic ordine centesimus primus inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos Notitia cum reliquis exhibet, qui a Rege Hunerico Carthaginem vocati, anno CCCCLXXXIIII. omnes exsilio affecti sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 126.

CONSTANTINVS. nomen hujus occurrit inter Patres Concilii Byzaceni, qui anno DCXXXXI. scripsere Constantino Aug. Heraclii filio, ut ad haeresim Monotheletarum comprimendam excitarent (2).

(2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 739.

CCXII. EMINENTIANENSIS

Mauretaniae Sitifensis oppidum *Eminentia* erant, ut Notitia indicat. nomen integrum fuisse puto *Saxa Eminentia:* nam regio illa non longe a littore aspera est et montuosa, ut locus inde navigantibus facile conspicuus esse posset.

MARCIANVS. erat hic e grege Donatistarum, petiitque anno CCCCXI. Carthaginem, ut Collationi interesset. sed morbo retardatus pervenire non potuit. itaque quum citaretur (1), responsum a Donatistis est, *In itinere remansit.* et Felix Novasinniensis ait, *Subscripsi pro eo.* locus tamen in unico illo Collationis exemplari vexatus, quem egregie restituit Baluzius.

VICTOR. hunc decimoquarto loco Notitia numerat inter Episcopos Mauretaniae Sitifensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum accitos, cum reliquis in exsilium ejecit.

(1) *Cognit. I. n.* 208.

CCXIII. ENERENSIS

Numidiae adscripsit *Eneram* Harduinus, credo, quod Episcopus ejus in Collatione Carthaginiensi inter Numidicos citatus est. ceterum nulla oppidi fama, et nomen apud Geographos inauditum.

MAXIMINVS. adfuit hic Carthagine anno CCCCXI. et in Collatione quum subscriptio ejus recitata esset, testimonium de Ecclesia sua dixit his verbis (1): *Catholica est, unitatem habeo.* contra quem Donatista Quodvultdeus reposuit: *Habet Episcopum, sed male habet.* sed is fortasse valetudinis excusatione usus recesserat, ne solus inter Catholicos, factione ejus exstincta, versaretur.

(1) *Cognit. I. n.* 133.

CCXIIII. EQVIZOTENSIS

Variat oppidi hujus appellatio: nam sic quidem effertur in Notitia: sed in Collatione Carthaginiensi est *Equizetensis:* in Tabulis Peutingeri *Equeheto.* ceterum pro certo habeo, loci nomen fuisse *Equizetam,* id est stabulum: est enim *Zeta* idem atque *Diaeta.* erat in Mauretania Sitifensi, nec aliud initio fuerat, si nomen spectes, quam diversoria taberna.

VICTOR. erat hic Donatista, nomenque ejus cietur in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. in qua vocatus ait (1), *Mandavi et subscripsi.*

(1) *Cognit. I. n.* 201.

PACATVS. hunc undecimo loco refert Notitia inter Episcopos Mauretaniae Sitifensis, qui anno CCCCLXXXIIII. ad communem Episcoporum conventum se Carthaginem contulerunt, et ob Catholicam professionem a Rege Hunerico relegati sunt simul cum reliquis, quos ille undique acciverat.

CCXV. ERVMMINENSIS

Vicum hunc sive oppidum nusquam reperio, nec quam ad provinciam pertineret, indicare possum. obscura etiam origo nominis: nam *Minensis* quidem Africana licentia a *Minus* esse potest, ut *Leptiminensis*, sed *Erum* quid sit, ignoro.

MAXIMIANVS. subscripsit hic epistolae Concilii Cabarsussitani, quod Maximianistae celebrarunt anno CCCLXXXXIII. ut Primianum Carthaginiensem damnarent (1).

(1) Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n. 20.*

CCXVI. FALLABENSIS

Neglectum a veteribus Geographis oppidum *Fallaba*, quod tamen ex Notitia in Mauretania Caesariensi fuisse discimus. qui verborum notatione delectantur, in colle situm facile putaverint: nam *Falae*, inquit Festus, ab altitudine dictae; unde Scaligero et *Palatium* est.

SALO. est hic ordine vicesimus octavus inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem, quo omnes Episcopos Catholicos evocaverat Rex Hunericus, profecti, inde ab eodem in exsilium cum ceteris pulsi sunt.

CCXVII. FATENSIS

Numidiae oppidum *Fata*, ut Notitia indicat: ejus tamen apud veteres vestigium nullum se offert.

HONORATVS. est hic ordine centesimus septimus in albo Episcoporum Numidiae, qui anno CCCCLXXXIIII. cum reliquis, quos Notitia recenset, Carthaginem petierunt, atque inde in exsilium a Rege Hunerico ejecti, Catholici nominis famam praeclara confessione nobilitarunt.

CCXVIII. FEBIANENSIS

Febianum Notitia provinciae Byzacenae adtribuit. sed de eo veteres silent.

SVCCENSIANVS. sexagesimus nonus hic est inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos anno CCCCLXXXIIII. Rex Hunericus simul cum reliquis totius Africae Episcopis, quos Carthaginem adesse jusserat, uno edicto relegavit.

SALLVSTIVS. subscripsit hic epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletas (1). dicitur hic quidem in subscriptione *Episcopus sanctae Ecclesiae Rebianensis:* sed mendum id Holstenio ac Ruinartio visum pro *Febianensis*, et hunc *Sallustium* esse referendum.

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 740.

CCXVIIII. FLENVCLETENSIS

Qualecumque oppidum fuerit *Flenucletum*, in Mauretania Caesariensi fuisse, ex Notitia discimus: nec aliunde quidquam de eo peti potest.

FELIX. hunc octogesimo quarto loco Notitia numerat inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui Carthaginem ad communem conventum anno CCCCLXXXIIII. profecti, communem cum reliquis exsilii poenam subierunt, quod Arianam haeresin detestarentur. fuit autem Felix ex eorum numero, qui peregre defuncti ad Ecclesias suas non redierunt: notam quippe mortis nomini ejus auctor Notitiae apposuit.

CCXX. FERADIMAIENSIS

In provincia Byzacena, ut Notitia ostendit, erat oppidum *Feradi majus*, quod ab altero appositum distinguebat, quemadmodum et alia quaedam in eadem Africa secernebantur.

VINCENTIANVS. adfuit hic anno CCCCXI. inter Catholicos Collationi Carthaginiensi, et citatus ait (1), *Praesto sum, unitatem habeo.*

AVRELIVS. hunc ordine tricesimum nonum Notitia recenset inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem cum reliquis Africae Episcopis convenere, et Regis Hunerici edicto, qui omnes adesse jusserat, in exsilium ejecti sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 126.

CCXXI. FERADITANAE MINORIS

In provincia Byzacena, in qua *Feradi majus* erat, vix est ambigendum, fuisse etiam *Feradi minus:* nam si hoc alia in provincia fuisset, ab hac potius cognomen imposuissent.

FELICIANVS. hujus subscriptio recitata est in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. postquam idem de Ecclesia sua testatus est (1), *Catholica est*: et Valentinianus Primiani Diaconus adjecit, *Non habemus.*

(1) *Cognit. I. n.* 133.

CCXXII. FESSEITANVS

In Numidia *Fessam* fuisse ex Notitia discimus, procul a regno cognomine barbarorum, qui nunc veteri Tingitaniae incubant. de ea tamen nihil a Geographis traditum reperio.

ADEODATVS. duodecimus hic est in abo Episcoporum Numidiae, qui anno CCCCLXXXIIII. ad Carthaginiensem conventum a Rege Hunerico indictum profecti, exinde cum reliquis Episcopis Catholicis relegati sunt. in exsilio autem exstinctum Adeodatum, adjecta nota declarat.

CCXXII.

FICENSIS

Oppidulum Mauretaniae Sitifensis fuisse, quod *ad Ficum* aut *Ficense* appellabant, praeter Notitiam, et Tabulas Peutingeri, docet nos Itinerarium Antonini, in quo post Satafim petenti Igilgilim hae mansiones intermediae demonstrantur *ad Basilicam, ad Ficum.*

FELIX. profectus hic Carthaginem est anno CCCCXI. ut Collationi inter Catholicos adesset. quum autem serius paullo pervenisset, postquam ceteri Mandato subscripserant, praesto tamen fuit, ac sub finem primae Cognitionis accessit et ait (1), *Mando et consentio.*

ABVS. est hic vicesimus secundus in albo Episcoporum Mauretaniae Sitifensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. ad communem conventum evocatos, cum reliquis relegavit.

(1) *Cognit. I. n.* 215.

CCXXIIII.

FIDOLOMENSIS

Ignotum plane oppidum *Fidoloma*, nisi quod ex Notitia liquet, ad Mauretaniam Caesariensem pertinuisse. nec mirum, nomina ejusmodi tam saepe in Africa occurrere, quae primum Punica fuit, deinde Romana, tum Vandalica, demum Saracenica. nam in tanta rerum conversione partim oppida ipsa deleta sunt, partim nomina eorum mutata: accessit scriptorum imperitia, scribarumque negligentia, unde factum est, ut mendosa ad nos multa pervenerint, quae jam in veterum Geographorum libris recognoscere non possumus.

ONESIMVS. est hic ordine decimus septimus inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem petiere, ut conventum a Rege Hunerico indictum cum reliquis Episcopis Catholicis celebrarent: post quem simul cum aliis relegati in exsilium abierunt.

CCXXV.

FILACENSIS

Nihil de Filacensi oppido a Geographis veteribus traditum accepimus: sed una, quae maxime rem adjuvat, Notitia nos edocet, in provincia Byzacena id fuisse.

BONIFACIVS. septuagesimum nonum hunc numerat Notitia in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. quum essent Carthagine cum ceteris Episcopis, quos Rex Hunericus undique acciverat, simul cum illis exsilio multati sunt.

CCXXVI. **FISSANENSIS**

Inter Numidiae oppida numerandum *Fissanum* putat Harduinus, cui suffragari videntur Numidici Episcopi, qui in Collatione Carthaginiensi ante postque *Fissanensem* citantur. erant autem hi omnes Donatistae, ac sine adversario: quod in illa provincia frequentissimum: quum illic maxime regnum Donatistarum esset.

DONATVS. fuit hic e factione Maximianistarum, et Concilio Cabarsussitano, in quo Primianus Carthaginiensi damnatus est, an. CCCLXXXXIII. interfuit. ceterum in epistola synodica, cui subscripsit (1), *Fiscianensis* appellatur.

TVRRASIVS. adfuit hic anno CCCCXI. inter Donatistas Collationi Carthaginiensi, in qua citatus (2), *Mandavi*, inquit, *et subscripsi.*

(1) Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n. 20.* (2) *Cognit. I. n. 202.*

CCXXVII. **FLORIANENSIS**

Mauretaniae Caesariensis oppidum *Floriam* Notitia facit, idque Ptolemaeus etiam agnoscit (1), cui *Φλωρυια* est.

RESTVTVS. est hic ordine tricesimus secundus in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthagine, quo se ad communem Episcoporum conventum contulerant, simul cum ceteris in exsilium ejecti sunt. *Restitutus* appellatur a Ruinartio, qui tamen in codice Laudunensi scriptum esse fatetur *Restutus.* scribae nempe credebat mendum, quod lepor quidam subrusticus Africanorum fuit. id enim nomen ita contractum non semel exhibent Africana epitaphia Christianorum (2).

(1) *lib. IIII. c. 2.* (2) v. *Anth. Rom. an.* 1776. *n. XVIII. etc.*

CCXXVIII. **FLVMENPISCENSIS**

Sitifensem provinciam, in qua oppidum hujus nominis fuit, non unum flumen interluit. nam Savus, Sisaris, Serbes, Nasabath, Chinaphal tractus illius fluvii sunt. itaque oppidi locum in cujus ripa designari oporteat, nemo facile dixerit.

IANVARIVS. fuit hic e Donatistarum antesignanis, Constantii Aug. et Iuliani temporibus, id est circa annum CCCLX. de eodem Optatus, Donatistas appellans, sic loquitur (1): *Nonne de numero vestro fuerunt Felix Zabensis et Ianuarius Flumenpiscensis et ceteri, qui tota celeritate concurrerunt ad castellum Lemellense: ubi quum contra importunitatem suam viderent Basilicam clausam, praesentes jusserunt comites suos, ut adscenderent culmina, nudarent tecta, jactarent tegulas:* et quae deinceps.

(1) *de Schism. Donat. lib. II. c. 18.*

haec autem contigisse, antequam *Imperator profanus et sacrilegus moreretur*, idem Optatus affirmat.

RESTITVTVS. et hic e grege Donatistarum, quos inter anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit; in qua citatus (2), *Mandavi*, inquit, *et subscripsi.*

VICTOR. hunc ordine vicesimum quintum Notitia recenset inter Episcopos Mauretaniae Sitifensis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem petiere, Regis Hunerici edicto obsequuti, qui omnes undique Episcopos coram adesse jusserat: quique cum ceteris ob Catholicam professionem exsilio affecti sunt.

(2) *Cognit. I. n.* 206.

CCXXVIIII. FLVMENZERITANVS

Oppidum Mauretaniae Caesariensis fuisse *Flumenzerit*, Notitia indicat. nomen fortasse inditum ab oppido Zarath ejusdem provinciae, quod proximum esset.

PAVLLVS. tricesimus hic est inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos anno CCCCLXXXIIII. ad communem conventum accitos Carthaginem, Rex Hunericus simul cum reliquis Episcopis relegavit.

CCXXX. FORMENSIS AD IDICRAM

Gemini in Numidia *Formenses* erant, ut ex Notitia manifestum est: atque e duobus oppidis alterum prope Idricam fuit, quam Itinerarium Antonini inter Milevum et Cuiculos demonstrat. nomen oppido a ductu aquae inditum puto: nam ipse ductus *Forma* dicebatur, quod ex Frontino et legibus veterum plane liquet.

VRBANVS. hunc memorat Optatus (1) cum nequissimis Donatistarum, qui Constantii et Iuliani aevo Catholicos crudelissime vexaverunt. *Quid commemorem*, inquit, *Tipasam Caesariensis Mauretaniae civitatem, ad quam de Numidia Vrbanus Formensis et Felix Idicrensis, duae faculae incensae livoribus cucurrerunt etc.* ac rursum: *Inde revertentes Vrbanus Formensis et Felix Idicrensis invenerunt matres, quas de castimonialibus fecerunt mulieres.* ab hoc nomen habuisse sectam, quae Donatistarum Vrbanensium dicebatur, non est ambigendum: in Numidia enim exortam constat (2).

IVSTVS. hic anno CCCCXI. quum iter Carthaginem haberet, ut Collationi adesset, in morbum incidit (3). itaque Martialis Episcopus Idicrensis pro eo subscripsit. erat autem uterque Donatista, ut plerique eo tempore Episcopi in Numidia; sed maxime vicinitatis caussa eas sibi partes sumpsisse Martialis putandus est.

(1) *de Schism. Donat. lib. II. c.* 18. *et* 19. (3) *Cognit. I. n.* 209.
(2) *Aug. contra Cresc. lib. III. c.* 60. *n.* 73.

PONTICANVS. hunc Notitia centesimum quartum recenset inter Numidicos Episcopos, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem cum ceteris convocatos relegavit. eundem peregre defunctum adjecta mortis nota declarat. porro quum binos Episcopos Formenses Notitia referat, huc pertinere Ponticanum duxi, quod pene proximus Garbensi memoretur, qui in Collatione cum Formensi et Idicrensi jungitur.

CCXXXI. • FORMENSIS MISSORIS

Alterum Numidiae oppidum *Formam* ut distinguam, *Missoris* appello, qui Primas Numidiae fuit: quippe ignotum est quo illam cognomine designarent; in Notitia enim nulla discriminis nota reperitur.

MISSOR qui et *Messor.* est hic ordine centesimus octavus inter Episcopos Numidiae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. simul cum reliquis post conventum Carthaginiensem exsilio affecit. diu autem superstes Missor Ecclesiam revisit suam, et anno DXXV. Primas erat Numidiae, litterasque a Bonifacio Carthaginiensi accepit, quae adhuc exstant (1). Concilio tamen jam gravis annis interesse non potuit. quo pertinent verba Florentiani legati Numidiae Bonifacium adloquentis (2): *Tanta est benevolentiae tuae et tam dulcis hilaritas tamque gravis auctoritas, ut domnum Primatem nostrum, nisi senectutis imbecillitas retardaret, ipse tuis adspectibus meruisset suam praesentiam exhibere.* ejusdem Missoris litterae ad Bonifacium gravissimae in Actis ejus Concilii leguntur (3).

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1072.
(2) apud Hard. *ibid. p.* 1073.
(3) *ibid. p.* 1073. 1074.

CCXXXII. FORONTONIANENSIS

Nomen oppidi fuisse *Forum Antonianum*, vix dubito: nam multa alia nomina in ore Africanorum alia esse coeperant; quae scribae, judicium aurium sequuti, perperam retulerunt. erat autem in provincia Byzacena, ut ex Notitia discimus, ac fortasse illud ipsum oppidum, de quo mentio est in vita Fulgentii (1), quamquam Bollandus legit *Nuntorum*, et Surius *Vintorum:* cujus incolae ipsum Fulgentium sibi Episcopum praeoptaverant, quem Ruspenses postea habuere. at Ortelio ex Halleri codice *Ferontonianense* dicitur; neutra tamen appellatione reliquis Geographis cognitum reperias.

FELIX. est hic sexagesimus octavus inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. Regis Hunerici edicto Carthaginem evocati, cum toto illo Episcoporum conventu in exsilium pulsi sunt.

(1) apud Boll. *Ian. T. I. die.* 1. *c.* 15.

CCXXXIII. FORTIANENSIS

Provinciae Byzacenae oppidum, ut Notitia ostendit, *Fortia* fuit, sive *Foratia* aut *Foria*, uam lectio variat. de eo tamen Geographi silent.

BONIFACIVS. adfuit hic Carthagine anno CCCCLXXXIIII. quo Rex Hunericus conventum omnium Episcoporum indixerat: ac tertius fuit e quatuor Episcopis, qui *Professionem fidei Catholicorum Episcoporum* Regi Hunerico obtulerunt (1). in albo autem exsulum sexagesimus sextus est.

(1) Vict. *Pers. Vand. lib. ul. c.* 23.

CCXXXIIII.

FRONTENSIS

Vicum oppidumve *Frontem* ad Mauretaniam Caesariensem pertinuisse, ex Notitia discimus. veteres scriptores non memorant. nomen, opinor, a Iano aliquo sive fornice antiquo impositum est, quales adhuc in Africa complures visuntur.

DONATVS. est hic ordine quinquagesimus octavus inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui ad communem Episcoporum conventum anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem profecti, in exsilium cum reliquis a Rege Hunerico ejecti sunt.

CCXXXV.

FRONTONIANENSIS

Erat *Frontonianum* in provincia Byzacena, ut ex Notitia compertum est. nomen a fundi domino esse patet: esto in Halleri codice scriptum sit *Frotonianensis.* nulla tamen loci fama, nec in scriptis veterum mentio.

BONIFACIVS. hunc ordine septuagesimum primum Notitia numerat inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem adiere, ut conventui adessent, quem Rex Hunericus indixerat: fuitque e praeclaro illo Confessorum agmine, quos irrogata exsilii poena illustres reddidit.

CCXXXVI.

FVRNITANVS

Oppidum *Furnos* in provincia Proconsulari fuisse constat, Ecclesiamque illic jamdiu constitutam, quum Cyprianus Pontificatum Carthaginiensem administrabat, aeque exploratum est. addidit oppido splendorem Martyr invictus, Mansuetus Uricitanus, qui, ut Victor scribit (1), *in porta incensus est Furnitana:* sub annum scilicet CCCCXXX. quo Augustinus decessit, quum jam Vandali Africam magna ex parte obtinerent.

GEMINIVS. adfuit hic Concilio, quod Cyprianus coëgit anno CCLIII. adversus Hispanos Episcopos Basilidem et Martialem *libellis idololatriae commaculatos et nefandorum facinorum conscientia vinctos*, de quibus Felix Presbyter Hispanus ad eum scripserat (2). deinde interfuit Geminius Concilio anni CCLV. sententiamque quinquagesimo nono loco dixit, de iis iterum baptizandis, qui ab haereticis venirent. decessit autem ante Cyprianum: nam hujus exstat epistola ad Clerum et plebem Furnis con-

(1) *Pers. Vandal. lib. I. c.* 3. (2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 149.

sistentem (3), in qua *Graviter*, inquit, *commoti sumus ego et collegae mei ..... quum cognovissemus, quod Geminius Victor frater noster de saeculo excedens Geminium Faustinum Presbyterum tutorem testamento suo nominaverit.* quod idem et *Victor* appelletur, Romana haec consuetudo erat, ut nomini cognomen adderetur, quam hic retinuit Cyprianus, quod duos Geminios nominare debebat.

FLORENTINVS. erat hic e grege Donatistarum, adfuitque an. CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua vocatus ait (4), *Mandavi et subscripsi.* de Episcopo autem Catholico nullam mentionem injecit.

SIMEON. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius celebravit anno DXXV. (5) atque hoc eodem Episcopo novum Deo templum Furnis dicatum est, quod Bonifacius Carthaginiensis rite consecravit (6): nisi potius post Simeonis mortem, quum Furnitana sedes etiamtum vacua esset, ea dedicatio peracta fuerit.

(3) *epist.* 66.
(4) *Cognit. I. n.* 198.
(5) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.
(6) *in vit. s. Fulgent. c.* 29.

CCXXXVII. FVSSALENSIS

De hoc Numidiae oppido ac de origine Episcopatus ejus diserte nos edocet Augustinus in epistola, quam circa annum CCCCXXIII. ad Caelestinum Pont. max. misit (1). *Fussala*, inquit, *dicitur Hipponensi territorio confine castellum: antea ibi nunquam Episcopus fuit, sed simul cum contigua sibi regione ad paroeciam Hipponensis Ecclesiae pertinebat. paucos habebat illa terra Catholicos, ceteras plebes illic in magna multitudine hominum constitutas Donatistarum error miserabiliter obtinebat, ita ut in eodem castello nullus esset omnino Catholicus. actum est in Dei misericordia, ut omnia ipsa loca unitati Ecclesiae cohaererent: per quantos labores et pericula nostra, longum est explicare, ita ut ibi Presbyteri, qui eis congregandis a nobis primitus constituti sunt, exspoliarentur, caederentur, debilitarentur, excoecarentur, occiderentur: quorum tamen passiones inutiles ac steriles non fuerunt, unitatis illic securitate perfecta. sed quod ab Hippone memoratum castellum millibus quadraginta sejungitur, quum in eis regendis, et eorum reliquiis licet exiguis colligendis, quae in utroque sexu aberrabant non minaces ulterius, sed fugaces, me viderem latius, quam oportebat extendi, nec adhibendae sufficere diligentiae, quam certissima ratione adhiberi debere cernebam, Episcopum ibi ordinandum constituendumque curavi.* porro et sacram aediculam in territorio Fussalensi a se et Maximino Sinitensi dedicatam, idem narrat, in qua infossam scribit (2) *terram sanctam de Hierosolymis adlatam, ubi sepultus Christus die tertio resurrexit:* et quum eo rusticanus quidam juvenis paralyticus deductus a parentibus fuisset, inde post fusas preces continuo pedibus suis salvum abscessisse.

(1) *epist.* 209.
(2) *de C. D. lib. XXII. c.* 8. *n.* 6.

ANTONIVS. de alio cogitarat Augustinus, qui jam Presbyter erat, et Punica lingua instructus: sed quum hic resisteret, et jam Primas Numidiae venisset, qui novum Episcopum constitueret, *obtuli*, inquit (3), *non petentibus quemdam adolescentem Antonium, qui mecum tunc erat, in monasterio quidem a nobis a parvula aetate nutritum, sed praeter lectionis officium, nullis clericatus gradibus et laboribus notum. at illi miseri* (Fussalenses) *quod futurum fuerat ignorantes, offerenti eum mihi obedientissime crediderunt. quid plura? factum est: esse illic Episcopus coepit.* designatus fuisse videtur Antonius ante annum CCCCXVI. nam hoc anno jam in epistola Concilii Milevitani memoratur, quae ad Innocentium missa fuit, de cohibendis Pelagianis (4), nec omnino ultimus, ut aliquot ante annos Episcopus factus credi possit, siquidem is omnino sit, cujus ea epistola nomen praefert, quod veri omnino simile est. ceterum Antonii Episcopatus non is fuit, qualem Augustinus speraverat, aut Fussalenses optarant. itaque quum Antonius multis jam criminationibus famosus esset, convenere Episcopi, ut de eo deliberarent, quid agendum esset. *Denique*, inquit Augustinus (5), *sententias nostras sic temperavimus, ut salvo Episcopatu, non tamen omnino impunita relinquerentur, quae non deberent vel eidem ipsi deinceps iterumque facienda, vel ceteris imitanda proponi. honorem itaque integrum servavimus juveni corrigendo, sed corripiendo minuimus potestatem, ne scilicet eis praeesset, cum quibus sic egerat, ut dolore justo eum sibi praeesse ferre omnino non possent.* nec vero judicium Episcoporum, quod Augustinus verebatur, a Caelestino revocatum est, paruitque Ecclesia Fussalensis Episcopo Hipponensi, quamdiu vixit Antonius, ut ex epistola Augustini ad Quodvultdeum apparet (6), in qua Presbyterum Fussalensem ei commendat, et hanc affert rationem: *Non enim possumus necessitates hominum ejusmodi deserere, qui nostri, non coloni, sed quod majus est, fratres sunt, et in caritate Christi ad curam pertinent nostram.* scripta autem ea epistola fuit an. CCCCXXVIII.

MELIOR. hunc Notitia vicesimum primum numerat inter Numidicos Episcopos, qui anno CCCCLXXXIII. Carthaginem cum reliquis convenerunt, ut professionis suae Regi Hunerico rationem redderent: quos ille in Catholicae veritatis fide firmissimos, exsilio omnes affecit. adscriptum nomini est *Nam.* de qua nota dictum a me est in Episcopatu Caelianensi.

(3) *epist.* 209. *n.* 3.
(4) apud Aug. *epist.* 176. *init.*
(5) *epist.* 209. *n.* 5.
(6) *epist.* 224.

CCXXXVIII. GAGVARITANVS

Ignotum oppidum *Gagua* sive *Gauva*, nam sic quoque scriptum invenias: sed tamen ex Notitia discimus, ad provinciam Byzacenam pertinuisse.

ROGATVS. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus, *Praesto sum*, inquit (1), ac de Ecclesia sua adjecit, *Vnitatem*

(1) *Cognit. I. n.* 128.

habet. cujus nempe Vnitatis ipse auctor fuerat, desertis Donatistarum castris, ut ad Catholicam Ecclesiam transiret. quod Adeodatus, unus e septem Donatistarum Actoribus, sic indicavit: *Noster fuit, a nobis illo transiit.*

VICTOR. hic ordine centesimus est in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum profecti, simul cum reliquis a Rege Hunerico in exsilium pulsi sunt.

CCXXXVIIII. **GARBESIS**

Erat *Garbe* in Numidia, cujus mentio saepe fit ab Optato et Augustino. sed veteres Geographi indictam reliquerunt.

VICTOR. Concilio Cirtensi hic interfuit anno CCCV. quum Secundus Tigisitanus Primas Numidiae judicium de proditoribus sacrorum voluminum instituit (1): fuitque Victor e tribus illis, qui dixerunt, *talem caussam Domino debere reservari.* hunc postea Donatistae Romam miserunt, ut sectae suae in urbe praeesset (2): quo et ipsi Catholicorum more gloriari possent, se cum Roma sentire. *Missus est igitur,* inquit Optatus, *Victor: erat ibi filius sine patre, tiro sine principe, discipulus sine magistro, sequens sine antecedente, inquilinus sine domo, hospes sine hospitio, pastor sine grege, Episcopus sine populo.* et quae deinceps. ceterum e secta sua successores Romae Victor habuit Bonifacium, Encolpium, Macrobium, Lucianum, Claudianum, Felicem, qui Carthaginem transmisit, et Collationi adfuit anno CCCCXI. (3).

FELIX Donatista. in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. quum hic non adesset, subscriptio hujusmodi recitata est (4): *Martialis Episcopus Idicrensis pro Felice Garbensi et Iusto Formensi, qui in itinere caussa infirmitatis detenti sunt, pro eis subscripsi.* ad quae Marcianus Episcopus Catholicus ait: *Felix Episcopus Garbensis de domo sua non exivit.* erat ille Idicrensis Episcopus.

FELIX Catholicus. hunc Notitia centesimum secundum numerat inter Numidicos Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. conventui Carthaginiensi, quem Rex Hunericus indixerat, adfuerunt: quique subinde cum reliquis Episcopis ob Catholicam professionem exsilio multati sunt. fuit autem Felix e numero eorum, qui vitam in exsilio ipso profuderunt, ut adjecta nomini nota mortis ostendit.

(1) Opt. *de schism. lib. I. c.* 14.
(2) *idem ibid. lib. II. c.* 4.
(3) *Cognit. I. n.* 149.
(4) *ibid. n.* 209.

CCXXXX. **GARRIANENSIS**

Memorat Ptolemaeus *Garram*, sed in Mauretania Caesariensi, quam Ecclesiae Africanae fasti non agnoscunt: hanc agnoscunt, quae ad provinciam Byzacenam, ut Notitia indicat, pertinebat, *Garra* item aut *Garria* dicta.

SECVNDINVS. hunc ordine vicesimum secundum legimus in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. Regis Hunerici edicto obsequuti Carthaginem petiere, atque inde cum toto illo Episcoporum conventu irrogatam exsilii poenam Catholicae veritatis studio fortiter subierunt. peregre autem defunctum Secundinum apposita nota declarat.

CCXXXXI. **GATTIANENSIS**

Gattiam sive *Gatiam*, quae a Garra distinguenda est, provinciae Byzacenae oppidum fuisse, aeque constat. sed quale id aut quibus finitimum esset, Geographi non tradunt. porro et *Gratia* appellatum videtur.

VICTOR. erat hic e grege Donatistarum, et hos inter Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. interfuit, in qua citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi.* de Catholico autem Gattiae Episcopo nulla tum injecta mentio est.

BONIFACIVS. fuit hic quartus e quatuor Episcopis, qui an. CCCCLXXXIIII. libellum Regi Hunerico obtulerunt (2), in quo *Professio fidei Catholicorum Episcoporum* continebatur. ceterum hujus nomen inter exsules, quos Notitia exhibet, non apparet, sive scribarum negligentia exciderit, sive data opera omissum fuerit, quod rerum exitum praesentiens fuga sibi consuluisset. eundem tamen diu post illud exsilium vixisse in Ecclesia sua, et Primatis honore in provincia functum, ex libello discimus, quem Petrus Abbas in Concilio Carthaginiensi anni DXXV. obtulit Bonifacio Episcopo almae urbis; in quo haec de Bonifacio hoc nostro legimus (3): *In absentia enim sacerdotis Carthaginiensis Ecclesiae, de proximo Bonifacium Gratianensem sanctum Episcopum primae sedis provinciae Byzacenae petiimus, ut quamdiu huic sanctae Ecclesiae Carthaginiensi rectorem Dominus concessisset, nobis qui divina ministeria celebrarent ordinaret. quod et factum est: ita tamen, ut defuncto Primate non successor plebis illius aliquam in nobis haberet licentiam, sicut est moris in subditis.*

IANVARIVS. subscripsit hic epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletas (4): nomenque ejus sexto loco scriptum est.

(1) *Cognit. I. n. 198.*
(2) Vict. *Pers. Vand. lib. III. c. 23.*
(3) apud Hard. *Conc. T. II. p. 1084.*
(4) *ibid. T. III. p. 737.*

CCXXXXII. **GAVDIABENSIS**

Sic in Notitia scriptum, quae oppidum Numidiae adscribit. eundem fortasse locum designat *Glaudi* in Itinerario Antonini inter Masculam et Tamugadim, id est in media Numidia. sed a reliquis Geographis nihil accepimus. eundem Episcopatum esse, qui in Collatione Carthaginiensi *Gazabianensis* appellatur, suspicati sunt Ruinartius et Pinius, quibus facile assentior, quod eum nulla alia provincia sibi vindicat.

SATVRNINVS. adfuit hic anno ccccxI. Collationi Carthaginiensi inter Donastistas, in eaque citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi.* Catholicum Episcopum habuisse adversarium non videtur.

VICTOR. hunc Notitia uonagesimum tertium recenset inter Numidicos Episcopos, qui anno ccccLxxxIIII. post conventum Carthaginiensem ab Rege Hunerico simul cum reliquis totius Africae Episcopis relegati sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 201.

CCXXXXIII. GAVRIANENSIS

In Numidia erat *Gauria*, quemadmodum Notitia demonstrat. at nulla apud Geographos oppidi hujus vestigia reperias.

IANVARIVS. hic nonagesimus nonus est in albo Episcoporum Numidiae, qui anno ccccLxxxIIII. Carthaginem ad communem Episcoporum conventum, quem Rex Hunericus indixerat, profecti, subinde cum ceteris exsilio multati sunt. peregre autem mortuum Ianuarium, nota mortis adjecta indicat.

CCXXXXIIII. GAZAVFALENSIS

Vetus Numidiae oppidum *Gazaufala*, quae et *Gazaufula*, inter Tipasam et Sugus, ut Itinerarium Antonini ostendit. Procopio Γαζοφυλα est (1), et in Peutingeri tabulis *Gazaupala*.

SALVIANVS. interfuit hic Cypriani Concilio, quod tertium de Baptismo celebravit anno CCLV. sententiamque in eo dixit septuagesimo sexto loco. in exemplaribus ejus Concilii recentioribus appellatur *Martyr:* quem titulum in Augustino, ubi Episcoporum illorum sententias refellit (2), minime invenies.

AVGENTIVS. secundus hic est in albo Episcoporum Numidiae, qui Regi Hunerico obsequuti, anno ccccLxxxIIII. ad conventum Carthaginiensem se contulerunt, exsiliique poenam cum reliquis subiere. peregre obiisse Augentium, apposita mortis nota significat.

(1) *de Bell. Vand. lib. II.* (2) *de Bapt. contra Donat. lib. VI. c. 40.*

CCXXXXV. GEGITANVS

Indicta Geographis *Gegia* oppidum erat Mauretaniae Sitifensis, ut ex Notitia discimus.

QVADRATVS. Carthaginem hic petiit anno ccccxI. Collationis caussa, et inter Catholicos in ea vocatus, quum se *praesto* esse dixisset, de Ecclesia sua adjecit, *Nunquam ibi fuit Episcopus* (1), qui nempe Donatistis praeesset.

CONSTANTIVS. hunc Notitia decimum tertium numerat inter Episcopos Mauretaniae Sitifensis, quos Rex Hunericus anno ccccLxxxIIII.

(1) *Cognit. I. n.* 128.

cum reliquo Episcoporum agmine post conventum illum Carthaginiensem relegavit.

ccxxxxvI. **GEMELLENSIS**

Vicus Numidiae *Gemellae* fuere, quas tabula Peutingeri demonstrat, et Itinerarium Antonini recenset, inter Novam Petram et Sitifim. ibidem numerus militum stationem habuisse videtur, qui fines defenderent. nam in Notitia Imperii Occidentalis sub Comite Africae occurrit *Praepositus Limitis Gemellensis.*

LICTEVS. occurrit hic inter Patres Concilii Carthaginiensis, quod Cyprianus tertium de Baptismo vocavit anno CCLV. sententiamque in eo dixit octogesimus secundus. *Confessor* idem in recentioribus Concilii illius exemplaribus appellatur: qui tamen titulus, ut neque alii aliorum, non legitur apud Augustinum.

BVRCATON. erat hic e Donatistarum numero, eosque inter Collationi Carthaginiensi interfuit anno CCCCXI. vocatus autem, quum dixisset (1), *Mandavi et subscripsi*, addidit, *Traditorem non habeo, nec habui unquam;* sic nempe Donatistae Catholicos Episcopos designabant.

(1) *Cognit. I. n.* 206.

ccxxxxvII. **GERMANICIANENSIS**

Ad provinciam Byzacenam pertinebat *Germaniciana*, quam Itinerarium Antonini post Aquas Regias memorat in itinere a Theveste Tusdrum, sive Tusurum in mediterraneis. Patrimonium Germanicianum recenset Ioannes Diaconus in vita Gregorii magni (1), praedia nimirum, quae apud Germanicianam Ecclesia Romana habebat, quorum rectorem Hilarum Gregorius ipse in epistolis suis saepe ciet (2).

IAMBVS. adfuit hic Concilio Carthaginiensi tertio de Baptismo, quod Cyprianus celebravit anno CCLV. in eoque quadragesimus secundus sententiam dixit. in exemplaribus recentioribus *Confessor* dicitur.

(1) *lib.* 2. *c.* 53. (2) *Ib.* 1. *epist.* 75. 76. *etc.*

ccxxxxvIII. **GERMANIENSIS**

Oppidum Numidiae *Germaniam* Notitia facit, idque Hipponi Regio proximum putare licet, quod scripserit Augustinus (1), *Germanicianenses* ad curam suam pertinere. idem enim oppidum ab eo designari crediderim, ut ut *Germanicia* potius, quam *Germania* indicari videatur: nam oppidanorum nomina Afri licentius derivabant, ut qui Germaniae cives essent, eos *Germanicos, Germanicianos* et *Germanicianenses* appellarent; quemadmodum a Cartenna non tam Cartennenses, quam Cartennitanos,

(1) *epist.* 251.

Culcita et Culcitanos et Culcitanenses cives nominabant: et alia hujusmodi.

INNOCENTIVS. occurrit hic inter Catholicos Episcopos, qui anno ccccxI. Collationi Carthaginiensi adfuerunt, in qua quum cieretur, dixit, *Praesto sum, sed adversarium non habeo* (2).

CRESCENTIANVS. hunc Notitia nonagesimum septimum numerat inter Numidicos Episcopos, qui cum aliis anno ccccLxxxIIII. ad Carthaginiensem conventum profecti, quem Rex Hunericus indixerat, post egregiam Catholicae veritatis confessionem, communem exsilii poenam subierunt.

(2) *Cognit. I. n.* 120.

ccxxxxvIIII.

GIBBENSIS

Gibbam Numidiae oppidum putavit Harduinus: sed quo auctore, non indicat. porro quum *Gilbenses* Episcopatus Notitia geminos referat, utrumque in Numidia; equidem alterutrum *Gibbensem* esse crediderim: neque enim ulla discriminis nota adjecta est: et facile una in litterula mendum potuit obrepere. hunc autem primum e duobus refero; quod alterum prope Tigisim fuisse duxerim, post quam in Notitia cietur: primus vero sive Gibbensis non longe ab Hipponensi colonia constitutus videatur. nam *Gippitanam* Ecclesiam tamquam proximam memorat Augustinus, atque adeo in Numidia sitam, scribens ad Xantippum Primatem Numidiae de Abundantio Presbytero: nam is, quum ab ea Ecclesia discessisset, hora fermo quinta in fundo Strabonianensi constiterat, qui ad curam ipsius Augustini spectabat (1). nec vero ambigendum est *Gibbensem* et *Gippitanam* unam eandemque Ecclesiam esse, quum B et P mutua vice usurpentur, nec Gippitani alias Episcopi occurrant.

VICTOR. erat hic e grege Donatistarum, quos inter Collationi Carthaginiensi anno ccccxI. interfuit, ac citatus ait (2), *Mandavi et subscripsi.*

FELIX. hunc Notitia quadragesimum recenset inter Numidicos Episcopos, qui anno ccccLxxxIIII. post conventum Carthaginiensem ab Rege Hunerico cum reliquis relegati sunt.

(1) *epist.* 65. (2) *Cognit. I. n.* 201.

ccL.

GIGGENSIS

Ad provinciam Proconsularem pertinebat *Gigga*, quae et *Zigga* et *Zica* efferebatur. praeter Notitiam meminit Victor Vitensis: sed apud Geographos non apparet, nisi forte ipsa est *Siagu* Antonini, aut *Siagul* Ptolemaei: unde *Siagitani* in antiquis inscriptionibus memorantur (1). in Gestis Purgationis Felicis occurrit *Ingentius Decurio Ziquensium*, qui in provincia Proconsulari censebantur.

DONATVS. adfuit hic inter Donatistas Carthagine anno ccccxI. quum Episcoporum Collatio haberetur, et vocatus ait, *Mandavi et subscripsi* (2).

(1) v. *op. de st. Inscr. Lat. p.* 187. *seq.* (2) *Cognit. I. n.* 198.

Catholicum Episcopum ex adverso non memorat. ceterum hic *Zicensis* audit.

VINCENTIVS. hunc Notitia quadragesimum primum numerat inter Episcopos provinciae Proconsularis, quos Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum aliis relegavit. habet autem adscriptam notam *In exsilium*, quod ex iis non fuerit, qui in insulam Corsicam deportati fuere, sed ex illorum numero, qui tantummodo solum vertere jussi sunt. hunc autem Victor, quum historiam suam scriberet, unum e tribus esse putavit, qui de centum sexaginta quatuor Episcopis provinciae Proconsularis superstites essent: *Qui paullatim*, inquit (3), *deficientes, nunc, si vel ipsi supersunt, tres tantum esse videntur, Vincentius Gigitanus, Paullus Sinnaritanus, vere merito et nomine Paullus, et alius Quintianus, qui nunc persecutionem fugiens apud Edessam Macedoniae civitatem commanet peregrinus.* scribebat haec Victor an. CCCCLXXXVII.

(3) *Pers. Vand. lib. I. c. 5.*

CCLI.

GILBENSIS

Numidiae oppidum *Gilba*, ut Notitia ostendit, nec tamen apud Geographos cognitum: post Tigisim recensetur, quae in mediterraneis erat. fuit et Colonia *Gilva*, sed ea ad Mauretaniam spectabat, ut Antonini Itinerarium ostendit: quae tamen ipsa parum nota, nec Episcopi ullius nomine insignis fuit: ut et *Gilda*, quae erat in Tingitania.

DONATVS. est hic nonagesimus in albo Episcoporum Numidiae, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem petiere, ut conventum a Rege Hunerico indictum cum aliis Episcopis celebrarent: post quem cum reliquo illo agmine in exsilium ejecti sunt.

CCLII.

GIRBENSIS PR. PROCOS.

Geminam in Africa *Girbam* fuisse, manifestum est. nam et Victor Vitensis Vrbanum Girbensem a Tripolitanis Episcopis distinguit (1), et in uno Concilio Carthaginiensi sub Bonifacio adfuere Gerbitani Episcopi duo, Vincentius et Donatus Catholici ambo, et diversis Ecclesiis praepositi (2). primam porro *Girbam* Harduinus provinciae Proconsulari adscribit, nec immerito: nam Vrbanum Victor primum recenset inter sacerdotes a Genserico relegatos, postremos Tripolitanos, ut in iis enunciandis ordinem provinciarum sequutus videatur: et in Concilio Cypriani decimo loco sententiam dixit Momillus a Girba, Tripolitani vero Natalis Oeensis et Iunius Neapolitanus extremi (3). ceterum de Girba vel Gerba aut Girpa in provincia Proconsulari sita tacent Geographi.

(1) *Pers. Vand. lib. I. c. 7.*
(2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1081. *et* 1082.
(3) *ibid. T. I. p.* 163. *et* 178.

MOMILLVS, qui et *Munulus* et *Monnulus*. hic anno CCLV. Carthagine adfuit Concilio, quod Cyprianus tertium de Baptismo celebravit: qui et sententiam suam, ut modo dicebam, decimo loco exposuit.

QVODVVLTDEVS. fuit hic e Catholicis Episcopis, qui anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuerunt. quum autem citatus se *praesto esse* dixisset, processit ex adverso Evasius Donatista, qui ait (4), *Agnosco illum:* idemque postea vocatus (5), *Mandavi*, inquit, *et subscripsi.*

VRBANVS. hic est, quem a Victore memoratum admonebam cum iis, quos Gensericus relegavit circa annum CCCCL. *Et si forsitan*, inquit, *quispiam, ut moris est, dum Dei populum admoneret, Pharaonem, Nabuchodonosor, Holofernem aut aliquem similem nominasset, objiciebatur illi, quod in personam Regis ista dixisset, et statim exsilio trudebatur. hoc enim persecutionis genus agebatur, hic aperte, alibi occulte, ut piorum nomen talibus insidiis interiret. qua de re plurimos sacerdotum tunc novimus relegatos, sicut Vrbanum Girbensem, Crescentem metropolitanum Aquitaniae civitatis* (6), *qui centum viginti praeerat Episcopis, Habetdeum Theudalensem, Eustratium Suffectanum, et Tripolitanos duos Vices Sabratenum et Cresconium Oensem.*

DONATVS. hic ultimus subscripsit Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius coëgit anno DXXV (7).

(4) *Cognit. I. n.* 126.
(5) *ibid. n.* 199.
(6) v. *Episc. Aquens. Mauret.*
(7) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

CCLIII. GIRBENSIS PR. TRIPOL.

Oppidum *Girba* in insula cognomine fuit ad Syrtim minorem, unde initium Tripolitanae provinciae ab occasu in ortum. vetus et oppidi et insulae nomen fuerat *Meninx*, ut Strabo et Plinius appellant: sed jam Sex. Aurelii Victoris aevo, ut est in excerptis, *Girba* dicebatur: nam de Vibio Gallo et Volusiano Augg. haec traduntur: *Creati in insula Meninge, quae nunc Girba dicitur.* non ita tamen Cypriani Martyris aevo, qui eorum Augustorum aequalis fuit: unde errare illos liquet, qui Momillum Girbensem in Cypriani Concilio memoratum e provincia Tripolitana fuisse arbitrantur, in qua nondum *Girba* agnoscebatur. huic insulae famam peperit purpura, quae illic in usum Principis excocta tingebatur: quo pertinet *Procurator Baphii Girbitani provinciae Tripolitanae*, cujus mentio fit in Notitia Imperii (1).

PROCVLVS. erat hic e numero Maximianistarum, quibuscum anno CCCLXXXXIII. Concilio Cabarsussitano interfuit, ac epistolae synodicae subscripsit et suo et Gallioni collegae nomine (2).

FAVSTINVS. tertius hic est e quinque Episcopis provinciae Tripolitanae, quos Notitia cum reliquis recenset, qui anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem a Rege Hunerico relegati fuere.

(1) v. Pancirol. c. 39.
(2) apud Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20.

VINCENTIVS. interfuit hic Concilio Carthaginiensi Bonifacii an. DXXV. legatus provinciae Tripolitanae, eique propterea inter primos subscripsit (3). ejusdem porro fit mentio iterum in eodem Concilio, die secundo, quo die prolata est epistola Concilii Iuncensis ad Bonifacium, et de Episcopis, qui eam attulerant, dictum, petiisse, *Vt Vincentius Episcopus Girvitanus provinciae Tripolitanae plebes, quas Tamallumensibus invasisse videtur, admoneatur, ut restituat* (4): qua de re tum Patres ampliandum putaverunt.

(3) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1081. (4) *ibid. p.* 1085. *et* 1086.

CCLIIII. GIRENSIS

Gir fluvius et Gira metropolis erat in Africa, sed prope Aethiopiam, et extra fines Africae Romanae. hic *Gira* Numidica indicatur, quam Notitia agnoscit, Geographi ignorant: nisi sit, quae *Gurra* in Peutingeri tabulis dicitur. nam et *Guira* dicta videtur: *Guirensis* enim appellatur Episcopus in Collatione Carthaginiensi: quod affine magis est.

LVCIANVS. adfuit hic anno CCCCXI. inter Catholicos Collationi Carthaginiensi, qui ut vocatus est, *Praesto sum*, inquit (1), *sed alium contra me non habeo:* quod pauci ex Numidiae Episcopis testari potuere.

MARTIALIS. est hic nonus in albo Episcoporum Numidiae, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum a Rege Hunerico indictum profecti, inde cum aliis in exsilium pulsi fuere.

(1) *Cognit. I. n.* 121.

CCLV. GIRVMARCELLI

Illud *Giru*, quod non semel in Africa occurrit, idem mihi esse videtur atque *Arx* aut *Castrum:* nam Latini locum undique clausum *Gyrum* dixere: ut quum ait Cicero (1), *Ex ingenti oratorem immensoque campo, in exiguum sane gyrum compellitis.* itaque facile adducor, ut credam, oppidulo nomen inde factum, quod eo loci Romanus dux vallum fecisset, munitionemve imposuisset. in Numidia autem erat, quae saepe Numidarum agrestium incursionibus obnoxia fuit. ceterum *Marcelliana* etiam tantummodo nomen fuisse videtur: aliud certe oppidum eadem appellatione apud Geographos non invenies.

IVLIANVS. interfuit hic anno CCLV. Concilio Carthaginiensi sub Cypriano, quod tertium de Baptismo dicitur, sententiamque in eo suam pronunciavit sexagesimus sextus. in codicibus nonnullis *a Marcellina* vocatur, in aliis *a Marcelliana*, ut in Augustino etiam legitur (2).

LVCIDVS. Carthaginem hic se contulit anno CCCCXI. ut Collationi cum Catholicis adversus Donatistas adesset: in qua Ecclesiam suam Catholicam esse testatus est (3). subscriptio autem ejus, quae recitata fuit, erat hujus-

(1) *de Orat. lib. III. c.* 19. *quin apud Firmanos arx eo adhuc nomine appellatur.*
(2) *lib. VII. de Bapt. contra Donat. c.* 30.
(3) *Cognit. I. n.* 133.

modi: *Lucidus Episcopus plebis Marcellianensis et Bazitensis coram V. C. Tribuno et Notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini.* vicus scilicet Bazitensis illi unus remanserat e tota paroecia, aliis ad Donatistarum partes traductis; eaque, opinor, de caussa Episcopum se Marcellianensem et Bazitensem nominavit. verum ipse vicus *Bazitensis* sive *Bazienus* Donatistam habebat, ut infra in Collatione significatur; nam locus, ubi de Lucido sermo est, vexatus et mancus ad nos pervenit. infra, inquam, cietur *Manilius Bazienus* (4), qui subscripsisse se pro Episcopo suo profitebatur. is erat Presbyter; quumque quaereretur a Marcellino Tribuno, pro quo Episcopo subscripsisset, nemo nomen ejus enunciavit; sed Petilianus Donatista tantummodo addidit, *Lumine captus est.* rursum, quaerente Alypio Catholico, utrum saltem praesens is esset, Primianus Carthaginiensis ait, *Loquamur veritatem: oculis captus est, venire non potuit, Presbyterum suum direxit.*

FRVCTVOSVS. hunc ordine quinquagesimum secundum Notitia numerat inter Numidicos Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. Regis Hunerici edicto ad Carthaginiensem conventum evocati, Catholicae veritatis studio communem exsilii poenam forti animo subierunt.

(4) *ibid. n.* 182.

CCLVI. GIRVMONTENSIS

Arcem in colle exstructam nomen indicare videtur. eam in provincia Mauretania Caesariensi fuisse, Notitia nos edocet: sed apud Geographos vestigium ejus nullum est.

REPARATVS. est hic nonus ordine in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem, quo Rex Hunericus convenire omnes Africae Episcopos jusserat, petierunt, atque inde ab eodem ob professionem Catholicam in exsilium pulsi sunt.

CCLVII. GIRVTARASI

Nomen arci impositum a conditore ipsa appellatio declarat: sed quis ille fuerit, nemo facile dixerit. oppidum in Numidia fuisse, ex Notitia discimus.

FELICIANVS. est hic centesimus vicesimus primus inter Numidicos Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum ceteris, quos Rex Hunericus evocaverat, relegati sunt.

CCLVIII. GISIPENSIS

Gisipam provinciae Proconsulari adscribit Notitia et ipsum Concilium Lateranense: quamquam de ea Geographi silent: neque enim *Gisira* esse potest, quam Ptolemaeus recenset in provincia Byzacena. in Collatione

Carthaginiensi Episcopus ejus *Gisipensis majoris Ecclesiae* Antites vocatur: nusqnam tamen *Gisipensis minoris* occnrrit mentio: ut si gemina fuerit *Gisipa*, altera sine Episcopo fuisse videatur.

IANVARIVS. adfuit hic anno CCCCXI. Catholicos inter Collationi Carthaginiensi, et snbscriptione ejus recitata, de Donatista Episcopo adjecit (1), *Non habemus.* alicubi *Ianuarianus* effertur.

CARISSIMVS. hunc vicesimum quartum Notitia exhibet inter Episcopos provinciae Proconsularis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem profecti, post conventum illum omnium Episcoporum ab Ariano Rege cum reliquis in exsilium pulsi sunt.

REDEMPTVS. snbscripsit hic inter postremos Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius coegit anno DXXV. (2)

MELLOSVS. hujus nomen sexto loco legimus in snbscriptionibus epistolae, quae a Patribns Concilii Proconsnlaris anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (3).

(1) *Cognit. I. n.* 133.
(2) apud Hard. *Conc. T. II p.* 1082.
(3) *ibid. T. III. p.* 749.

CCLVIIII.

GITTENSIS

Oppidum designari hoc nomine puto, quod in Itinerario Antonini *Gitti Municipium* appellatur, inter Fulguritam Villam et Municipium Pontezinta in provincia Tripolitana sitnm, quod Ptolemaei *Γιχθις* a Cellario putatur, haud longe a colonia Sabrata. nomen a pecu ductum ostendit Bochartns (1), urbemque cognominem ab Hannone illo, qui Periplum scripsit, ultra Gaditanum fretum in eadem Africa conditam memorat.

CATVLINVS. interfuit hic anno CCCCXI. cum Episcopis Catholicis Collationi Carthaginiensi, et subscriptione ejus recitata, testimonium de Ecclesia sua dixit (2), *Vnitas est:* quod Valentinianus Primiani Diaconus confirmavit, subjiciens, *Non habemus.*

(1) *Geogr. Chan. lib. I. c.* 37.
(2) *Cognit. I. n.* 133.

CCLX.

GIVTRAMBACARIENSIS

Nomen oppidi hujns, quod in provincia Proconsulari erat, fuisse arbitror *Giuf trans Bagadram:* quas voces sequior aetas conjnngendo pervertit. erat certe aliud oppidnm *Giuf* in eadem provincia, idque Municipium: et *Bagadras* fluvius, qui et *Bagradas*, eundem illum tractum adluebat: itaque, ut alterum oppidum a cognomine distinguerent, veri simile est, obtinuisse, ut *Giuf trans* Bagadram appellaretur.

VICTOR. Carthaginem hic se contulit anno CCCCXI. ut Collationi cum Catholicis interesset, in eaque vocatns, quum se praesto esse dixisset, de Ecclesia sna adjecit, *Vnitatem habemus* (1). scriptum *Iufitensis*

(1) *Cognit. I. n.* 126.

pro *Giufitensis*, quod plerique aurium suarum judicium in scribendo sequerentur.

BENENATVS. subscripsit hic anno DCXXXXVI. epistolae Concilii Proconsularis, quae missa fuit ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (2).

(2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 751.

CCLXI. ## GIVTSITENSIS SALARIVS

Latet hic Municipium *Giuf*, quod Carthaginiensibus cis Bagadram erat, et a proximis, ut opinor, salinis appellabatur *Salarium*. sunt quippe adhuc in agro Tunetano geminae inscriptiones (1), in quarum altera memoratur *Municipium Giuf*, in altera *Municipes Municipi Aureli Alexandriani Aug.... Giufitani.* quare in Collatione Carthaginiensi fortasse scriptum erat *Giufitensis Salariae:* nisi hoc malis admittere, nomen maturius corruptum esse, et F in TS transiisse.

PROCVLVS. adfuit hic Carthagine anno CCCCXI. et Catholicis cum Episcopis Collationem celebravit: quumque subscriptio ejus recitaretur, de Ecclesia sua dixit (2), *Catholica est.* ceterum Habetdeus Diaconus Donatista subjecit, *Habet Presbyterum Lillybium.*

(1) Maff. *Mus. Ver. p.* 457. 5. *et p.* 463. 4. (2) *Cognit. I. n.* 135.

CCLXII. ## GORENSIS

Oppidum *Gor* in Cypriani Concilio memoratum provinciae Proconsulari adscripsit Harduinus. idem nempe visum, opinor, est illi ac *Coreva*, quod Itinerarium Antonini recenset in itinere a Carthagine Sufetulam inter Vallos et Musti. nam veteres quidem Geographi non meminere.

VICTOR. sententiam hic dixit quadragesimo loco in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus anno CCLV. tertium de Baptismo convocavit.

CCLXIII. ## GRATIANOPOLITANVS

Gratianopolis, quae et *Gratinopolis* vulgo dicta, fuit in Mauretania Caesariensi, ut Notitia indicat. a Gratiano Aug. sortita nomen videtur: cui sane paruit Africa, et a quo leges accepit (1). quo ante nomine ea urbs appellaretur, ignoramus: castellum fuisse crediderim, quod ille adversus barbarorum incursiones muniendum curaverit.

PVBLICIVS. hic anno CCCCXI. cum Episcopis Catholicis Collationi Carthaginiensi interfuit, in eaque quum subscriptio ejus recognosceretur, *E diverso*, inquit, *Deuterius est, solus sine plebe* (2). porro Deuterius, qui aderat, sic rem explicavit: *Quia et domos dejecisti, et persecutionem mihi fecisti.* sic enim Donatistae studium eorum notare

(1) Cod. *Theod. lib. XVI. tit. 6. L.* 2. (2) *Cognit. I. n.* 135.

solebant, qui errore deceptos ad Catholicam veritatem amplectendam excitare nitebantur.

TALASIVS. hunc Notitia octogesimum primum numerat inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum profecti, quem Rex Hunericus indixerat Carthaginem, inde in exsilium ob Catholicam professionem pulsi sunt.

CCLXIIII.

GVMMITANVS

Oppidum *Gummi* et *Gummasae* appellatum in provincia Byzacena fuisse, Notitia ostendit. cives *Gummitani*, *Gummasenses* et *Gummenartae* dicti, ut Afrorum licentia ferebat. ipsum tamen oppidum apud veteres Geographos obscurum, apud recentiores satis notum: nam Leonis VIIII. P. M. aevo, id est saeculo XI. Episcopum habebat etiamtum, ut in commentario superiore tradidimus (1): quamquam Episcopi nomen ad nos non pervenit.

IOANNES. Carthaginem hic se contulit Collationis caussa an. CCCCXI. sed serius paullo, quum jam ceteri Episcopi Catholici Mandato subscripserant. itaque inter postremos vocatus ait (2), *Mando et consentio.*

MAXIMVS. est hic octogesimus nonus in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem a Rege Hunerico convocati, deinde cum reliquis in exsilium ejecti sunt.

SABINIANVS. occurrit hic in subscriptionibus Concilii Carthaginiensis, quod a Bonifacio vocatum est anno DXXV. appellatur autem *Episcopus plebis Gummenartarum* (3), quae tamen lectio non immerito mendosa haberi possit.

STEPHANVS. subscripsit hic epistolae, quae anno DCXXXXI. a Concilio Byzaceno missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium contra Monotheletarum novitates: dicitur autem *Episcopus sanctae Ecclesiae civitatis Gummasis* (4): quod vel *Cummensis* vel *Gummasarum* in autographo fuisse crediderim.

(1) *cap. II. §. III. n. 7.*
(2) *Cognit. I. n. 215.*
(3) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.
(4) *ibidem T. II. p.* 740.

CCLXV.

GVNELENSIS

Oppidum sive vicus *Gunela* in provincia Proconsulari erat. nam id ex Notitia discimus. nulla ejus alibi vestigia exstare arbitror. quin et nomen ipsum minus certum: nam Episcopatus in codice Halleri *Gunelmensis* appellatur.

PASCHASIVS. est hic sextus inter Episcopos provinciae Proconsularis, quos anno CCCCLXXXIIII. ad communem Episcoporum conventum Carthaginem profectos Rex Hunericus cum reliquis exsilio affecit. fuit autem Paschasius, ut apposita nota declarat, ex eorum numero, qui in insulam Corsicam deportati fuerunt.

CCLXVI. **GVNVGITANVS**

Colonia Augusti, ut Plinius tradit (1), deducta cohorte praetoria *Gunugi* fuit, quae et *Gunugus:* millia passuum XII. a Caesarea Mauretaniae distabat, quemadmodum in Antonini Itinerario legimus.

AVXILIVS. hunc Notitia centesimum undecimum recenset inter Episcopos provinciae Mauretaniae Caesariensis, qui indicto a Rege Hunerico conventu omnium Episcoporum, Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. petiere, atque inde ob Catholicam professionem exsilio cum ceteris multati sunt. peregre autem defunctum Auxilium adscripta mortis nota declarat.

(1) *H. N. lib. V. c. 2.*

CCLXVII. **GVRGAITENSIS**

Byzacenae provinciae oppidum, ut Notitia nos edocet, fuere *Gurgites:* cujus nominis caussa esse videtur, quod conditum fuisset, ubi profundior fluvii alveus erat. id enim est gurges. porro Triton amnis, a quo palus Tritonis, Tripolitanam a Byzacena discriminat: ex alia parte Bagadras inter Proconsularem et Byzacenam fluit: apud alterutrum oppidi hujus sedes quaerenda: nam ceteri, qui Byzacenam interluebant, fluvii nec magni nec multi erant: erat id fortasse, quod in antiquis tabulis, quas nuper vir doctissimus Marinius edidit, *Pagus Gurzensis* et *Civitas Gurzensis* appellatur (1). nam Poeni nonnullas litteras ad arbitrium mutabant, quod passim adnotare hic liceat. favet quoque commemoratio civis Vzitensis, quae in prima tabula occurrit. Vzita enim in eadem provincia fuit.

FELIX. Cypriani Concilio hic interfuit anno CCLV. quo anno tertium de Baptismo celebratum Carthagine est. in eo sententiam dixit septuagesimo quarto loco, appellaturque *Felix a Gurgitibus.*

PRIMIANVS. hunc Notitia septuagesimum octavum recenset inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus cum toto illo conventu Carthaginiensi, anno CCCCLXXXIIII. relegavit.

(1) *Frat. Arv. p. 782. 783.*

CCLXVIII. **GVZABETANVS**

Ignotus Geographis *Guzabetae* situs, ignotum et nomen. Numidiae tamen adscribere quis possit, quod in eo tractu fuisse populi videantur, quos Herodotus aliique Γυζαντας vocant (1), ab apibus sic appellatos: nam mellis maximus ex Numidia proventus erat. solus praeterea Episcopus Donatista Numidiam magis, quam aliam provinciam designat: illud enim Donatistarum regnum videbatur.

INNOCENTIVS. adfuit hic inter Donatistas Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. in qua vocatus ait (2), *Mandavi et subscripsi: adversarium non habeo.*

(1) Bochart. *Geogr. Chan. lib. I. c. 25.* (2) *Cognit. I. n. 198.*

cclxviiiI. **GYPSARIENSIS**

Gypsaria Ptolemaeo (1) portus est Mauretaniae Caesariensis ultra Sigam. ibidem oppidum, aut certe vicum cognominem fuisse, nemo inficietur.

GERMANVS. Carthaginem hic se contulit anno ccccxI. ut Collationi cum Episcopis Catholicis interesset. in ea quum se *praesto esse* vocatus dixisset(2), prodiit ex adverso Donatista Fidentinus, qui ait, *Agnosco illum.*

(1) *Geogr. lib. iii. c.* 14. (2) *Cognit. I. n.* 128.

cclxx. **HERMIANENSIS**

Fuit *Hermiana* in provincia Byzacena, nec alia fortasse, quam quae Ερμιονη a Procopio appellatur (1). ceterum silent de ea Geographi, unusque ei claritatem dedit Facundus Episcopus, editis pro defensione trium Capitulorum libris duodecim ad Iustinianum Imp. quos primus vulgavit Sirmondus.

SECVNDIANVS. adfuit hic cum Catholicis Episcopis anno ccccxI. Collationi Carthaginiensi, in qua quum subscriptio ejus recitata esset, adjecit (2), *Contra mihi est Maximianus Episcopus:* hic vero progressus ait, *Agnosco illum.* atque hic idem postea citatus (3), *Mandavi*, inquit, *et subscripsi.*

DONATVS. est hic ordine tricesimus secundus in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, qui anno ccccLxxxiiiI. Carthaginem ad conventum profecti, quem Rex Hunericus indixerat, exinde cum reliquis exsilio multati sunt.

FACVNDVS. interfuit hic Constantinopoli cum Vigilio P. M. qui eo pervenit anno DxxxxviI. tot illis disputationibus de tribus Capitulis: atque illic, ut ipse in praefatione testatur, opus suum conscripsit, quod tamen serius a se perpolitum ordinatumque idem affirmat. exstat et liber ejus contra Mutianum Scholasticum, item *Epistola fidei Catholicae in defensione trium Capitulorum.* in exsilium a Iustiniano, cui maxime adversabatur, pulsum fuisse, ipsa ejus scripta declarant (4).

BENADVS. hic subscripsit epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DcxxxxI. missa fuit ad Constantinum Aug. Heraclii filium contra Monotheletas (5): cujus exemplum in Concilio Lateranensi jubente Martino P. M. prolatum est.

(1) *de Bello Vand. lib. I.*
(2) *Cognit. I. n.* 133.
(3) *ibid. n.* 187.
(4) *lib. contra Mutian. sub init.*
(5) apud Hard. *Conc. T. iii. p.* 741.

cclxxI. **HIERPINIANENSIS**

Sitam *Hierpinam* in provincia Byzacena, testatur Notitia: qui de ea aliquid significaverit, alium reperio neminem.

BARBARVS. Carthaginem hic ad Collationem se contulit cum Episcopis Catholicis anno CCCCXI. in eaque post subscriptionem ait (1), *Non habeo neminem contrarium.* ad quae Valentinianus Diaconus, *Moecopius,* inquit, *dicebatur Episcopus: exivit de corpore.* haec nempe Donatistarum maxima tum cura fuit, ut suorum numerum permagnum esse ostenderent: itaque mortuos quoque recensebant.

FELIX. hic quinquagesimus tertius occurrit in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis relegavit.

(1) *Cognit. I. n.* 133.

CCLXXII. HILTENSIS

Hiltam non esse *Biltam*, de qua actum superius, et falsum esse Holstenium, qui unum oppidum putabat (1), ostendit epistola Concilii Proconsularis synodo Lateranensi inserta, quae subscriptiones refert Episcopi *Hiltensis* et Episcopi *Biltensis.* contra facile Holstenio adsentior existimanti oppidum *Hilarense* ab Augustino memoratum (2) esse hoc *Hiltense,* de quo nunc agimus. certe *Hilarense* inauditum est, nec Episcopus ab eo quispiam dictus occurrit, quum tamen ibidem Episcopum fuisse Augustinus testatum reliquerit: qui et oppidum Carthagini proximum facit.

HILARIANVS. hic Collationi Carthaginiensi adfuit anno CCCCXI. in eaque, quum prolata subscriptio ejus esset, adjecit (3), *E diverso habeo neminem.* at prodiit Victor, qui se Hiltensem Donatistarum Episcopum profitebatur, et *Modo,* inquit, *sum illic ordinatus: non me novit.* ceterum Hilarianus reposuit, *Non habet,* Ecclesiam nempe, quae ipsi pareat, quod tota civitas Catholica esset.

PARIATOR. hic quartus subscripsit epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa fuit ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum contra Monotheletas (4): ac deinde in Concilio Lateranensi Martini P. M. jussu lecta est.

(1) *in adnot. de Patr. Rom. p.* 48.
(2) *epist.* 229. *ad Darium.*
(3) *Cognit. I. n.* 133.
(4) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 749.

CCLXXIII. HIPPONIS DIARRHYTI

De utroque Hippone Solinus (1): *Hipponem, Regium postea dictum, item Hipponem alterum de interfluente freto Diarrhyton nuncupatum, nobilissima oppida equites Graeci condiderunt.* id multo rectius, quam quod Plinius senior scripsit (2), *Diarrhytum a Graecis dictum propter aquarum irrigua.* nam de rivis aquarum per agrum deductis nihil est traditum: con-

(1) *Polyhist. c.* 27. *at dissentit Bochartus Geogr. sacr. lib. I. c.* 24. *p.* 475.
( ) *H. N. lib. v. c.* 4. *Salmas. in Solin. p.* 321: *legit* aquarum rigua.

tra de freto illo interfluente sic junior Plinius (3): *Est in Africa Hipponensis Colonia, mari proxima: adjacet ei navigabile stagnum, ex quo in modum fluminis aestuarium emergit, quod vice alterna, prout aestus aut repressit aut impulit, nunc infertur, nunc redditur stagno.* erat oppidum in provincia Proconsulari prope promontorium Candidum: nomen Afri multis modis efferebant: nam et *Hipponem Zarytum* appellabant, et *Hipponezareston*, et *Ipponizaritense oppidum* et similia, ut vulgus solet, quum vim vocis ignorat. sub Tiberio Principe *Hippo Libera* audiebat, in eaque ex numis veteribus Proconsularem pecuniam tum temporis signatam apparet. coloniam subinde factam, indicat Plinius. porro ex hac fuit Restituta, Virgo eadem et Martyr, sub Diocletiano lauream adepta: cujus Reliquias nunc servat Neapolis in aede honori ejus dedicata.

PETRVS. sententiam hic dixit septuagesimo secundo loco in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus anno CCLV. tertium de Baptismo coegit. in recentioribus ejus Concilii exemplaribus appellatur *Martyr Petrus ab Hipponezaryto:* sed tantus ille titulus incertae auctoritatis est, ut non semel de aliis monuimus, qui *Martyres* item aut *Confessores* dicuntur.

EQVITIVS. erat hic Episcopus ante annum CCCC. sed ob crimina, quae nobis ignota sunt, in Episcoporum Concilio damnatus, Pontificatu se abdicare jussus est: cui sententiae non adquievit. quamobrem in synodo Carthaginiensi anni CCCCI. Aurelio auctore, mandatum est *ei*, quem Patres ad Augustum legabant, ut si forte Equitium in illis partibus reperisset, curae illi esset pro Ecclesiae statu quod oporteret vel ubi liceret, adversus eum peragere: quemadmodum in can. LXV. codicis Africani legimus. tum anno CCCCIIII. ut ibidem can. LXXXXIII. perscriptum est, Patres censuere, in litteris, quas ad judices per Africam mittebant, *Adjungendum etiam de Equitio, ut improbitas ejus, qua sibi jus sacerdotum improbissime vindicat, ab Hipponensi Diaretorum dioecesi secundum statuta Imperatorum repellatur.* atque iidem Hipponem viginti Episcopos jam miserant, qui in locum illius electum Episcopum constituerent: quod can. LXXVIII. ejusdem codicis traditur. electus autem fuerat, opinor, qui sequitur

FLORENTINVS. adfuit hic inter Catholicos anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in eaque, quum subscriptio ejus proderetur, sibi Donatistam adversari fassus est (4): *E diverso*, inquit, *est Victor.* de quo item Habetdeus Diaconus adjecit, *Custos datus est codicum.* atque hic idem deinde citatus ait (5), *Et mandavi et subscripsi.*

MARIANVS. quintus hic est in albo Episcoporum provinciae Proconsularis, qui, conventu a Rege Hunerico indicto, anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem cum aliis profecti, atque inde in exsilium pulsi sunt. porro Marianum Notitia ex eorum numero fuisse indicat, quos Rex in insulam Corsicam deportari jussit.

(3) *Lib. VIIII. epist.* 33.
(4) *Cognit. I. n.* 139.
(5) *Cognit. I. n.* 180.

PALMATIVS. subscripsit hic Concilio Carthagioiensi, qnod Bonifacius celebravit anno DXXV (6). Hipponensis tantum appellatur, sed huc nihilo minos pertinere pntandus est, quod io eo Concilio praeter legatos aliarum provinciarom, vix aliqnot fuere, qui ex provincia Proconsulari non essent.

DONATVS. hojns nomen legimns in snbscriptionibus epistolae, quam Patres Coocilii Proconsularis aooo DCXXXXVI. misere ad Paullum Patriarcham Constaotinopolitaoum, ut a foveodis Monotheletis deterrereot (7).

(6) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1085. (7) *ibid. T. III. p.* 749.

CCLXXIII. HIPPONIS REGIENSIS

Hipponem *antiquis dilectum Regibus* Silius (1), *Romanam civitatem* et *Coloniam* appellat Augustious (2): nec dubiom, e primis Numidiae oppidis fuisse. sed tamen Augustioi nomioe potissimum et factis inclaruit. eandem urbem templa multa ornabant, qoorum praecipuum fuisse videtnr, qnod *Ecclesia Pacis* dicebatur (3). erat ibidem alterum io subnrbio, quod *ad Viginti Martyres* nomioabant, *quorum*, inqnit Angustious (4), *Memoria apud nos est celeberrima*. Basilicam ad octo Martyres, et Memoriam s. Martyris Stephani et Xenodochium et Monasterium in eadem urbe conditom idem commemorat (5). in agro etiam Memoria Martyrum Mediolanensiom Protasii et Gervasii stabat ad Villam Victorianam (6): in qua sermonem ab Aogustino habitom poto, qui inscribitur *In natali Martyrum Protasii et Gervasii* (7). Concilium deniqoe Hippone celebratum constat anoo CCCLXXXXIII. magno Episcoporom conventu, cui quadraginta Canones tribuootor iocertae adhuc auctoritatis. aliud item ab ipso Augustioo coactum anoo CCCCXXVI. ut de soccessore deliberaret: cujus gesta litteris mox ipse mandavit (8). dioecesim Hippouensem late loogeque patuisse, idem nos saepe docet: cujus et oppida, praeter Fnssalam et Villam Victoriaoam et Mutugeooam, qoae Episcopos acceperuot, ab eodem io epistola LXIII. cientur Subsana, Turres, Ciza, Verbalis, et in epistola LXV. Fuodus Strabonianensis, qnibns singulis Presbyteri Curióoes praepositi erant.

THEOGENES. Concilio Cypriaui tertio de Baptismo hic ioterfuit ao. CCLV. sententiamqoe in eo decimus tertios dixit. idem vero esse putatur, qnem Aogustious inter Martyres numerat, ubi hooores Martyrum ab adoratione distinguens, quae Deo debetur, *Quando audistis*, inqoit (9), *dici apud Memoriam sancti Theogenis a me vel ab aliquo fratre et collega meo vel aliquo Presbytero, Offero tibi sancte Theogenis?* is certe in Martyrologio Romano *Episcopus Hipponis Regii* appellatur: sed in Concilii illius exemplaribos *Martyr* non dicitur, io quibus alios, de quibus nihil constat, *Martyres* tamen dictos apparet. in eodem Martyrologio socii tri-

(1) *lib. III. v.* 259.
(2) *epist.* 35. *et de C. D. lib. XXII. c.* 8.
(3) Aug. *epist.* 213. *n.* 1.
(4) *de C. D. lib. XXII. c.* 8. *n.* 9. *et in lib. serm.* 148.
(5) *serm.* 356. *n.* 7. *et* 10. *epist.* 83. *n.* 6.
(6) *de C. D. lib. XXII. c.* 8. *n.* 7.
(7) *serm.* 286.
(8) *epist.* 213.
(9) *serm.* 273. *n.* 7.

buuntur Theogeni Martyres XXXVI. (10) quare nec ad octo, nec ad viginti Martyres Hipponenses pertinuisse videtur. nec illud notum, qua in Basilica esset Memoria illa sancti Theogenis: quamquam sermo ille Hippone habitus jure putatur (11), quippe in eo etiam Hipponensium ebriositatem perstringit Augustinus his verbis: *Oderunt Martyres lagenas vestras*, et quae deinceps.

FIDENTIVS. memorat hunc Augustinus in sermone CCCXXV. qui de *Viginti Martyrum* serie loquens, quos in Hipponensi eorum Basilica commendabat, ait, *Coepit* (series) *ab Episcopo Fidentio, clausit ad fidelem feminam sanctam Victoriam.* at quo hi tempore martyrium fecerint, non indicat. sed si Victoria haec Martyr est, cujus Acta exstant, quae *Saturnini et Dativi* nomen praeferunt, ad Diocletiani aetatem spectant, atque ad annum CCCIII.

LEONTIVS. hujus aetas minus cognita est; nisi quod multo ante Augustinum fuisse liquet. epistolam Augustini habemus a Maurinis primum editam ex codice Bibliothecae urbanae Cisterciensium ad Basilicam Sessorianam: ejus autem titulus est hujusmodi (12): *Epistola Presbyteri Hipponensium Regiorum ad Alypium Episcopum Thagastensium de die Natali Leontii quondam Episcopi Hipponensis:* quae scripta fuit an. CCCLXXXXV. exstat etiam Augustini sermo habitus *in Basilica Leontiana, in die Adscensionis Domini*, in quo haec legimus (13): *Occurrit autem huic Ecclesiae alia vernacula sollemnitas: Conditoris Basilicae hujus sancti Leontii hodie Depositio est.* haec simul juncta satis ostendunt, falsos esse, qui Basilicam Leontianam Carthagine fuisse existimarunt: atque adeo Leontium ipsum ad Hipponem pertinere, ibique eum conditum in cognomine Basilica: quae tamen eadem esse potuit, atque illa, quae *Pacis* dicebatur, aut una aliqua e reliquis, quas superius memoravimus.

FAVSTINVS. erat hic Donatista, ac fortasse sine adversario Catholico: nam ante Valerium pauci admodum Hippone Catholici viri numerabantur. is ad Constantii et Iuliani tempora referendus videtur. quantum hic fuerit, discimus ab Augustino, qui contra litteras Petiliani scribens, libro II. cap. LXXXIII. haec de illo memoriae mandavit: *Nonne*, inquit, *apud Hipponem, ubi ego sum, non desunt, qui meminerint*, (scribebat haec circa annum CCCCII.) *Faustinum vestrum regni sui tempore praecepisse, quoniam Catholicorum ibi paucitas erat, ut nullus eis panem coqueret, ita ut cujusdam Diaconi nostri fumarius inquilinus domnaedii sui panem incoctum abjecerit, eique nulla exsilii lege damnato, communicationem, non solum in civitate Romana, sed etiam in patria sua, nec solum in patria sua, sed etiam in domo sua negaverit?*

VALERIVS. hic jam pontificatum gerebat, quum Augustinus in Africam rediit, id est anno CCCLXXXVIII. *homo natura Graecus* a Possidio dicitur (14), *minusque Latina lingua et litteris instructus*, at idem *vir pius*

(10) *ad diem 26. Ian.*
(11) v. *serm.* 213. *n.* 8.
(12) *epist.* 29.
(13) *serm.* 262. *n.* 2.
(14) *in vita Aug. c.* 5.

et Deum timens. ab hoc Augustinus, quum forte Hipponem venisset, Presbyter primum, deinde et Episcopus, qui sibi succederet, factus est, ignorante utroque, id a Concilio Nicaeno prohibitum fuisse (15). decessit Valerius circa annum CCCLXXXXVI. habuerat autem adversarium Proculejanum Donatistam, quem superstitem reliquit, ut ex litteris Augustini discimus, quas ante Collationem scripsit: ceterum non multos in annos, nam anno CCCCVIII. jam ei successerat Macrobius, quemadmodum ejusdem Augustini epistolae ostendunt.

AVGVSTINVS. factus hic Episcopus fuerat anno CCCLXXXXV. ut in Prosperi chronico traditur: *Augustinus beati Ambrosii discipulus, vir multa facundia doctrinaque excellens, Hippone Regio in Africa Episcopus ordinatur.* anno CCCLXXXXVII. Concilio Carthaginiensi, tertio ex Aurelianis, interfuit, eique tertius subscripsit (16). anno CCCCXI. Carthaginem rediit Collationis caussa, cujus pars magna fuit. in ea, quum ipsius subscriptio recitata esset, processit adversarius ejus Donatista Macrobius, qui ait (17), *Agnosco illum.* ad Milevitanum item Concilium se contulit Augustinus anno CCCCXVI. nomenque ejus legitur initio epistolae, quae tunc ad Innocentium Pontificem maximum a Patribus, qui eo convenerant, missa est (18). de exitu ejus Prosper idem ad annum CCCCXXX. *Augustinus Episcopus per omnia excellentissimus moritur quinto kalendas Septembris, libris Iuliani inter impetus obsidentium Vandalorum, in ipso dierum suorum fine respondens, et gloriose in defensione Christianae gratiae perseverans. e vita migravit annos natus septuaginta sex, quorum ferme quadraginta in obeundis tum presbyteratus tum episcopatus officiis exegerat, a Deo videlicet tam producta aetate donatus, ut Ecclesiae utilitati et felicitati serviret.*

HERACLIVS. hunc Augustinus anno CCCCXXVI. Ecclesiae suae proposuerat, quem Episcopum post se constituerent: de quo in Gestis haec habet (19): *Non opus est me de laudibus ejus aliquid dicere: faveo sapientiae, et parco verecundiae. sufficit quia nostis eum; et hoc me velle dico, quod vos velle scio; et si ante nescirem, hodie probarem.* noluit autem eum Episcopum fieri, ante quam ipse obiisset, ut ipse sub Valerio ordinatus fuerat; quod jam norat, minus legitime id factum fuisse. *Erit,* inquit (20), *Presbyter, ut est, quando Deus voluerit, futurus Episcopus.* verum quid deinde contigerit, ignoramus; nec Heraclium Hippone functum pontificatu veri simile est, quum ea urbs post Augustini obitum *incolis destituta ab hostibus fuerit concremata*, ut Possidius testatur (21).

SERVANDVS. post longa saeculorum sex intervalla, prodit hic, a Gregorio VII. Pontifice maximo Archiepiscopus Hipponensibus datus: ad quos idem sic scripsit anno MLXXVI. (22) *Servandum Archiepiscopum, quem a*

(15) Aug. *epist.* 213. *n.* 4.
(16) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 970.
(17) *Cognit. I. n.* 138.
(18) apud Hard. *ibid. p.* 1221.
(19) *epist.* 213.
(20) *ibid. n.* 5.
(21) *in vita August. c.* 28.
(22) apud Hard. *Conc. T. VI. p.* 1541.

vobis electum ad nos consecrandum misistis, juxta petitionem vestram secundum legem nostram divina favente clementia consecravimus; atque consecratum nostrisque legalibus moribus, in quantum possibilitas spatiumque temporis indulsit, diligenter instructum ad vos remisimus etc.

Trecentis post annis nomina rursum audita Episcoporum Hipponensium, qui tamen ornamentarii fuerunt, nec unquam in Africa versati sunt (a3). placuit scilicet multis titulus ab urbe petitus, quam Augustinus nobilitarat.

IOANNES an. M.CCC.LXXV. vice sacra functus Archiep. Mogunt. (*Thuring. sacr. p. 195*).
HENRICVS an. M.CCC.LXXXXIII. (Lunig. *Spicil. Eccles. T. XXI. p. 58. in append.*)
GRISNIVS an. M.CCCC.XXIII. Episc. Rosseus. in Scotia (*ex lib. Arch. sacri Colleg.*)
PETRVS an. M.CCCC.XXXIII. (*in Reg. Eugenii IIII. etc.*)
GVNDISALVIVS Monaudius an. M.CCCC.XXXXV. (*ex Arch. Vatic.*)
VOLFANGVS an. M.CCCC.XXXXVIII. (Hausiz. *Germ. sacr. T. I. p. 848*).
PETRVS de Melino an. M.CCCC.XXXXVIII. (Wading. *T. XII. p. 10. etc.*)
NICOLAVS an. M.CCCC.LI. (Freher. *Rer. Germ. Script. T. II. p. 52. etc.*)
ANTONIVS Brussonius, cui successit
IOANNES an. M.CCCC.LXIII. (*Bull. Pii II. in Arch. Vat.*)
ROBERTVS Clementis an. M.CCCC.LXVIIII. (Marten. *vet. Mon. T. VI. p. 64. etc.*)
BERNARDVS Seratius an. M.CCCC.LXXVIII. (*Mon. Arch. Vatic.*)
NICOLAVS Capseus an. M.CCCC.LXXXXI. (Hausiz. *Germ. sacr. T. I. p. 848.*)
FRANCISCVS an. M.CCCC.LXXXXVII. (*Bull. Alex. VI. in Arch. Vat.*)
GVILLELMVS Serra an. M.CCCC.LXXXXVIII. (Wading. *T. XV. p. 165. etc.*)
TILIMANVS an. M.CCCC.LXXXXVIII. (*ex lib. Arch. Sacr. Colleg.*)
NICOLAVS an. M.D.VIII. (*Bull. et Brev. Iulii II.*)
BARPTOLEMAEVS an. M.D.XI. (*Bullar. Ord. Domin. T. IIII. p. 293.*)
ELIAS de Bucha an. M.D.XXIII. (*Bull. Hadriani VI. etc.*)
IOANNES Reiberus an. M.D.XXV. (*Bibl. Carmel. T. II. p. 75. etc.*)
IOANNES Reuter an. M.D.XXVIII. (*Bibl. Carmel. T. II. p. 945. etc.*)
IOANNES Maxauasseus an. M.D.XXXI. (*Reg. Bullar. Clem. VII. etc.*)
GVILLELMVS an. M.D.XXXII. (*Act. Consist. etc.*)
PETRVS Giachinus an. M.D.XXXIII. (*Bull. et Brev. Clem. VII.*)
SEBASTIANVS de Valle Oleti an M.D.XXXVI. (*Mon. Arch. Vatic.*)
IOANNES MARIA Canigianus an. M.D.XXXX. (*Act. Consist. et Bull. Paulli III.*)
PETRVS Ferdinandus an. M.D.XXXXII. (*Act. Consist. et Bull. Iulii III.*)
FRANCISCVS an. M.D.LIII. (*Act. Consist.*)
PETRVS an. M.D.LVIII. (*in Mon. Arch. Vatic.*)
IOANNES DOMINICVS Annius an. M.D.LXI. (*Act. Consist.*)

(a3) *suppedit. Marinius vir opt.*

PETRVS Vrsinus an. M.D.LXXX. (*Act. Consist.*)
DIONYSIVS Hernaultins an. M.D.LXXXII. (*Act. Consist.*)
IOANNES Salius an. M.DC.III. (*Act. sacr. Coll.*)
MICHAEL Dzialynschius an. M.DC.XXIII. (*Brev. Vrbani VIII. etc.*)
ALBERTVS Pileovitzius an. M.DC.XXXXVIII. (*Act. Consist.*)
LVDOVICVS a Sousa an. M.DC.LXXI. (*Act. Consist.*)
FRANCISCVS Dumontius an. M.DC.LXXX. (*Act. Consist.*)
ANTONIVS Botiadius an. M.DC.LXXXXVI. (*Act. sac. Colleg.*)
FRANC. IVLIANVS Bradensis an. M.DCC.III. (*Act. sac. Colleg.*)
IOAN. PAVLLVS Mariconius an. M.DCC.XXVII. (*Act. sac. Colleg.*)
FRANC. IGNATIVS Vuisokius an. M.DCC.XXVIII. (*Act. sac. Colleg.*)
PETR. LVDOVICVS Iasquetius an. M.DCC.XXXVI. (*Brev. Clem. XII. etc.*)
BARPTOLEMAEVS Menochius an. M.DCC.LXXXXV.

CCLXXV. **HIRENENSIS**

Nulla oppidi hujus vestigia apud Geographos, sive *Hiren* aut *Iren*, sive *Hirena* aut *Hirina* nomen fuerit: nam varia lectio est. illud tantummodo compertum habemus, in provincia Byzacena fuisse.

TERTVLLIANVS. numeratur hic in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. inter Episcopos Catholicos, qui serius adfuere, postquam ceteri Mandato subscripserant: qui propterea sub finem primae Cognitionis accedens ait (1), *Mando et consentio*.

SATVRVS. hunc Notitia nonagesimum quartum recenset inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. ad Carthaginiensem conventum profecti, Regis Hunerici jussu in exsilium simul cum reliquis pulsi sunt.

THEODORVS. subscripsit hic epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletarum novitates (2): cujus exemplum exstat in Actis veteris Concilii Lateranensis.

(1) *Cognit. I. n.* 215. (2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 740.

CCLXXVI. **HIZIRZADENSIS**

Erat *Hizirzada* in provincia Numidia, ut Notitia demonstrat; sed quale oppidum, aut quibus finitimum esset, a veteribus traditum non reperio.

FELIX. adfuit hic cum Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua, postquam subscriptio ejus prolata fuit, adjecit (1), *E diverso est mihi Saturus.* atque hic progressus in medium, de Felice ait, *Presbyter meus erat.*

VIGILIVS. est hic ordine quinquagesimus quintus in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. ad conventum

(1) *Cognit. I. n.* 133.

Carthaginiensem evocatos simul cum reliquis exsilio affecit. ac Vigilius quidem Africam nunquam revisit, peregre defunctus, ut apposita mortis nota declarat.

CCLXXVII. HONORIOPOLITANVS

Provinciae Proconsularis oppidum *Honoriopolim* ab Honorio Aug. vel conditum vel restitutum fuisse, ipsa appellatio indicat. ceterum multis quidem legibus Honorium Africae consuluisse scimus, quas in codice Theodosiano recognoscere licet; sed quid praeterea ibidem praestiterit, ignoramus: nisi quod Notitia Imperii Occidentis recenset intra Africam cum viro spectabili Comite Africae *Equites Honorianos juniores* (1), qui tamen in aliis etiam provinciis occurrunt.

SERVVS DEI. interfuit hic anno DXXV. Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius cum quinquaginta octo Episcopis celebravit (2): qui fere omnes, Legatis provinciarum exceptis, e Proconsulari erant.

(1) apud Pancirol. *p.* 136. (2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

CCLXXVIII. HORREAE ANINICENSIS

Horream pro *Horreum* Latinos quandoque dixisse, auctor est Nonnius (1). vicum autem *Horream Aninicensem* provinciae Byzacenae adscripsit Harduinus: quod veri omnino simile est: nam in eadem provincia fuere etiam *Horrea Caelia:* et nusquam frumenti plus Africa metebat. at in cognomine mendum inesse puto, legendumque *Aniciensis:* quippe Itinerarium Antonini in eo tractu Tripolitanam versus habet *Casas Villam Aniciorum*, et *Megradi Villam Aniciorum:* ut Horrea etiam eorundem illic fuisse vix dubitem.

CRESCONIVS. erat hic e grege Donatistarum, cumque his an. CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, in qua citatus ait (2), *Mandavi et subscripsi.*

(1) *cap. III. n.* 110. (2) *Cognit. I. n.* 198.

CCLXXVIIII. HORREAE CAELIENSIS

Oppidum provinciae Byzacenae fuit *Horrea Caeliae*, quod et *Horrea Caelia* appellabatur, situm inter Putput et Adrumetum, ut Itinerarium Antonini demonstrat. cietur in Notitia centesimo decimo tertio loco, sed sine Episcopo, quippe qui paullo ante defunctus fuerat, Rege Hunerico eluso, qui eum cum ceteris exsilio destinarat.

TENAX. Concilio Cypriani tertio de Baptismo hic adfuit anno CCLV. sententiamque in eo dixit sexagesimus septimus.

IANVARIVS. interfuit hic cum Donatistis suis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, inter quos citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi.*

(1) *Cognit. I. n.* 201.

HILARINVS. occurrit hic in Concilio Carthaginiensi, quod Aurelius coëgit anno CCCCXVIII. in eoque provinciae suae legatione functus, Decretis subscripsit (2).

(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1250.

CCLXXX. **HORREENSIS**

Provincia quoque Proconsularis *Horrea* habuit sua: ut Conciliorum subscriptiones ostendunt: quamquam si Peutingeri tabulas excipias, nulla loci indicia apud veteres Geographos reperiuntur. nec tamen id mirum videri debet, quum haec initio vix in vicorum numero haberi possent, ut nomen ipsum satis declarat.

AVVS. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi, quod a Bonifacio celebratum est anno DXXV (1).

DONATVS. interfuit hic Concilio Proconsulari an. DCXXXXVI. cui praefuit Gulosus Episcopus Ecclesiae Pupitanae, quod nondum designatus esset Victor Carthaginiensis. in subscriptione autem epistolae synodicae, quae tunc a Patribus missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum, appellatur Donatus apud Harduinum *Episcopus sanctae Ecclesiae Hortensis* (2), sed apud Baluzium ex codice Bellovacensi *Horreensis:* quod praeferendum est: neque enim alius Episcopus *Hortensis* invenitur.

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082. (2) *ibid. T. III. p.* 751.

CCLXXXI. **HORRENSIS**

Sic effertur Episcopatus hic in Notitia, quae provinciae Mauretaniae Sitifensi adscribit: in qua item *Horream* agnoscit Ruinartius, Anonymi Ravennatis auctoritatem, qualiscumque est, sequutus (1).

VICTOR. est hic ordine septimus Episcoporum, qui ex Mauretania Sitifensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem, ab Rege Hunerico evocati, petiere, ac post conventum illum cum reliquis Episcopis in exsilium ejecti sunt.

(1) *in not. ad Notit. prov. Sitif. n.* 7

CCLXXXII. **HOSPITENSIS**

Nomen oppidi *Hospitia* fuit, quod initio nil aliud, quam Mansio sive diversorium esset. provinciae Numidiae adtribuit Notitia: Geographi veteres non memorant.

BENENATVS. Carthaginem hic se contulit anno CCCCXI. Collationis caussa, in qua subscriptio ejus recitata est (1). erat autem e Catholicorum numero, atque, ut apparet, satis strenuus adversus Donatistas. nam quum de Ecclesia sua dixisset, *In loco meo alius non est Episcopus,* produit

(1) *Cognit. I. n.* 133.

Lucullus, qui se Hospitensem Episcopum jactabat, et ait, *Persequutio semper me fugavit.* idemque postea citatus (2), *Mandavi*, inquit, *et subscripsi: duo adversum me habeo, et ordinaverunt modo unum.* quae dicta interpretor de alio Episcopo adversus eum alio in vico, quo ipse concesserat, constituto; ne Catholici a Lucullo in errorem adducerentur.

GEDALIVS. est hic centesimus decimus inter Episcopos Numidicos, qui anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem a Rege Hunerico in exsilium cum reliquis pulsi sunt.

(2) *Cognit. I. n.* 198.

CCLXXXIII. IACTERENSIS

Numidiae oppidum hic designatur, quod *Iactera* et *Zactara* aut *Zattara* efferri solebat, prout quisque magis probabat. nam qui in Notitia *Iacterensis* est, idem apud Victorem Vitensem dicitur *Zattarensis:* alii vero Episcopi ex eadem Numidia *Zactarenses*. Geographi tamen novi nihil in hanc rem suppeditant.

LICENTIVS. adfuit hic anno CCCCXI. Catholicos inter Collationi Carthaginiensi, in qua citatus (1), quum *praesto se esse* dixisset, de Ecclesia sua adjecit, *Catholica est ibi.*

IANVARIVS. hunc primum Victor facit e quatuor Episcopis, qui obtulerunt (2) Regi Hunerico libellum *Professionis fidei Catholicorum Episcoporum*, an. CCCCLXXXIIII. quo item anno post conventum Carthaginiensem in exsilium cum ceteris profectus est, quinquagesimus inter Numidicos Episcopos in Notitia numeratus.

FELIX. hic anno DXXV. legatus provinciae Numidiae interfuit subscripsitque Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius coegit (3). idem etiam anno DXXXV. Carthaginem rursus petiit, et Concilium cum Reparato celebravit, in quo de libertate monasteriorum actum est (4), quam ipse potissimum adseruit.

CRESCONIVS. interfuit hic Concilio oecumenico Constantinopolitano anni DLIII. cui et subscripsit his verbis (5): *Cresconius misericordia Dei sanctae Ecclesiae Catholicae Municipii Zattarensis provinciae Numidiae, similiter.*

(1) *Cognit. I. n.* 128.
(2) *Pers. Vand. lib. II. c.* 23.
(3) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1081.
(4) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1177.
(5) *ibid. T. III. p.* 203.

CCLXXXIIII. ICOSITANVS

Oppidum *Icosion*, quod Vespasianus jure Latii donavit (1), in Mauretania Caesariensi erat, cujus fabulosam originem Solinus exposuit (2). *Hercule*, inquit, *illac transeunte, viginti, qui a comitatu ejus desciverant,*

(1) Plin. *H. N. lib. V. c.* 2.
(2) *Polyhist. c.* 25.

locum deligunt, jaciunt moenia: ac ne quis imposito a se nomine privatim gloriaretur, de condentium numero urbi nomen datum. nam Εικοσι Graece est *viginti*, unde *Icosion* ductum. Itinerarium Antonini Coloniae Ang. Rusconiis proximum designat, Vthisiae Mela.

CRESCENS. erat hic e grege Donatistarum, inter quos anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, ac citatus (3), *Mandavi*, inquit, *et subscripsi.*

LAVRENTIVS. adfuit hic Carthagine anno CCCCXVIIII. et in Concilio ab Aurelio indicto functus est legatione provinciae suae (4): eique de more subscripsit. huic aliquando interdictum infulis et pedo, non obscure indicat Augustinus in epistola CCVIII. quam scripsit ad Caelestinum P. M. aliorum enim poena commemorata, *Clamet*, inquit, *tertius ejusdem provinciae* (Caesariensis) *Laurentius Episcopus, et prorsus hujus vocibus clamet, aut in cathedra, cui ordinatus sum, sedere debui, aut Episcopus esse non debui.*

VICTOR. est hic ordine quinquagesimus nonus in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, quem Rex Hunericus indixerat, subinde cum reliquis ob Catholicam professionem in exsilium pulsi sunt.

(3) *Cognit. I. n.* 197. (4) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1250.

CCLXXXV.

IDASSENSIS

Numidiae oppidum *Idassa*, ut ex Notitia discimus, nec longe a Macomadibus, quod in Collatione Carthaginiensi haud obscure indicatur, atque adeo in media Numidia. ceterum de ea nihil Geographi.

ROGATIANVS. Carthaginem hic cum gregalibus Donatistis profectus anno CCCCXI. Collationi interfuit, et vocatus ait (1), *Et mandavi et subscripsi.* quum autem addidisset, *Non habeo adversarium*, Aurelius Episcopus Ecclesiae Catholicae Macomadiensis haec opposuit: *Habeo Presbyterum in Ecclesia Florentinum: Episcopi fuerunt tres Catholici, jam decesserunt: non potuimus adhuc ordinare. Presbyterum illic habemus Florentinum.*

ADEODATVS. hunc Notitia vicesimum septimum numerat inter Episcopos Numidicos, qui anno CCCCLXXXIIII. pars fuere conventus Carthaginiensis, et ob Catholicae doctrinae studium a Rege Hunerico in exsilium cum ceteris ejecti sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 182.

CCLXXXVI.

IDENSIS

Geminam Africae *Idam*, atque utramque in Mauretania Caesariensi, Notitia facere videtur. sed meminisse oportet, geminos quandoque in Africa unius urbis Episcopos inveniri; quod lege sancitum esset, ut Episcopus Donatista, si ad Ecclesiam Catholicam accederet, eodem gradu haberetur. ex eadem Ecclesia fuisse, quem Cyprianus in epistola XXIII. commemorat,

Gajum *Diddensem* Presbyterum, credibile est: neque enim *Didda* usquam occurrit. ceterum ipsa Ida a Geographis praetermittitur.

SVBITANVS. est hic ordine decimus quartus inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui ad conventum Carthaginiensem profecti, quem anno CCCCLXXXIIII. Rex Hunericus indixerat, exinde cum reliquis Episcopis exsilio multati fuere. peregre autem defunctum Subitanum nota mortis adscripta ostendit.

FELICIANVS. hic alter Episcopus Idensis est, quem eadem Notitia decimum sextum recenset inter Episcopos ejusdem provinciae, quibuscum Subitanus conventum celebravit, et in exsilium ivit. hunc autem esse, qui Donatistas reliquerat, ordo scriptionis indicare videtur. juniores enim posteriore loco exhiberi putantur.

CCLXXXVII. IDICRENSIS

Fuit *Idicra* in Numidia, inter Milevum et Cuiculos, ut ex Itinerario Antonini discimus: antiquiores Geographi indictam praeterierunt.

FELIX. hic ille est Donatistarum antesignanus, qui cum Vrbano Formensi Constantii et Iuliani Augg. aevo Catholicos crudelissime vexavit, quos Optatus *duas faculas* appellat (1) *incensas livoribus, quietorum et in pace positorum animos perturbantes.* ac de Felice potissimum (2): *Felix,* inquit, *inter crimina sua et facinora nefanda, ab eo comprehensa puella, cui mitram ipse imposuerat* (virgini nempe Deo devotae) (3) *a qua paullo ante pater vocabatur, nefarie incestare minime dubitavit,* et quae deinceps.

MARCIANVS. interfuit hic cum Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, quumque se *praesto* esse dixisset (4), processit ex adverso Donatista Martialis, qui ait, *Agnosco illum:* atque idem postea citatus (5), *Mandavi,* inquit, *et subscripsi.*

PALLADIVS. hunc Notitia decimum sextum numerat inter Episcopos Numidicos conventus Carthaginiensis, quos Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. cum reliquis exsilio affecit. obiit autem peregre, ut nota mortis apposita declarat.

(1) *de schism. Donat. lib. II. c. 18.*
(2) *ibid. c. 19.*
(3) v. Tertull. *de veland. virg. c. 15.*
(4) *Cognit. I. n. 128.*
(5) *ibid. n. 187.*

CCLXXXVIII. IERAFITANVS

Sitifensi Mauretaniae *Ierafitam* Notitia adscribit, oppidum plane ignotum, cujus nulla apud veteres scriptores vestigia occurrunt.

VICTOR. nonum hunc Notitia recenset inter Episcopos Mauretaniae Sitifensis, qui anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem a Rege Hunerico cum reliquo agmine in exsilium ejecti sunt.

CCLXXXVIIII. **IGILGILITANVS**

Haud obscuri nominis oppidum *Colonia Igilgili* fuit, quam Plinius praeter alios memorat (1), unde et littus *Igilgitanum* dicebatur (2), non longe a Coba municipio, in provincia Sitifensi Numidiam versus.

VRBICOSVS. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, quumque vocatus (3), se *praesto esse* respondisset, praeclarum de Ecclesia sua testimonium dixit, *Sed*, inquiens, *Catholica est omnis ex vetustate.*

DOMITIANVS. quartus hic est in albo Episcoporum Mauretaniae Sitifensis, qui anno CCCCLXXXIIII. Regis Hunerici edicto evocati, Carthaginem communis conventus caussa petierunt, et ob Catholicam professionem simul cum aliis exsilio affecti sunt.

(1) *H. N. lib. v. c.* 2.
(2) Amm. Marcell. *lib. xxviiI. c.* 5.
(3) *Cognit. I. n.* 121.

CCLXXXX. **IOMMITENSIS**

Iomnium Municipium in Mauretania Caesariensi cum Ptolemaeo Antonini Itinerarium ciet inter Rusucurrum Coloniam et Rusazim Municipium item, quae singula maritima oppida fuisse videntur.

HONORATVS. erat hic e grega Donatistarum, quibuscum an. CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, et citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi;* nec de Catholico Episcopo mentionem intulit.

(1) *Cognit. I. n.* 208.

CCLXXXXI. **ITENSIS**

Nulla usquam hujus sive oppidi sive vici indicia, nisi in Notitia, quae Mauretaniae Caesariensi adscribit, et ab Idensi Episcopatu plane distinguit.

LVCIVS. est hic quintus in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. evocati edicto Regis Hunerici, almam urbem petierunt, ut conventui Episcoporum omnium adessent: post quem in exsilium cum ceteris ejecti sunt.

CCLXXXXII. **IVBALTIANENSIS**

Iubaltianam oppidum fuisse provinciae Byzacenae Notitia nos edocet: oppidi autem antiquitatem in ipso nomine recognoscere licet. de eo tamen Geographi veteres non meminere.

GETA. apparet ex codice Canonum Ecclesiae Africanae, legatum hunc fuisse anno CCCCIII. ad Concilium Carthaginiense cum aliis tribus Episcopis provinciae Byzacenae (1). idem vero anno CCCCXI. Collationi Cartha-

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 911. *cap.* 90.

giniensi interfuit, in qua, postquam vocatus *praesto se esse ait* (1), de Ecclesia sua addidit, *Non habeo contra me alium.*

EVSEBIVS. hunc Notitia centesimum sextum recenset in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem cum aliis convenere, et communem exsilii poenam ab Rege Hunerico relegati subierunt. Eusebius autem ex iis etiam fuit, quos nota mortis adscripta peregre decessisse demonstrat.

RESTVTVS. hunc quoque cum Holstenio et Baluzio huc pertinere arbitror. subscripsit autem anno DCXXXXI. epistolae Concilii Byzaceni, quae missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletas (3). appellatur quidem multis in exemplaribus *Jubeclidiensis*, sed in codice Bellovacensi *Jubalidiensis*, quae vox minus differt, et ignotas appellationes prae hac rejiciendas admonet.

(2) *Cognit. I. n.* 128. (3) apud Hard. *ibid. T. III. p.* 739.

CCLXXXXIII. IVCVNDIANENSIS

Vicum Numidiae fuisse *Iucundianam*, non est ambigendum. nam in Collatione Carthaginiensi, citatis, post alios quosdam, Episcopis Iucundianensi et Vageatensi, Alypius Tagastensis, id est ex media Numidia, *Scriptum*, inquit (1), *sit, istos omnes in villis vel in fundis esse Episcopos ordinatos, non in aliquibus civitatibus.* haec quippe Alypius de conterraneis Donatistarum Episcopis tamquam testis affirmavit.

SECVNDINVS. adfuit hic anno CCCLXXXXIII. cum Maximianistis Concilio Cabarsussitano, cujus epistolae cum aliis subscripsit (2). dein anno CCCCXI. etiamtum superstes, interfuit Collationi Carthaginiensi, in qua citatus (3), *Et mandavi*, inquit, *et subscripsi: adversarios in Ecclesia non habeo:* nec Episcopum nempe nec Presbyterum Catholicum: quorum sane exiguus tum fuit in Numidia numerus. in antiquis quibusdam Augustini exemplaribus appellatur *Secundus.*

(1) *Cognit. I. n.* 181. (3) *Cognit. I. n.* 180.
(2) apud Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20.

CCLXXXXIIII. IVNCENSIS PROV. BYZAC.

Iunce, quam Geographi veteres indictam praetereunt, in fastis Ecclesiae celebratur Concilii caussa, quod ibidem actum anno DXXIIII. quum Liberatus primatum provinciae Byzacenae obtineret (1): unde legati etiam missi, qui anno insequenti Concilio Bonifacii Carthagine adessent (2). oppidum maritimum fuisse, indicat auctor vitae sancti Fulgentii, qui littus Iuncense memorat, in cujus vicinia Monasterium quoque situm testatur.

VALENTINIANVS. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi inter Donatistas, et citatus ait, *Mandavi, et subscripsi:* nec de adversario

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1085. (2) *ibid. et p.* 1086.

Catholico facta mentio est. porro in codice, ut Harduinus adnotat, *Iuncensis* dicitur (3), at *Inucensis* in editis exemplaribus; idque Norisius praeferebat, quod in provincia Proconsulari fuerit *Unuca* ex Antonini Itinerario cognita, quae et *Inuca* in Tabulis Peutingeri designata credi possit. verum nullus alibi ejus oppidi Episcopus occurrit; nec sine alio codice prima illa lectio rejicienda videtur.

TERTVLLVS. hunc Notitia centesimum quintum recenset inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. Regis Hunerici edicto evocati, Carthaginem ad communem conventum profecti sunt, atque inde cum reliquis in exsilium concesserunt.

VERECVNDVS. memorat hunc Victor Tonnonensis ad annum DLII. et DLIII. profectumque e provincia Byzacena scribit cum iis, quos Iustinianus Aug. Constantinopolim evocavit, quum de tribus Capitulis ageretur. tum de Verecundi exitu haec addit: *Verecundus vero Ecclesiae Iuncensis Episcopus in defensione memoratorum perdurans Capitulorum, Chalcedone urbe, ubi refugium fecerat, in diversorio gloriosae matris Euphemiae de hac vita migravit ad Dominum.* Editio Scaligeri habet *Ecclesiae Nicensis*, quae in Africa nulla fuit, nedum in Byzacena.

NVMIDIVS. subscripsit hic inter postremos epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa fuit ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletarum errores. ceterum in subscriptione appellatur *Episcopus sanctae Ecclesiae Sosianae Iuncis* (4). venit Holstenio in mentem, in autographo scriptum fuisse *Sophianae*, quod in eo oppido templum primarium *Sophiae* (5), id est divinae Sapientiae dicatum esset, quale nempe erat Constantinopoli, Nicaeae, alibi. quidquid statuendum de ea appellatione sit, huc Numidium pertinere arbitror: quum et *Iunco* in Byzacena enuncietur, et *Sosia* oppidum ignotum sit.

(3) *Cognit. I. n.* 187.
(4) apud Hard. *ibid. T. III. p.* 741.
(5) *in adnot. de Patriarch. Rom. p.* 84.

CCLXXXXV. IVNCENSIS MAVR. CAESAR.

Iuncen alteram Notitia demonstrat in Mauretania Caesariensi: quamquam et hanc Geographi neglexere, nisi forte apud eos alio sub nomine latet. nam *Cunugum* prope Caesaream memorat Itinerarium Antonini, cujus oppidi Episcopi non occurrunt.

GLORINVS. hunc Mauretaniae Caesariensis et Tingitanae Primatem fuisse, putare licet: primus enim est in albo Episcoporum provinciae illius, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem a Rege Hunerico indictum profecti, deinde cum aliis, quos Notitia exhibet, ob Catholicae veritatis studium exsilio multati sunt.

CCLXXXXVI. LABDENSIS

Labdam, quae et *Lapda*, provinciae Proconsulari adscribit Notitia: sed quale oppidum aut quibus finitimum esset, veteres non tradidere.

RVFINVS. erat hic e numero Donatistarum, quos inter anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, in eaque citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi.* Catholicus tum Episcopus Labdae fuisse non videtur.

IONA. hunc Notitia decimum octavum recenset in albo Episcoporum provinciae Proconsularis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum a Rege Hunerico indictum se contulere, ac subinde cum reliquis Episcopis exsilio affecti sunt. Ionam autem ex iis fuisse, quos Arianus Rex in insulam Corsicam deportari jussit, adjecta nota demonstrat.

VICTOR. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi (2), quod Bonifacius anno DXXV. celebravit, sub Rege Hilderico, quem Catholici mitem propitiumque experti sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 198.

(2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082

CCLXXXXVII. LACVBAZENSIS

Oppidum *Lacubazam* provinciae Proconsulari adtribuit Harduinus: quod ex Episcopo ejus manifestum non est. sed tamen Ptolemaeus *Vazuam* in Zeugitana agnoscit, unde nomen proximo oppido ad lacum sito factum esse crediderim. nam V et B litterae altera alterius passim vice funguntur.

VINDICIANVS, qui et Vindicius. memoratur hic inter primores Episcoporum, quibuscum Gratus Carthaginiensis anno CCCXXXXVIII. Concilium celebravit: quartus enim in Concilii praefatione cietur (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 685.

CCLXXXXVIII. LACVS DVLCIS

Lacum Regium prope Cirtam memorat Itinerarium Antonini, cujus loci Episcopi nusquam occurrunt. nec tamen affirmaverim huc pertinere.

QVINTIANVS. fuit hic e numero Donatistarum, qui anno CCCCXI. Carthaginem Collationis caussa profecti sunt. ceterum quum ea haberetur, non adfuit. caussam autem exposuit Valentinianus Primiani Diaconus, inquiens (1), *Male habet.*

(1) *Cognit. I. n.* 187.

CCLXXXXVIIII. LAMASVENSIS

Lamasva, quae et *Lamasba*, in Numidia erat, inter Dianam Veteranorum et Zarat, ut Antonini Itinerarium ostendit.

PVSILLVS. interfuit hic anno CCLV. Cypriani Concilio, quod tertium de Baptismo celebratum Carthagine est, in eoque sententiam septuagesimus quintus dixit.

AVITVS. cietur hic inter Catholicos Episcopos Collationis Carthaginiensis anni CCCCXI. qui, quum vocatus se *praesto esse* respondisset, Ianuarium

ex adverso habuit, qui progressus ait (1), *Agnosco illum.* atque hic idem postea citatus (2), *Mandavi*, inquit, *et subscripsi.*

SECVNDINVS. hunc Notitia centesimum duodecimum numerat in albo Episcoporum Numidicorum, qui cum reliquis anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem a Rege Hunerico in exsilium ejecti sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 128. (2) *ibid n.* 187.

CCC. LAMBESENSIS

Haud obscura Numidiae urbs *Lambese*, quae Ptolemaeo *Lamboesa* est, et statio Legionis Augustae tertiae: Itinerarium Antonini memorat inter Tamugadim et Dianam. eodem pertinet inscriptio a Maffejo vulgata (1), quae statuam, opinor, positam testatur Antonino Caracallae *Lambasentium Decreto.* ejusdem mentio etiam fit in Actis sanctorum Mammarii et sociorum, quae Mabillonio debemus (2). Lambesitanam Coloniam vocat Cyprianus in epistola ad Cornelium, et jamtum Concilium ibidem nonaginta Episcoporum celebratum scribit, in quo Privatus haereticus damnatus est.

PRIVATVS. erat hic Episcopus jam ab anno CCXXXX. eo enim anno damnatus creditur. de eo Presbyteri et Diaconi Ecclesiae Romanae meminere his verbis in epistola ad Cyprianum (3): *Quod autem pertinet ad Privatum Lambesitanum, pro tuo more fecisti, qui rem nobis tamquam sollicitam nuntiare voluisti.* diu enim ille post sententiam Episcoporum molestiam Ecclesiae exhibuit, et schismatis eorum fautor fuit, qui Cypriano adversabantur.

IANVARIVS. sententiam hic dixit sexto loco in Concilio Carthaginiensi anni CCLV. quod Cyprianus tertium de Baptismo convocavit.

FELIX. Carthaginem hic petiit anno CCCCXI. ut Collationi adesset: verum citatus non apparuit, quod aegrotaret. inde orta contentio inter Catholicos et Donatistas, quorum e numero erat Felix: quaerentibus illis, quomodo subscribere potuisset, post altercationem Petilianus Donatista reposuit (4): *credo quod alicui mandaverit pro se subscribi ille Felix, et in nomine sedis vel loci factus est error: quem aut simpliciter accipiant, aut facimus hujus nominis jacturam.* Felix enim *Lambiensis* erat, de quo quaerebatur, et in subscriptione *Zummensis* dicebatur, qui omnino alius erat a *Lambiensi*, et antea memoratus fuerat, tamquam Silvani Zummensis Catholici adversarius (5).

(1) *Mus. Ver. p.* 458. *n.* 6.
(2) *in Anal. T. III.*
(3) *epist.* 30. *inter Cyprian.*
(4) *Cognit. I. n.* 201
(5) *ibid. n.* 114.

CCCI. LAMBIRITANVS

Lambirias sive *Lamvirias* oppidum Numidiae fuisse, Notitia testatur: nomen tamen ejusmodi apud Geographos veteres non invenias.

CRESCENTILIANVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua vocatus inter Donatistas, ait (1), *Mandavi et subscripsi:* tum de Ecclesia sua adjecit: *Et profiteor me traditores non habere.* contra quae Aurelius Episcopus Ecclesiae Catholicae Macomadiensis, *Superflue*, inquit, *profiteris: Episcopus ibi fuit, proxime defunctus est: ordinandus illic erit alius.* ceterum nomina utriusque ignoramus.

BENENATVS. est hic ordine decimus nonus in albo Episcoporum Numidicorum, qui an. CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum profecti, subinde cum reliquis a Rege Hunerico ob studium Catholicae veritatis in exsilium pulsi sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 206.

CCCII.

LAMFVENSIS

Numidiae oppidum *Lamfuam* Notitia una demonstrat: quod et *Lampua* alibi appellatur: nam P et F affines litterae sunt.

SAFARGIVS. interfuit hic anno CCCCXI. Catholicis cum Episcopis Collationi Carthaginiensi, in qua, subscriptione ejus recitata, quum prodire Donatista Episcopus deberet, qui eum sibi cognitum testaretur, hujus, qui aberat loco sic interloquutus est Valentinianus Primiani Diaconus ( ): *Senis Cartheri est plebs, sed absens est, pedibus laborat: propterea venire non potuit.*

MAXIMVS. est hic octogesimus septimus inter Episcopos Numidiae, qui anno CCCCLXXXIIII. postquam se Carthaginem conventus caussa contulerunt, inde cum ceteris Episcopis a Rege Hunerico relegati sunt. peregre autem defunctum Maximum nota mortis adscripta indicat.

PONTIVS. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi anni DXXV. quod Bonifacius, Rege Hilderico favente, celebravit (2).

(1) *Cognit. I. n.* 133. (2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

CCCIII.

LAMIGGIGENSIS

Geminam in Numidia *Lamiggigam* fuisse, et Collationis Carthaginiensis et ipsius Notitiae auctoritate manifestum est. at veteres Geographi neutram memorant.

INNOCENTIVS. adfuit hic an. CCCCXI. Collationi Carthaginiensi inter Catholicos; ejusque subscriptione recitata, quum se *praesto esse* dixisset, adversarius ejus Iunianus Donatista, qui fortasse recens factus fuerat Episcopus, ait (1), *Nec ego illum novi, nec ipse me.* atque hic idem postea citatus (2), accessit rursum, ac *Mandavi*, inquit, *et subscripsi.*

MAXIMVS. hunc Notitia centesimum primum recenset inter Numidicos Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquo Episcoporum agmine, Regis Hunerici jussu in exsilium abducti sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 133 (2) *ibid. n.* 198.

CCCIIII. LAMIGGIGENSIS qui et LAMIGENSIS

Alterutrum e duobus hisce oppidis Gregorii Magni aevo exstabat etiamtum: memorat enim ipse, ut mox ostendemus, Ecclesiam *Lamigensem*, quae vix alia putari potest, etsi demptis aliquot litteris appellatio facta brevior est, sive scribarum vitio, sive consuetudine populorum, penes quos arbitrium loquendi semper fuit.

RECARGENTIVS. erat hic e grege Donatistarum, quos inter an. CCCCXI. Collationem Carthaginiensem celebravit; et quum citatus esset, *Mandavi*, inquit (1), *et subscripsi: adversarium non habeo.* ceterum Catholicos Lamiggigae tum aliquot fuisse apparet: nam Aurelius Episcopus Macomadiensis subjecit: *Illic est Crescentianus Presbyter.*

CARDELVS. est hic ordine centesimus vicesimus secundus in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem relegavit. incertum tamen est, num Cardelus potius, quam Maximus, quem superius recensuimus, oppido huic praefuerit. nullum enim loci indicium Notitia suppeditat.

ARGENTIVS. hujus meminit Gregorius Magnus in epistola (2) ad Hilarum Rectorem Patrimonii Germaniciani: *Felicissimus*, inquit, *atque Vincentius Diacones Ecclesiae Lamigensis, oblata petitione, quae tenetur in subditis, suggesserunt, ab Argentio ejusdem civitatis Episcopo gravem se injustitiam pertulisse, et accepto praemio Donatistas in Ecclesiis fuisse praepositos, eumque inter alia non leve aliud facinus, quod dici nefas est, commisisse commemorant. propterea experientiae tuae praesentis praecepti pagina duximus injungendum, quatenus praefatum Episcopum idoneae satisfactioni committere non omittas, tuaque instantia in locis illis fiat ex more Concilium, et omnia secundum oblatae petitionis textum canonice coram positis partibus subtili indagatione perquirantur etc.*

(1) *Cognit. I. n.* 188. (2) *lib. I. epist.* 84.

CCCV. LAMSORTENSIS

Fuit et *Lamsorta* in Numidia, quemadmodum Notitia nos addocet: verum nulla oppidi vestigia apud Geographos.

ANTONIANVS. fuit hic e primoribus Donatistarum, qui an. CCCCXI. Carthaginem Collationis caussa convenerunt. subscriptio enim ejus septima ordine fuit (1): eademque serie rursum ipse citatus est (2), quum ait, *Mandavi et subscripsi*, et de Ecclesia sua adjecit, *Non illic habeo adversarium.*

FELIX. hunc Notitia vicesimum tertium numerat inter Numidicos Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. quum Carthaginem ad conventum a Rege

(1) *Cognit. I. n.* 149. (2) *ibid. n.* 163.

Hunerico indictum profecti essent, ejusdem jussu in exsilium cum reliquis pulsi sunt.

FLORENTIVS. interfuit hic Concilio Carthaginiensi anni DXXV. quod Bonifacius coëgit, eique decimus sextus subscripsit (3).

(3) apud Hard. Conc. T. II. p. 1082.

CCCVI. LAMZELLENSIS

Oppidum Numidiae *Lamzellum* fuisse, ex Collatione Carthaginiensi discimus, idque Antonini etiam Itinerarium quadamtenus confirmat, in quo Macomadia, quae Lamzello proxima fuit, in itinere a Theveste Cirtam demonstratur.

GILDO. functus hic pontificatu Lamzellensi est ante Collationis Carthaginiensis tempora, sive annum CCCCXI. nam quum in illa gloriatus esset Donatianus ex factione Donatistarum, sibi nec esse nec fuisse adversarium Catholicum, atque adeo ne ullum quidem futurum, Aurelius Episcopus Ecclesiae Catholicae Macomadiensis reposuit (1): *Rufus Episcopus ibi fuit noster. Lamzelli in Basilica nostra positus est Gildo scriptum sit, dum expectatur electio: ceterum in nomine Christi ordinabitur illic Episcopus.* itaque Gildonem in Basilica illa compositum ante fuisse ostendit, et sepulcri ejus testimonio usus quodammodo est, ut Episcopum Catholicum Lamzelli jamdiu fuisse evinceret. male quidam Gildonem tyrannum hunc credunt, qui Christianus non erat, et se ipse interemerat (2).

RVFVS. hic post Gildonem fuisse videtur: nam eum Aurelius Macomadiensis tamquam postremum memoravit et sibi aliisque cognitum: nam quum tria affirmasset Donatianus, nempe Episcopum Lamzelli non esse, non fuisse, non futurum, singula ut refutaret, primum nominavit Rufum tamquam aequalem Donatiani, deinde Gildonem velut antiquiorem, demum jamjam electum iri tertium dixit, qui ei adversaretur, ut ceteri, qui ante fuerant.

DONATIANVS. hic ille est Donatista, quem modo ciebamus. verba ejus in Collatione prolata sunt hujusmodi: *Mandavi et subscripsi: Traditorem autem nec habeo, nec habui, nec habiturus sum:* quae, ut ajebam, Aurelius Macomadiensis quam futilia essent, apprime ostendit. quis autem ille fuerit, quem Catholici Donatiano opposituri tum erant, non accepimus.

(1) Cognit. I. n. 206. (2) Baluz. et Tillem.

CCCVII. LAPIDIENSIS

Lapidiam oppidum Mauretaniae Caesariensi in Notitia adtributum ipsam esse Ptolemaei *Laudiam* fatendum est: nam et locus respondet, nec in appellatione discriminis multum inest: quippe *Laudia* et *Labdia* idem: hinc *Lapdia* factum, ac demum *Lapidia,* nisi hoc scribae potius mendum haberi debet, quod codicis alicujus ope, si emerget aliquando, planum fiet.

RESTVTVS. est hic ordine sexagesimus primus in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, exinde in exsilium cum reliquis a Rege Hunerico acti sunt. fuit autem Restutus ex eorum numero, qui peregre defuncti Ecclesiam suam non reviserunt, quod nota mortis nomini ejus adjecta declarat.

CCCVII.

LARENSIS

Civitatem *Larensem* cum Siccensi non semel memorat Victor Vitensis (1), quas in urbes Rex Hunericus eos cogendos curaverat, quos deinde in desertas Africae regiones perduci jussit. ea esse videtur, quae Laribum a Procopio, et in Itinerario Antonini *Larium Colonia* dicitur, atque in itinere a Carthagine Cirtam designatur. sitam eam in finibus provinciae Proconsularis plerique omnes arbitrati sunt, qui haec attigere, Harduinus, Ruinartius, alii: et vicina illi Sicca Veneria confirmat, quam in eadem provincia fuisse exploratum est.

HORTENSIANVS. interfuit hic primum Concilio Carthaginiensi anni CCLII. in quo de lapsis actum est (2): deinde alteri, quod tertium de Baptismo coactum est anno CCLV. in quo vicesimus primus sententiam dixit (3), *a Laribus* appellatus.

VICTORIVS. hunc anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi adfuisse constat, in qua citatus (4), quum se *praesto esse* dixisset, adversarium habuit Honoratum, qui ait, *Agnosco illum.* atque hic idem postea vocatus, *Mandavi*, inquit (5), *et subscripsi.*

QVINTIANVS. memorat Victor Vitensis (6) binos Episcopos Paullum et Quintianum, qui sub initium maximae illius cladis, quam Rex Hunericus Catholicis intulit, imagines quasdam futurae calamitatis sibi divinitus ostensas exposuerunt: subinde vero Siccensem et Larensem civitates enunciat; demum de Episcopis, Presbyteris, Diaconis mentionem facit, qui omnes ante conventum Carthaginiensem *ad exsilium eremi* destinati sunt. porro quia neque Episcopi illi, neque duae istae civitates in Notitia occurrunt, praemissos eos in exsilium puto, et Quintianum Larensem Episcopum facile agnosco, ut ipse orationis ordo poscere videtur. pertinere autem Quintianus dicendus est ad annum CCCCLXXXIII.

VITVLVS. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi anni DXXV. quod Bonifacius sub Rege Hilderico celebravit (7).

(1) *Pers. Vand. lib. II. c. 6. et 9.*
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 133.
(3) *ibid. p.* 166.
(4) *Cognit. I. n.* 131.
(5) *ibid. n.* 197.
(6) *ibid. c. 6. et 7.*
(7) apud Hard. *ibid. T. II. p.* 1082.

CCCVIII.

LARITANVS

Praeter Larium coloniam, designatur a Ptolemaeo Λαρης oppidum Numidiae, occasum versus, unde cives *Laritani* dicti.

RESTITVTVS. erat hic e grege Donatistarum, eosque inter an. ccccxI. Collationi Carthaginiensi adfuit: in qua vocatus ait (1), *Mandavi et subscripsi*, nulla Catholici Episcopi injecta mentione, quem domi adversarium haberet: qua de re alii Donatistarum Episcopi, ex eadem Numidia, in qua plurimi erant, conceptis verbis gloriati sunt, affirmantes sibi adversarium esse neminem.

(1) *Cognit. I. n.* 208.

cccx.

LEGENSIS

Oppidum militari appellatione *Legio* dictum videtur, esto, non ex Grammaticae praescriptis *Legenses* incolae vocati sint, qui *Legionenses* potius nominandi erant. in Numidia fuisse, Notitia indicat: sed ejus apud Geographos nulla mentio, credo, quod nec primarium nec antiquum esset.

DATIANVS. adfuit hic anno ccccxI. cum Catholicis Episcopis Collationi Carthaginiensi, in eaque vocatus, quum se *praesto esse* respondisset, de Ecclesia sua adjecit (1), *Sed alium contra me non habeo.* ceterum Verissimus Donatistarum Tacaratensium Episcopus subinde dixit, *Quatuor sunt in plebe mea, Datianus, Aspidius, Fortunatus et Octavianus:* quae satis ostendunt, Legensem Episcopatum recens tum constitutum in paroecia Tacaratensi.

IANVARIVS. est hic ordine octogesimus quintus inter Numidicos Episcopos, qui anno ccccLxxxIIII. Carthaginem ad conventum a Rege Hunerico indictum profecti, exsilio cum reliquis multati sunt. obiisse autem Ianuarium in ipso exsilio, nota mortis adjecta docet.

(1) *Cognit. I. n.* 121.

cccxI.

LEGIENSIS

In Numidia eadem et *Legensem* et *Legiensem* Episcopatum agnoscit Notitia: contra in Collatione Carthaginiensi *Legenses* gemini occurrunt; ut illud I aut delendum in Notitia sit, aut addendum in Collatione. verum quid potius praestandum sit, veteres Geographi nullo modo significarunt.

CRESCONIVS. erat hic Donatista, et cum gregalibus suis anno ccccxI. Collationem Carthaginiensem celebravit: in qua citatus (1), quum dixisset, *Mandavi et subscripsi*, adjecit, *Adversarium ibi nec habui nec habeo.* sed idem *Legensis* appellatur: quamobrem eodem jure locum sibi vindicare potest, quem superius Datiano tribuimus; quemadmodum et Datianus hunc sibi poscere, siquidem ipse sit, qui *Legiensis* potius, quam *Legensis* appellandus foret.

VICTORINVS. hunc Notitia septuagesimum octavum numerat in albo Episcoporum Numidiae, quos Rex Hunericus anno ccccLxxxIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis relegavit.

(1) *Cognit. I. n.* 187.

cccxiI. **LEGISVOLVMINIENSIS**

Oppidum in Numidia fuisse, cui nomen erat *Legisvolumen,* discimus ex subscriptione Episcopi ejus, qui Concilio Arelatensi interfuit: appellationis caussa ignota est. at nomen ejusmodi jam tum impositum videri possit, quum Numidia a C. Caesare ex regño provincia facta est, et tributis vectigalibusque abrogatis, leges Numidis dictae; quas tunc in volumen relatas esse nemo dubitaverit (1).

VICTOR. adfuit hic inter Patres Concilii Arelatensis, quod celebratum in Galliis est anno CCCXIIII. subscriptio autem ejus, quae post Canones cum reliquis legitur, fuit hujusmodi: *Victor Episcopus de civitate Legisvolumini, provincia Numidia* (2).

(1) v. Hirt. *Bell. Afr.* c. 38. *n.* 97. (2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 267.

cccxiiI. **LEMELEFENSIS**

Oppidum *Lemelefense* Mauretaniae Sitifensi adtribuit Notitia. porro in eadem provincia *Castellum Lemellense* agnoscit Optatus Milevitanus (1); quod illud idem non immerito creditur, quum nulla alibi de hoc mentio fiat. famam ei peperere Martyres duo in oppidi Basilica a Donatistis necati, quos Ecclesia Romana in Martyrologio (2) celebrat. de his Optatus, *Quum altare,* inquit, *defenderent Diaconi Catholici, tegulis plurimi cruentati sunt, duo occisi sunt, Primus filius Ianuarii, et Donatus filius Nini.* quae contigisse videntur sub Iuliano Apostata, quo fautore et patrono animos sumpserant Donatistae: nam id temporis designat Optatus.

PRIMOSVS. vivebat hic circa annum CCCLXII. quo tempore irruptio Donatistarum in castellum illud ipsumque Primosi templum facta est. *De qua re,* inquit Optatus, Donatistas adloquens, *Primosus Episcopus Catholicus loci supra memorati in Concilio vestro apud Thenestinam civitatem questus est, et querelas ejus dissimulanter audistis.*

IACOBVS. est hic decimus sextus in albo Episcoporum, qui e Mauretania Sitifensi Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. petiere, ut conventui adessent, quem Rex Hunericus indixerat: quique cum ceteris exsilio subinde affecti sunt.

1) *de Schism. Donat. lib. II. c.* 18. (2) *ad diem VIII. Febr.*

cccxiiiI. **LEMFOCTENSIS**

Sitifensis Mauretaniae oppidum fuit *Lemfocta,* quae et *Lamfocta.* id non modo ex Notitia compertum habemus, sed etiam ex Ammiano Marcellino (1), qui *Lamfoctense oppidum inter Tyndensium et Massinissensium gentes* commemorat, quas eidem provinciae adtribuit Ruinartius.

(1) *lib. XXVIII. c.* 5.

VINDEMIVS. hunc Notitia vicesimum primum numerat inter Episcopos Mauretaniae Sitifensis, quos Rex Hunericus post conventum Carthaginiensem cum reliquis relegavit.

CCCXV. LEPTIMAGNENSIS

Urbs provinciae Tripolitanae clarissima fuit *Leptis*, quae fere *magna* cognominatur, quod et *Leptis minor* esset, quae in provincia Byzacena erat: patria eadem fuit Severi Aug. quod Spartianus, Eutropius, Aurelius Victor testantur. in nummis antiquis *Colonia Victrix Iulia* dicitur. ceterum apud scriptores minus antiquos etiam *Leptimajus* appellata est, ut altera *Leptiminus*. *Parum* nempe, inquit Salmasius (1), *solliciti illa tempestate fuisse videntur homines, quibus in casibus enuntiarent urbium nomina; tertium enim et quartum frequenter pro recto usurpabant, et sic indeclinabilia faciebant.* quae idem exemplis fusius confirmat. conditam Leptim a Phoenicibus sive Sidoniis sive Tyriis Sallustius et Plinius tradidere: situs ejus inter utramque Syrtim ad Cinyphum fluvium. decus addidit Iustinianus, Africa recepta: nam et ipsam muro cinxit, et in ea Severi Aug. domum restituit, et templa ibidem quinque ab inchoato exstruxit, quorum praecipuum sanctae Genetrici Dei dedicavit: quemadmodum a Procopio traditum est libro VI. ejus operis, quod de aedificiis Iustiniani conscripsit. militem non longe solitum tendere, declarat Notitia Imperii Occidentalis, in qua sub Comite Africae cietur Praepositus Limitis Montensis in castris Leptitanis, iisdemque in castris milites Fortenses sub Duce provinciae Tripolitanae.

DIOGA. aequalis hic Cypriani fuit, proque eo in Concilio Carthaginiensi anni CCLV. sententiam dixit inter postremos Natalis ab Oea: *Tam ego*, inquit (2), *praesens, quam Pompejus Sabratensis, quam etiam Dioga Leptimagnensis, qui mihi mandaverunt, corpore quidem absentes, spiritu praesentes censemus, quod et collegae nostri etc.*

VICTORINVS. interfuit hic cum reliquis Maximianistis Concilio Cabarsussitano anni CCCLXXXXIII. et epistolae synodicae subscripsit, quam nobis Augustinus servavit (3).

SALVIANVS. hic quoque de grege Donatistarum fuit, quos inter anno CCCCXI. adfuit Collationi Carthaginiensi, in qua citatus ait (4), *Mandavi et subscripsi:* nec de Catholico Leptitanorum Episcopo quidquam addidit.

CALIPIDES. primus hic est e quinque Episcopis, quos provincia Tripolitana numerabat anno CCCCLXXXIIII. quo nempe, Carthaginem Regis Hunerici edicto evocati, post conventum illum celeberrimum, Episcopi omnes Catholici in exsilium ejecti sunt.

(1) *ad Spart. in Sever. c. I.* v. et Bochart. *Geogr. sacr. lib. I. c. 24. p. 480.*
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p. 178.*
(3) *in ps. XXXVI. serm. II. n. 20.*
(4) *Cognit. I. n. 208.*

cccxvI. **LEPTIMINENSIS**

Quam prisci scriptores *Leptim minorem* appellant, eadem recentioribus est *Lepti minus,* unde *Leptiminenses* dicti, quos antiqui *Leptitanos* vocant. inter oppida libera numerat Plinius, quae nempe in provincia Byzacena erant, et Hirtius *liberam civitatem et immunem* dicit (1): memorant eandem plerique scriptorum, qui res Romanas attigere. in ora Syrtis minoris sita erat inter Adrumetum et Thapsum, et Ruspinam ab tergo habebat. fuit prope Leptim Monasterium *de Praecisu,* cujus meminit Petrus Abbas in libello, quem obtulit Bonifacio in Concilio Carthaginiensi anni DXXV. ( )

DEMETRIVS. adfuit hic Concilio Carthaginiensi anni CCLV. quod Cyprianus tertium de Baptismo celebravit, in quo etiam tricesimus sextus sententiam dixit.

ROMANVS. occurrit hic inter Catholicos Episcopos, qui anno CCCCXI. Carthaginem Collationis caussa convenere. in ea quum se *praesto esse* respondisset, processit adversarius ejus Victorinus Donatista, qui ait (3), *Agnosco illum:* quique postea citatus (') dixit, *Mandavi et subscripsi.*

FORTVNATIANVS. est hic ordine tricesimus sextus in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem in exsilium cum ceteris a Rege Hunerico pulsi sunt.

CRISCENTINVS. subscripsit hic epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa fuit ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletas (5): quam epistolam in Actis veteris Concilii Lateranensis adhuc legimus.

(1) *Bell. Afric. c.* 9.
(2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1087.
(3) *Cognit. I. n.* 121.
(4) *ibid. n.* 187.
(5) apud Hard. *ibid. T. III. p.* 739.

cccxvII. **LESVITANVS**

In Itinerario Antonini occurrit *Lesbi* inter Sitifim et Saldas prope Tubusuptum, id est in Mauretania Sitifensi, in qua item Notitia Episcopatum Lesvitanum agnoscit. reliqui Geographi de hoc oppido nihil tradunt.

ROMANVS. erat hic e grege Donatistarum, quibuscum an. CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, et vocatus ait, *Mandavi et subscripsi* (1). Catholicum autem Episcopum Ecclesia Lesbitana tum habuisse non videtur.

VADIVS. est hic decimus in albo Episcoporum, qui e Mauretania Sitifensi Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. se contulere, et post communem illum collegarum conventum exsilio cum aliis ab Rege Hunerico affecti sunt.

(1) *Cognit. I. n* 198.

cccxviiI. LIBERALIENSIS

Nomen oppidi fuisse videtur *Liberalia*, quod inde ductum putare possis, quod illic Liberi fanum esset, ibidemque Ludi sollemnes fierent, quos olim Romani xvI. kal. Apr. celebrabant, et a Libero Patre sive Baccho *Liberalia* dicebant. antiquum propterea oppidum crediderim: erat autem in Numidia, et Tabudensi proximum, ut ex Collatione Carthaginiensi discimus.

GORGONIVS. interfuit hic anno ccccxI. Collationi Carthaginiensi, sed aliquanto serius, valetudinis caussa: nam quo die Episcopi Catholici Mandato subscripserant, ipse aberat, et Tabudensis Episcopus sic pro Gorgonio subscripsit (1): *Victorinus Episcopus plebis Tabudensis pro Gorgonio consacerdote meo, qui infirmitate detinetur, plebis Liberaliensis coram V. C. Tribuno et Notario Marcellino, mandante ipso subscripsi Carthagine.* sed quo die subscriptiones lectae sunt, adfuit Gorgonius ipse, qui haec adjecit: *Basilicam mihi deposuerunt Haeretici: solus sum.* ad quae Protasius Tubiniensis, unus e septem Actoribus Donatistarum, *Habemus*, inquit, *illic Victorem Episcopum:* de quo fortasse nihil inaudierat Gorgonius, qui solum se esse affirmavit.

(1) *Cognit. I. n.* 133.

cccxviiiI. LIBERTINENSIS

Erat oppidum *Libertini* in provincia Proconsulari, ut Acta Concilii Lateranensis ostendunt. nomen fortasse impositum a militibus libertini generis eo deductis. nam praeter alios Augustus libertino milite bis usus est (1). ceterum nulla hujus oppidi apud Geographos vestigia sunt.

VICTOR. adfuit hic anno ccccxI. Collationi Carthaginiensi, compellatusque est *Episcopus Ecclesiae Catholicae Libertinensis* (2). quum respondisset, *Praesto sum*, Ianuarius Donatista ex adverso ait, *Agnosco illum: Diocesis mea est.* at Victor reposuit: *Quum neminem illic habeat, neque Ecclesiam neque aliquem communicantem, frustra mentitur, quod sit ejus Diocesis.* tum Ianuarius rogans, *Communicarunt*, inquit, *tibi ante vim tuam?* quibus, opinor, verbis indicavit, Victoris opera factum esse, ut qui illic erant Donatistae, ad Ecclesiam Catholicam, errore abjecto, redirent. nec vero altercandi finis hic fuit. nam Petilianus Donatista haec objecit: *In una plebe Ianuarii collegae nostri praesentis, in una Diocesi quatuor sunt constituti contra ipsum, ut numerus scilicet augeretur.* ad quae Alypius, *Quaeratur*, ait, *quot annorum Episcopus sit.* rursum Petilianus, *Quatuor estis contra unum.* litem demum compressit Marcellinus V. C. qui praeerat Collationi, et *Haec*, inquit, *ad praesentem omnino non pertinent actionem. quae coepta sunt perlegantur.*

(1) Sveton. *in Aug. c.* 25. (2) *Cognit. I. n.* 116.

IANVARIVS. subscripsit hic epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas, quos ille impensius fovebat (3).

(3) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 750.

CCCXX. LIMATENSIS

Numidiae adscribendum esse oppidum *Limatam*, extra controversiam puto: quum ejus Episcopus Concilio Cirtensi Episcoporum Numidicorum adfuerit, et a Secundo Tigisitano Primate Numidiae in judicium vocatus sit. ceterum apud Geographos ne nomen quidem ejus aut indicium ullum occurrit.

PVRPVRIVS. numeratur hic ab Optato inter sceleratos illos Episcopos, qui, propositis Diocletiani edictis adversus Christianos, *Vt damno aeternae vitae, istius incertae lucis moras brevissimas compararent, instrumenta divinae legis impie tradiderunt* (1). adfuit postea Concilio Cirtensi an. CCCV. in quo alia ei crimina objecta sunt, quae idem impudentissime confessus est. nam quum enim Secundus Tigisitanus sic alloquutus esset, *Dicitur te necasse filios sororis tuae duos Milei:* Purpurius respondit, *Putas me terreri a te, sicut et alteri? tu quid egisti, qui tentus es a Curatore et Ordine, ut Scripturas dares? quomodo te liberasti ab ipsis, nisi quia dedisti, aut jussisti dari quodcumque: nam non te dimittebant passim. nam ego occidi, et occido eos, qui contra me faciunt. ideo noli me provocare, ut plus dicam: scis me de nemine tractare.* haec in Actis ejus Concilii, quae nobis Augustinus servavit (2).

(1) *de Schism. Donat. lib. I. c.* 13. (2) *lib. III. contra Crescon. c.* 27.

CCCXXI. LIMMICENSIS

Silent de *Limmica* Geographi, et illud unum constat, in provincia Byzacena fuisse. nec vero appellatio ipsa unde habeat originem, facile quis demonstret: nisi littera una mutata, a λιμνη stagno deductam velit.

DONATVS. subscripsit hic epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletas (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 739.

CCCXXII. LVCIMAGNENSIS

Numidiae vicum fuisse *Lucum magnum*, vix dubito. nam alius ibidem fuit, qui in Tabula Peutingeriana appellatur *Sub Lacu*, in Itinerario Antonini *Sullucu*, inter Tacatuam et Hipponem regium: quibus nomen datum apparet a lucis, quos veteres circa fana et sepulcra quaedam insignia consitos superstitione obstricti intactos servabant.

PRIMILIANVS. erat hic Donatista, et cum gregalibus suis an. ccccxI. Collationi Carthaginiensi interfuit, in qua citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi: adversarium non habeo.*

(1) *Cognit. I. n.* 198.

cccxxIII. LVGVRENSIS

Ignobile oppidum, Geographis certe indictum, *Lugur* fuit, de quo hoc solum ex Notitia discimus, ad Numidiam pertinuisse.

DONATVS. est hic ordine octogesimus secundus inter Episcopos Numidicos, qui anno ccccLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem a Rege Hunerico cum reliquo Episcoporum coetu relegati sunt. ipse autem Donatus Ecclesiam suam non revisit, peregre mortuus, ut nota mortis adscripta ostendit.

cccxxIIII. LVPERCIANENSIS

Oppidum fuisse *Lupercianam*, ubi Pan coleretur, et Lupercorum sacerdotum collegium antiquitus esset, veri, opinor, simile est: sic enim Cypriani aevo appellabatur, quo tempore maxima etiamtum Africae pars superstitione veteri obstricta insaniebat. Augustini aevo nomen sine re fuisse crediderim: nam quum forte de Lupercis ageret, et sacra eorum describeret, nihil tale in Africa tum obtinuisse indicavit (1). in provincia Proconsulari conditum oppidum putare licet, quod in ea potissimum Romano more viveretur; ceterum de eo apud Geographos nulla mentio.

PELAGIANVS. interfuit hic Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus anno CCLV. tertium de Baptismo celebravit: et sententiam in eo suam quadragesimus quartus pronunciavit (2).

(1) *de Civ. Dei lib. XVIII. c.* 12. (2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 171.

cccxxv. MACOMADIENSIS

Macomades oppidum, quod et *Macomadia* dictum, in Numidia erat, nec multum a Cirta dissitum, ut Antonini Itinerarium indicat.

CASSIVS. sententiam hic dixit vicesimus secundus in Concilio Carthaginiensi anni CCLV. quod Cyprianus tertium de Baptismo coegit.

DONATVS. memorat hunc Augustinus inter eos Episcopos, qui rejecto Donatistarum errore, ad Ecclesiam Catholicam confugere, *et probata vita ad honorabilius senilis aetatis meritum pervenerunt* (1). vixisse hunc ante annum ccccvI. in comperto est: nam libri contra Cresconium, in quibus Augustinus de Donati consilio meminit, scripti feruntur circa eum annum.

AVRELIVS. interfuit hic anno ccccxI. Collationi Carthaginiensi, in qua etiam non raro interloquutus est, ut Donatistarum mendacia refutaret. adversarium habebat Sallustium (2), itemque in paroecia alium, nempe

(1) *contra Cresc. lib. II. c.* 10. (2) *Cognit. I. n.* 116.

Rogatianum Idassensem, cui Florentinum Presbyterum, defuncto illic Catholico Episcopo, opposuerunt (3).

PARDALIVS. est hic octogesimus quartus in albo Episcoporum Numidicorum, qui anno CCCCLXXXIIII. ad communem conventum profecti Carthaginem, subinde cum ceteris a Rege Hunerico relegati exsilium toleravere. porro hic idem fuisse videtur, qui exsilii sui tempore, quum Felix Pontifex maximus Romanum Concilium indixisset, Romam cum tribus aliis Africanis Episcopis se contulit: sic enim hi memorantur in praefatione (4): *Victore, Donato, Rustico et Pardalio Afris Episcopis.* pertinet autem Concilium istud ad annum CCCCLXXXVII.

(3) v. *Episcop. Idassens.* (4) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 877.

CCCXXVI. MACOMADIENSIS RVSTICIAN.

Fuit et *Macomadia* in provincia Byzacena, quae *Rusticiana* dicebatur. ea a Ptolemaeo Μακόδαμα appellata est, in Tabula vero Peutingeri *Macomades Minores*, quod nempe in provincia Tripolitana essent *Macomades Syrtis* sive Maiores, ad quos referendum est Praesidium militum, qui Limitem tuebantur sub dispositione viri spectabilis Ducis provinciae Tripolitanae, parebantque *Praeposito Limitis Maccomadensis*, ut videre est in Notitia Imperii Occidentalis. situs porro Macomadiae Byzacenae erat inter Thaenas et Cellas in sinu minoris Syrtis contra insulam Girbam, quae et Meninx et Lotophagitis antea nominata fuerat.

PROFICENTIVS. fuit hic de grege Donatistarum, et an. CCCCXI adfuit cum iis Collationi Carthaginiensi. in ea autem citatus (1), *Licet*, inquit, *non habeam adversarium, mandavi et subscripsi.* quae ut audivit Fortunatianus Siccensis, unus e septem Actoribus Catholicis, interrogans ait, *Ex qua Macomadia?* cui Proficentius respondit, *Rusticiana.* nec Fortunatianus quidquam praeterea quaesivit.

(1) *Cognit. I. n.* 197.

CCCXXVII. MACRENSIS

Oppidum *Macri* Mauretaniae Sitifensi adtribuit Notitia, qua cum consentit Itinerarium Antonini, in quo *Macri* recensetur in itinere a Perdicibus Caesaream inter Cellas et Sabi, id est in provinciae illius mediterraneis prope desertas regiones. eo sane a Rege Hunerico relegatos Catholicos scribit Victor Tonnonensis ad annum CCCCLXXVIIII.

MAXIMVS. adfuit hic anno CCCCXI. inter Donatistas Collationi Carthaginiensi, in qua citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi:* nec de adversario Catholico mentionem ullam injecit.

EMERITVS. est hic ordine decimus octavus in albo Episcoporum, qui e Mauretania Sitifensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem conventus caussa

(1) *Cognit. I. n.* 206.

petiere, atque inde ab Rege Hunerico in exsilium cum ceteris pulsi sunt: in quo Emeritus vitam amisit, ut nota mortis nomini apposita ostendit.

CCCXXVIII. MACRIANENSIS PROV. BYZAC.

Silent quidem de provinciae Byzacenae oppido *Macriana* Geographi; at diserte agnoscit Notitia: Concilium etiam ibidem celebratum memorat Ferrandus Diaconus, cujus item Canones binos vulgavit (1). cives porro in Collatione Carthaginiensi *Macrianenses Majores* appellantur.

POMPONIVS. interfuit hic an. CCCLXXXXIII. Concilio Cabarsussitano, in quo Maximianistae damnarunt Primianum, subscripsitque (2) epistolae synodicae, quae tum omnibus per universam Africam Episcopis missa est. atque idem subinde ad Collationem quoque Carthaginiensem cum Donatistis suis se contulit.

FEROX. aequalis hic Pomponii fuit, sed decessore suo adversus illum felicior. nam anno CCCCXI. in Collatione Carthaginiensi, postquam citatus respondit (3), *Praesto sum*, subjecit, *Vnitatem habeo:* nec Pomponius, qui aderat, rem est inficiatus, sed ait tantum, *Agnosco illum.*

HONORATVS. est hic octogesimus inter Episcopos, qui e provincia Byzacena, Regis Hunerici edicto evocati, Carthaginem conventus caussa anno CCCCLXXXIIII. profecti sunt, et inde in exsilium pulsi, omnia bona Catholicae professioni posthabuere. fuit autem Honoratus ex iis etiam, qui vitam in exsilio amiserunt.

(1) *in Breviat. Can. c.* 11. *et.* 23.
(2) apud Aug. *in ps.* XXXVI. *serm. II. n.* 20.
(3) *Cognit. I. n.* 126.

CCCXXVIIII. MACRIANENSIS MAVR. SITIF.

Fuisse item *Macrianam* in Mauretania Sitifensi, Notitia addocet, et Augustinus ipse agnoscit, ut mox dicemus. ceterum Geographi indictam praeterierunt.

DEVTERIVS. vixisse hic videtur ante annum CCCLXXX. nam de eo meminit Donatista Tychonius, qui per ea tempora inter gregales suos florebat (1). erat autem Deuterius et ipse Donatista, sed facilior paullo, quam ceteri: haec enim a Tychonio de illo tradita scribit Augustinus (2): *Deuterium etiam Macrianensem Episcopum communionis vestrae dicit traditorum plebem congregatam Ecclesiae miscuisse, et secundum statuta illius Concilii a ducentis et septuaginta Episcopis vestris facti fecisse cum traditoribus unitatem, eique Deuterio post hoc factum communicasse Donatum, nec solum huic Deuterio, sed etiam universis Maurorum Episcopis.* quae postrema verba Macrianam hanc nostram designant, quae collegae Maurorum Episcoporum parebat.

(1) Gennad. *de vir. ill. c.* 18
(2) *epist.* 93 *ad Vincent. Rogat.*

SILVANVS. hic est, qui anno CCCCIII. in Concilio Carthaginiensi provincialium suorum legatione cum Luciano Episcopo functus esse putatur (3). adfuit subinde Collationi Carthaginiensi, in qua, quum subscriptio ejus recitata esset, testimonium de Ecclesia sua dixit hujusmodi (4): *Non habet neminem, Catholica est.*

FELIX. hic quoque Collationi Carthaginiensi anni CCCCXI. in qua aderat Silvanus, interfuit, et cum viginti Episcopis numeratur, qui nondum Mandato subscripserant, quod serius Carthaginem advenissent. erat autem et ipse Catholicus, sed, ut opinor, recens ex Donatistarum castris transfuga, cui propterea ex more honor Episcopatus et nomen manebat. sic inter eosdem illos viginti Episcopos duo Vagenses Catholici ambo occurrunt, Ampelius et Primulus. porro et Felix quum in medium accessisset, ait (5), *Mando et consentio.*

RESTVTVS. est hic vicesimus tertius in albo Episcoporum Mauretaniae Sitifensis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, ac subinde a Rege Hunerico cum reliquis relegati sunt. in ipso autem exsilio defunctum Restutum Notitia indicat.

(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 914.
(4) *Cognit. I. n.* 133.
(5) *ibid. n.* 215.

CCCXXX. MACTARITANVS

Oppidum *Mactar* provinciae Byzacenae adscribit Notitia, quod in Itinerario Antonini esse videtur scribae vitio *Mazara*, in itinere a Sufibus Adrumetum prope Aquas Regias. codices certe, ut adnotavit Surita, alii aliter efferunt. nec dubium est aliud esse a *Matera* oppido libero ejusdem provinciae, quod Notitia ipsa distinguit.

MARCVS. hic *a Mactari* appellatur, qui Concilio Carthaginiensi anni CCLV. quod Cyprianus tertium de Baptismo vocavit, praesens sententiam tricesimo octavo loco dixit.

COMPARATOR. erat hic e grege Donatistarum, quibuscum an. CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, ac citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi.* adversarium autem Catholicum Mactari tum fuisse non apparet.

ADELFIVS. hunc Notitia vicesimum quintum numerat inter Episcopos, qui e provincia Byzacena Carthaginiensi conventui anni CCCCLXXXIIII. adfuere, et cum ceteris in exsilium, a Rege Hunerico ejecti, concesserunt.

(1) *Cognit. I. n.* 202.

CCCXXXI. MADAVRENSIS

Modaurae, quae et *Madaura*, Numidiae oppidum satis notum; et famam addidit Apulejus, cui natale solum fuit. Syphaci olim et Masinissae paruerat, *deinceps*, inquit in Apologia Apulejus, *veteranorum militum novo conditu splendidissima colonia sumus.* at ipsa Ecclesia Madaurensis multo illustrior Martyrum victoriis facta est, quos et Romana Ecclesia

in Martyrologium suum retulit (1). ii fuere *Namphanio*, quem Maximus Grammaticus *Archimartyrem* appellat (2), *Mygdon*, *Sanaem*, *Lucitas*, et alii, quorum nomina ignoramus. ceterum Augustini aevo multi etiamtum e Madaurensibus veteri superstitione obstricti erant, quod ejusdem epistola ad eos missa declarat (3). de situ Madaurae aliquid nos idem docet Augustinus, qui Tagaste natus, et puer litterarum caussa Madauram missus, hanc *urbem vicinam* appellat (4).

ANTIGONVS. Concilio Carthaginiensi hic interfuit, quod sub Grato coactum est anno CCCXXXXVIIII. in quo de Optantio finitimi oppidi Episcopo questus est, quod postquam ex conventione plebes divisisset, sibi eas usurparet, quae ipsi Antigono cesserant (5).

PLACENTIVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus, de more respondit (6), *Praesto sum*. ex adverso autem processit Donatus e secta cognomine, qui ait, *Agnosco illum*.

PVDENTIVS. est hic sexagesimus inter Numidicos Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. a Rege Hunerico post conventum Carthaginiensem cum ceteris relegati sunt.

Post saecula amplius decem Madaurenses Episcopi rursum cientur, qui omnes ornamentarii fuerunt: sunt autem (7),

NICOLAVS de Valle an. M.D.XXV. (Wading. *T. XVI. p. 219. etc.*)
GASPAR de Torre an. M.D.LXX. (*Act. Consist.*)
FRANCISCVS de Viera an. M.DC.III. (*Act. Consist.*)
IOANNES Suares an. M.DC.XIII. (*Act. Consist.*)
MELCHIOR Rodrignes an. M.DC.XVI. (*Act. Consist.*)
SEBASTIANVS Carta an. M.DC.XXI. (*Act. Consist.*)
MARTINVS Maurisseus an. M.DC.XXVIII. (*Act. Consist. etc.*)
HIERONYMVS an. M.DC.XXXXVII. (*ex mon. Arch. Vatic.*)
FRANCISCVS Visdelonsius an. M.DC.LI. (*Act. Consist. etc.*)
FRANCISCVS Coetlozonius an. M.DC.LXVI. (*Act. Consist.*)
BONAVENTVRA an. M.DC.LXXXXVIIII. (*Brev. Ben. XIII. etc.*)
ANTON. IGNATIVS Muntzerus an. M.DCC.VIII. (*Act. sac. Colleg.*)

(1) *ad diem IIII. Iul.*
(2) apud August. *epist.* 16.
(3) *epist.* 231.
(4) *Confess. lib. II. c.* 3.
(5) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 688.
(6) *Cognit. I. n.* 126.
(7) suppedit. Marinius. vir. opt.

CCCXXXII.

MADENSIS

Numidiae oppidum *Mada* fuit, ut Notitia indicat, ignotum tamen indictumque Geographis. neque huc pertinet *Limes Madensis*, quem Notitia Imperii Occidentalis recenset (1). nam Praepositus ejus erat *sub dispositione viri spectabilis Ducis provinciae Tripolitanae*.

PETRVS. hunc Notitia tricesimum septimum numerat in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum evocatos, simul cum reliquis exsilio affecit.

(1) apud Pancirol. c. 79.

CCCXXXIII. MAGARMELITANVS

Ad Numidiam pertiunisse oppidum *Magarmeli*, ex Notitia discimus: item ex Graeca Leonis Sapientis Diataxi, quae non obscura nominis ejusdem vestigia servat. sed apud veteres Geographos indicium oppidi hujus nullum est. *Aquae Magarmelitanae* dictum aliquando videtur.

SECVNDVS. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus ait (1), *Praesto sum.* aderat autem et adversarius ejus Felix Donatista, qui progressus dixit, *Agnosco illum:* ac deinde vocatus (2), *Mandavi*, inquit, *et subscripsi.* porro Secundus ille idem esse putatur, qui postea Leporii libellum resipiscentis probavit ultimus Episcoporum, eique in hunc modum subscripsit: *Secundus Episcopus Ecclesiae Aquensis sive Magarmelitanae oblato nobis a Leporio libello subscripsi* (3).

IVLIVS. est hic ordine centesimus tertius in albo Episcoporum, qui e Numidia ad conventum Carthaginiensem se contulere, ac subinde anno CCCCLXXXIIII. in exsilium a Rege Hunerico pulsi sunt.

(1) *Cog‹nit›. I. n.* 126.
(2) *ibid. n.* 198.
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1270.

CCCXXXIIII. MAIVCENSIS

Ignotum quidem oppidum *Majuca* et a Geographis neglectum: sed tamen ad Mauretaniam Caesariensem refert Notitia, in qua cum iis numeratur, quorum Cathedrae anno CCCCLXXXIIII. Episcopos non habebant: quod nempe paullo ante, quam Regis Hunerici edictum promulgaretur, defuncti essent. quare nullum huic Episcopum subjicere possumus, quum Notitia non suppeditet, nec in Conciliis ullus occurrat.

CCCXXXV. MALIANENSIS

Nomen oppidi ab origine *Manliana* fuit, ut Ptolemaeus effert, exinde *Malliana*, ut in Itinerario Antonini: demum *Maliana* et *Miliana* esse coepit, ut vulgus maluit. erat autem in Mauretania Caesariensi ad Garaphos montes, Austrum versus. memorat Mallianam Augustinus in epistola ad Deuterium Episcopum, ut arbitror, Caesariensem (1), quem de Victorino quodam Hypodiacono Mallianensi Manichaeorum labe infecto certiorem facit, admonetque, ut *petenti poenitentiae locum tunc credatur, si et alios, quos illic novit esse, manifestaverit* Episcopis *non solum in Malliana, sed in ipsa tota omnino provincia.*

VICTOR. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua, postquam subscriptio ejus recitata est, subjecit ipse (2), *E diverso mihi est Nestorius:* Episcopus scilicet Donatista, qui et ait, *Agnosco illum:* ac subinde inter gregales, *Mandavi*, inquit (3), *et subscripsi.*

(1) *epist.* 236.
(2) *Cognit. I. n.* 135.
(3) *Cognit. I. n.* 208.

PATERA. octavum hunc Notitia numerat in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. conventum Carthaginiensem celebrarunt, et a Rege Hunerico in exsilium cum reliquis ejecti sunt.

CCCXXXVI. MAMMILLENSIS

Oppidum Mauretaniae Caesariensis fuisse *Mammilam*, ex Notitia discimus, sed quibus finitimum esset, quove in numero haberetur, nemo, quod sciam, litteris testatum reliquit. nam quae a Procopio memoratur *Mamma*, in provincia Byzacena erat.

VICTOR. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, serius tamen, ut videtur: nam quae recitata subscriptio est, hujusmodi erat: *Ego Restitutus Episcopus petitum me a Victore Episcopo Mammillensi coram V. C. Tribuno et Notario Marcellino subscripsi, eum suprascripta mihi mandasse.* tum idem addidit (1), *E diverso est Serenianus:* qui tum accedens ait, *Agnosco illum:* idemque postea citatus (2) cum Donatistis, dixit, *Mandavi et subscripsi.*

PASCHASIVS. est hic ordine septuagesimus octavus in albo Episcoporum, quos ad conventum Carthaginiensem e Mauretania Caesariensi profectos Rex Hunericus cum ceteris relegavit anno CCCCLXXXIIII.

(1) *Cognit. I. n.* 135. (2) *ibid. n.* 208.

CCCXXXVII. MANACCENSERITANVS

Monstri instar nomen hoc est, quod unde ductum fuerit, non apparet. sic tamen in utroque Notitiae codice, Laudensi et Halleriano scriptum fuisse, testatur Ruinartius. erat autem oppidum *Manaccenser* in Mauretania Caesariensi, ut ex una Notitia discimus.

VICTOR. hunc Notitia octogesimum secundum numerat inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis exsilio affecit. peregre porro Victorem defunctum nota mortis adjecta declarat.

CCCXXXVIII. MANAZENENSIVM REGIORVM

Oppidum *Manazenen Regiam* Numidiae adscribit Harduinus, sive quod Episcopus ejus inter Numidicos in Collatione Carthaginiensi cietur, sive etiam quia familiare apud Numidas cognomen ejusmodi fuit: illic enim erat *Hippo Regius, Lacus Regius, Bulla Regia.* accedit etiam Donatistae Episcopi sine adversario praesidentis indicium, quales in Numidia potissimum fuere complures.

FELIX. adfuit hic cum gregalibus Donatistis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in eaque citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi.* de Catholico autem Episcopo nulla injecta mentio est.

(1) *Cognit.* I. *n.* 201.

CCCXXXVIIII. MANDASSVMITANVS

Nomen oppidi varium; nam in Itinerario Antonini *Madarsuma* est, et in codicibus quibusdam, quos Surita vidit, *Mada Summa* aut *Madussama*, in Notitia *Madassuma*, denique in Collatione Carthaginiensi *Mandasuma*. ad provinciam autem Byzacenam pertinebat, inter Naram et Tabaltam in mediterraneo situm.

PRIMVLIANVS. erat hic e grege Donatistarum, quos inter an. CCCCXI. interfuit Collationi Carthaginiensi, et vocatus ait(1), *Consensi et subscripsi.* idem fortasse epistolae etiam Concilii Cabarsussitani subscripserat anno CCCLXXXXIII. nam post Tertullum Abitensem apud Augustinum (2) legitur *Primulianus*, cujus tamen Episcopatus vel excidit vel omissus est.

Anno CCCCLXXXIIII. Episcopum Madassuma amiserat: in Notitia enim centesimo decimo loco ipsum tantum oppidum recensetur, cum ceteris scilicet, quorum Cathedrae, quum Regis Hunerici edictum promulgatum est, Episcopos non habebant.

(1) *Cognit. I. n.* 187. (2) *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20.

CCCXXXX. MARAGVIENSIS

Nomen oppidi, ut arbitror, *Maragu* fuit, quod sine dubio Punicum vocabulum est. ipsum autem oppidum in provincia Byzacena fuisse, Notitia ostendit: sed apud Geographos nulla ejus vestigia sunt.

BONIFACIVS. est hic septuagesimus quartus inter Episcopos, quos anno CCCCLXXXIIII. provincia Byzacena ad conventum, quem Rex Hunericus indixerat, Carthaginem misit: qui deinde cum reliquis in exsilium ejecti sunt.

CCCXXXXI. MARAZANENSIS

Variat apud veteres nomen, nam in Antonini Itinerario *Marazania* est, in Notitia *Maraziana*. erat autem in provincia Byzacena, nec procul a Sufibus. Concilium ibidem actum constat, quod Ferrandus *Marazanense* appellat, cujus et canones quosdam affert (1). ignotum tamen est, quem ad annum pertineat.

FELIX. hic a *Marrazana* nuncupatur, interfuit autem Concilio Carthaginiensi anni CCLV. sub Cypriano, ac sententiam quadragesimo sexto loco dixit.

EVNOMIVS. adfuit hic Collationi Carthaginiensi anni CCCCXI. in qua, postquam subscriptio ejus recitata est, ait (2), *E diverso est mihi Habetdeus.* tum hic, *Praecessor,* inquit, *meus ad Marazanensem locum ordinatus est. is postquam cathedram sedit, expulsus est.* at Eunomius reposuit, *Numquam sedit.* rursum Habetdeus, *Ego etiam non admissus,*

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1251. (2) *Cognit. I. n.* 133.

in tertio miliario in civitate conquievi. Ennomius autem, *Numquam fuerunt Donatistae, nec sunt, nec aliquando sederunt cathedram.* cui demum Habetdeus respondit, *Modo oppressi sunt.*

VINDICIANVS. hunc Notitia quadragesimum nonum recenset inter Episcopos, qui e provincia Byzacena ad Carthaginiensem conventum anno CCCCLXXXIIII. profecti, exinde cum roliquis a Rege Hunerico relegati fuerunt.

SATVRNINVS. subscripsit hic inter primores epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa fuit ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletas. ejus porro subscriptio hujusmodi est: *Saturinus Episcopus sanctae Ecclesiae Miricianensis his piis precibus subscripsi.* at legendum contendit Holstenius (3), *Saturninus et Maracianensis,* id est *Marazanensis,* cui facile adquiesco.

(3) *in adnot. de Patr. Rom. p.* 79.

CCCXXXXII. MARONANENSIS

Ignotum oppidum, sive *Marona* nomen illi fuerit, sive *Marovana,* quippe lectio in codicibus non una est. at illud compertum, in Mauretania Sitifensi fuisse, quemadmodum Notitia demonstrat.

INVENTINVS. sic nomen effert Ruinartius codices sequutus. in editis aliorum exemplaribus est *Iuventinus.* hunc Notitia vicesimum sextum numerat in albo Episcoporum Mauretaniae Sitifensis, qui an. CCCCLXXXIIII. Carthaginem jussu Regis Hunerici se contulere, ac subinde cum toto illo Episcoporum conventu ob studium Catholicae veritatis in exsilium pulsi sunt.

CCCXXXXIII. MASCLIANENSIS

Oppidum provinciae Byzacenae fuerunt *Masclianae* inter Sufetulam et Adrumetum, ut Antonini Itinerarium nos docet, in quo saepius occurrunt: quod nempe illac ad oppida complura iter esset.

VICTORIANVS. interfuit hic Concilio Carthaginiensi an. CCCLXXXXVII. quod tertium fuit sub Aurelio, subscripsitque proximus post Muzonium Primatem provinciae Byzacenae (1).

PLVTIANVS. erat hic e grege Donatistarum, quos inter an. CCCCXI. Collationi Carthaginiensi adfuit, et citatus ait (2), *Mandavi et subscripsi.*

BONIFACIVS. nonus hic est in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem simul cum ceteris relegavit.

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 974. (2) *Cognit. I. n.* 208.

CCCXXXXIIII. MASCVLITANVS

Erat *Mascula* in Numidia, inter Thevestem et Lambesem, minus quidem apud profanos scriptores vulgata, sed in fastis Ecclesiae satis cele-

bris: inde enim ortus, quem Victor Vitensis laudat (1), egregius Confessor Archinimus, quem Gensericus capite damnarat; *ita tamen callidus occulte praecipiens, ut si in illa hora vibrantis gladii pertimesceret ictum, magis eum occideret carnifex, ne Martyrem gloriosum fecisset: si autem fortem in confessione conspiceret, a gladio temperaret. sed ille ut columna immobilis Christo solidante fortis effectus, Confessor revertitur gloriosus.* honorat hunc celebratque Ecclesia Romana in Martyrologio cum duobus aliis Confessoribus (2): sed mendose apud Baronium appellatur *Mascula Archimimus*, qui alibi est *Archinimus* aut *Archiminus Masculanus*, ut Victor quoque appellarat.

CLARVS. interfuit hic Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo coëgit anno CCLV. sententiamque in eo septuagesimus nonus pronunciavit. recentiora ejus Concilii exemplaria *Confessorem* faciunt, quae appellationes, ut jam monuimus, incertae auctoritatis merito habentur.

DONATVS primus hic fuit ex Episcopis Concilii Cirtensis, quem Secundus Tigisitanus interrogavit de sacrorum voluminum proditione, ante quam de novo Episcopo Ecclesiae Cirtensi praeficiendo ageretur: *Dicitur*, inquit (3), *te tradidisse. Donatus respondit: scis quantum me quaesivit Florus, ut thurificarem, et non tradidit me Deus in manibus ejus, frater: sed quia Deus mihi dimisit, ergo et tu serva me Deo. Secundus dixit: Quid ergo facturi sumus de Martyribus? quia non tradiderunt, ideo et coronati sunt. Donatus dixit: Mitte me ad Deum, ibi reddam rationem. Secundus dixit: Accede una parte.* acta haec anno CCCV. III. non. Mart. quae Optatus etiam litteris consignavit (4).

MALCHVS. adfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua quum se *praesto esse* citatus dixisset (5), processit ex adverso Vitalis Donatista, qui ait, *Agnosco illum:* et subinde vocatus addidit, *Mandavi et subscripsi.* tum autem contra hunc Aurelius Macomadiensis testimonium dixit hujusmodi (6): *Iste Vitalis Diaconus fuit Catholicus, in civitate Sitifensi. rebaptizatus, factus est Presbyter. projectus est caussa adulterii, et factus est postea Episcopus.* ad haec subiratus Petilianus, *Accusatoris*, inquit, *loco stare voluisti:* cui Aurelius, *Non accusatoris loco, sed purgationis.*

IANVARIANVS. est hic ordine nonagesimus quartus in albo Episcoporum, qui e Numidia anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem conventus caussa profecti, in exsilium subinde a Rege Hunerico ob Catholicae veritatis studium pulsi sunt.

IANVARIVS. aderat hic in Concilio Carthaginiensi anni DXXV. jam senio confectus, ut ne subscribere quidem ipse posset. apparet id ex subscriptione ejus, qui primus post Bonifacium ita subscripsit (7): *Ianuarius*

(1) *Pers. Vand. lib. I. c.* 15.
(2) *ad diem XXVIII. Mart.*
(3) *in Act. apud August. contra Cresc lib III. c.* 27.
(4) *de schism. Donat. lib I. c.* 13. *et* 14.
(5) *Cognit. I. n.* 128.
(6) *ibid. n.* 201.
(7) apud Hard. *ibid. T. II. p.* 1081.

Episcopus plebis Vegeselitanae, provinciae Numidiae, his placitis in Concilio definitis, a cunctis nobis custodiendis, pro me et pro sancto Ianuario Masculitano memoratae provinciae, eo quod merito senectutis subscribere non potuit, subscripsi. idem tamen a suis legatione fungi jussus fuerat.

CCCXXXXV. MASVCCABENSIS

Oppidum Mauretaniae Caesariensis fuisse *Masuccabam*, ex Notitia discimus, in qua et Colonia *Succabar* sive *Zugabar* fuit, quae omnino alia urbs habenda est.

PASSINATVS. hunc Notitia quadragesimum secundum numerat in albo Episcoporum, quos e Mauretania Caesariensi Carthaginem ad conventum profectos, Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. relegavit cum reliquis, quos eodem undique acciverat. peregre defunctum Passinatum nota mortis adjecta indicat.

CCCXXXXVI. MATARITANVS

Liberum oppidum provinciae Byzacenae id esse, quod Plinius *Materense* appellat (1), Harduinus et Ruinartius censuere. nec *Mactar* et *Matera* sive *Matara* unum tantum, sed diversa plane oppida fuerunt. nam quo anno ad Collationem Carthaginiensem Africani Episcopi convenere, in illo quidem Donatista Episcopus erat sine adversario Catholico, in hoc autem Catholicus sine Donatista. quod si Notitia utrobique Adelfium facit Episcopum, alterum tamen *Mactaritanum,* alterum *Mattaritanum* vocat: et casu contigisse videtur, ut in utroque oppido Episcopus esset ejusdem nominis.

CVLTASIVS. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et subscriptione ejus recitata, de Ecclesia sua ait (2), *Vnitas est.* ceterum Habetdeus Diaconus adjecit, *Habuimus Rusticianum, modo exivit de corpore.*

ADELFIVS. est hic ordine quinquagesimus in albo Episcoporum, quos provincia Byzacena anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem submisit: quique communem ceterorum poenam relegati subiere.

VICTOR. memorat hunc Cassiodorius (3), qui et Cassiani libros ab eo emendatos scribit. in codicibus multis *Martyritanus* dicitur, sed scribarum vitio, talem enim urbem Africa non habuit; et est codex etiam, in quo *Mattaritanus* appellatur (4). porro Cassiodorius, qui anno DLVI. libros de divinis lectionibus scripsisse fertur, Victorem temporum suorum aequalem facere videtur: ait enim, *Ita Domino juvante purgavit, et quae minus erant addidit, ut ei rerum istarum palma merito conferatur: quem inter alios de Africae partibus cito nobis credimus esse dirigendum.*

(1) *H. N. lib. v. c. 4.*
(2) *Cognit. I. n. 133.*
(3) *de divin. lection. c. 29.*
(4) v. Cassiod. *edit. Parisiis a Nivellio an.* 1579. *p.* 339

CCCXXXXVII. MATERIANENSIS

Tertium hoc provinciae Byzacenae oppidum, ut Notitia nos edocet, cujus nomen ejusdem originis esse videtur, ac *Mactar* et *Matera*, et ab utroque tamen distinctum est. appellatum credere possis a *Matere*, quae Celticum lanceae genus fuit, cujus Latini scriptores meminere, Livius, Caesar, Auctor librorum ad Herennium, et Sisenna. ipsum autem oppidum Geographi veteres non memorant.

PEREGRINVS. hunc Notitia nonagesimum numerat inter Episcopos, qui e provincia Byzacena anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, exinde ob Catholicam professionem simul cum reliquis in exsilium pulsi sunt.

CCCXXXXVIII. MATHARENSIS

Numidiae oppidum *Mathar* fuit, ut ex Notitia discimus: sed nihil de eo ab antiquis Geographis traditum est.

HONORATVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in eaque citatus (1), *Praesto sum*, inquit, *sed non contra me habeo Episcopum*. quod in Numidia, regno illo Donatistarum, plane tum rarum fuit.

FELIX. est hic ordine tricesimus septimus in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem simul cum ceteris relegavit. in ipso autem exsilio defunctum Felicem adjecta mortis nota declarat.

(1) *Cognit. I. n.* 120.

CCCXXXXVIIII. MATTIANENSIS

Ad provinciam Proconsularem pertinuisse *Mattianam*, extra controversiam est. vestigia tamen ejus apud Geographos nulla sunt.

MARCELLVS. hic tertius subscripsit epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 750.

CCCL. MATVRBENSIS

Ignotum oppidum *Maturbum*, nisi quod Notitia in Mauretania Caesariensi fuisse indicat.

LVCIVS. est hic ordine nonagesimus inter Episcopos, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem convenere, et cum reliquis a Rege Hunerico relegati sunt. porro Lucium peregre obiisse, ex nota mortis adscripta discimus.

CCCLI. **MAVRENSIS**

Memorat hanc urbem Notitia in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis: quod uempe Episcopi etiam Tingitaniae, ut alibi ostendimus, ejusdem provinciae censerentur. certe ad fretum fuisse *Mauram*, satis ostendit Anonymus Ravennas (1), qui eam in Mauretania, ut ipse vocat, Gaditana recenset. nec aliam, opinor, urbem incolebant qui *Maurensii* a Ptolemaeo appellantur, et Tingitaniae tribuuntur. ceterum nullus ejus urbis Episcopus notus est, quum in ipsa Notitia Maurensis Episcopatus ex iis sit, quorum cathedrae anno CCCCLXXXIIII. Episcopos non habuerunt.

(1) *lib. III. n. 11.*

CCCLII. **MAVRIANENSIS**

Oppidum *Mauriana* in Mauretania Caesariensi fuit, ut Notitia demonstrat: nec quiqnam praeterea de eo scriptum invenio. quod vero suspicatus est Holstenius (1), *Mallianam* et *Maurianam* unum oppidum esse, minime stat: gemina enim facit agnoscitque Notitia, suum utrique Episcopum tribuens, quemadmodum recognoscere hic potes.

LVCIANVS. nomen hujus occurrit in praefatione synodi Romanae sub Iulio Pont. Max. anni CCCXXXVII (2). cui et Rufus Carthaginiensis interfuit. ceterum synodi illius auctoritas in ambiguo est, ut superius de Rufo Carthaginiensi scribentes adnotavimus.

SECVNDVS. hunc Notitia octogesimum octavum recenset inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem conventus caussa petiere, atque inde in exsilium a Rege Hunerico ejecti sunt cum reliquo illo Confessorum agmine, qui Arianam haeresim forti animo et constanti rejecerunt.

(1) *in adnot. de Patr. Rom p.* 93. (2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 567.

CCCLIII. **MAXIMIANENSIS**

Oppidum Numidiae *Maximianum* facit Notitia, quod ab Herculio Maximiano conditum aut restitutum credere par est. certe veteres Geographi non memorant, vel alio sub nomine designant.

DONATVS. est hic centesimus decimus nonus in albo Episcoporum Numidicorum, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem, quo Rex Hunericus omnes Africae Episcopos acciverat, convenere, atque inde in exsilium ob Catholicam professionem ejecti, cum reliquis solum verterunt.

COLVMBVS. fuit hic Gregorii magni aequalis, cujus etiam epistolae ad eum exstant octo. ceterum Gregorius Numidiae tantum Episcopum in titulis vocat: sed qui argumenta Epistolis Gregorianis praefixit, ubi de epistola agit, quam Gregorius scripsit Adeodato (1) Primati Numidiae, in

(1) *lib. III. epist.* 49.

qua hortatus est, ut nihil sine Columbo deliberaret, sic rem indicavit, *Maximiani Episcopi utatur consilio:* quod unde ille rescierit, ignoro. quaecumque autem fuerit Columbi cathedra, hoc extra controversiam est, magno eum in pretio habitum a Gregorio, ac dignum prae omnibus, cui negotia gravissima committerentur.

CCCLIIII. MAXIMIENSIS

Provincia etiam Byzacena oppidum habuit *Maximianum*, quod et *Maximiense* et *Massimanense* vulgi arbitrio appellatum apparet. ejusdem mentio fit in Concilio Carthaginiensi anni DXXV. tam in epistola Liberati Primatis provinciae Byzacenae, quam in libello Petri Abbatis, ex quo illud etiam discimus, Baccense Monasterium vicinum fuisse Maximianensi Ecclesiae (1). Ruspas item non longe dissitas ex vita s. Fulgentii liquet (2), quod idem finitima oppida pacasse, ac Maximianensem in primis plebem compressisse dicitur, quae designatum Episcopum respuebat.

POSSIDIVS. hunc Notitia quadragesimum tertium numerat inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui an. CCCCLXXXIIII. Carthaginem a Rege Hunerico acciti, post communem conventum simul cum aliis relegati sunt. sed ipse tamen Possidius conventum illum declinasse videtur: nam adscriptum nomini legimus *Non occurrit:* sive ille alicubi in Africa latitaverit, sive in Italiam aut aliam in regionem transmiserit.

BONIFACIVS. subscripsit hic epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletas. subscriptio autem ejus fuit hujusmodi (3): *Bonifacius pietate Dei Episcopus s. Ecclesiae Iustini ac Maximiensis.* porro mendum esse in extremis verbis omnino censeo, legendumque puto, *Iustinianae Maximiensis*, quod illud oppidum, ut alia multa, Iustinianus restituisset, et de nomine suo appellari passus esset. sic et Carthago nomen Iustiniani ferebat, et Adrumetum, et aliae alibi urbes, quas idem refecerat et ornaverat.

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1087. (3) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 740.
(2) *cap.* 29.

CCCLV. MAXITENSIS

Vetus in Africa nomen hoc: nam Hiarbas ille Didonis aequalis apud Iustinum Rex *Maxitanorum* appellatur (1). oppidum Notitia Mauretaniae Caesariensi adscribit, de quo tamen silent Geographi.

FELIX. est hic ordine centesimus decimus quartus in albo Episcoporum, qui anno CCCCLXXXIIII. e Mauretania Caesariensi ad conventum Carthaginiensem profecti, subinde a Rege Hunerico cum reliquis relegati sunt. in ipso autem exsilio obiit Felix, ut nota adscripta indicat.

(1) *Hist. ex Trogo lib. XVIII. c.* 6. *v. Salmas. in Solin. p.* 322.

ccclvI.

MAXVLITANVS

Nota Geographis quoque veteribus *Maxula*, quae Ptolemaeo est Μαζυλα, Plinio *Maxulla*, qui et coloniam appellat: provinciae Proconsularis oppidum erat, ad isthmum sita contra Carthaginem, *Major* quandoque dicta, et in Itinerario Antonini *Prates* cognominata, quod alia intus in Africa esset, quae eodem nomine designaretur. fama etiam ei parta a Martyribus, qui fere *Massylitani* appellantur: ut in Martyrologio Romano (1) et in titulo sermonis, quem habuit Augustinus (2) in Natali eorum. at in kalendario Carthaginiensi rectius *Maxulitani* dicti sunt (3).

NVMIDIVS. I. interfuit hic Concilio Carthaginiensi, quod Geneclius coegit anno cccLxxxx. in quo saepius interloquutum esse, Acta demonstrant (4): deinde aliis. tum. Collationis caussa rediit anno ccccxI. in qua citatus, quum se *praesto* esse dixisset (5), adversarium habuit Felicem Donatistam, qui progressus in medium ait, *Agnosco illum*. denique jam senior Concilio Carthaginiensi adfuit, quod adversus Pelagianos celebratum est anno ccccxvI. in cujus epistola, quae ad Innocentium Pont. Max. missa fuit, primus post Aurelium Carthaginiensem cietur (6). apparet autem, Ecclesiae Maxulitanae eum praefuisse annos amplius viginti sex: quin et multo plures, si ipse ad synodum Aquilejensem legatus est anno ccclxxxI.

CARCADIVS. hunc Notitia tricesimum recenset inter Episcopos provinciae Proconsularis, qui anno ccccLxxxIIII. Carthaginem edicto Regis Hunerici convenere, atque inde cum reliquis in exsilium acti sunt. fuit autem Carcadius ex eorum numero, quos Arianus Rex in insulam Corsicam exportari jussit.

NVMIDIVS. II. hic subscripsit Concilio Carthaginiensi anni DXXV. quod Bonifacius vocavit (7).

(1) *ad diem VIII. Apr.*
(2) *serm.* 283.
(3) *XI. kal. Aug.*
(4) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 951.
(5) *Cognit. I. n.* 112.
(6) apud Hard. *ibid. p.* 2013.
(7) *ibid. T. II. p.* 1082.

ccclvII.

MAZACENSIS

Celebrantur apud poëtas *Mazaces* ob sagittandi usum (1); nec dubium est horum oppidum fuisse *Mazacam*, quae in Notitia Numidiae adtribuitur. nam et Stephanus, Μαζυες, inquit, οἱ Λυβιης Νομαδες.

APRONIANVS. fuit hic e viginti Episcopis Catholicis, qui an. ccccxI. quum serius Carthaginem Collationis caussa venissent, Mandato non subscripserunt: quare sub finem primae Cognitionis vocati, se consentire professi sunt. primus horum erat Apronianus, quem Marcellinus V. C. sic

(1) Lucan. *lib. III.* v. 681. Claudian. *Carm. XXI.* v. 356.

interrogavit (2): *Cujus es civitatis Episcopus?* cui respondit, *Mazacensis.* tum ille, *Mandato, cui per absentiam non subscripsisti, consentis?* hic vero, *Consentio*, inquit.

BENENATVS. est hic ordine octogesimus primus in albo Episcoporum Numidicorum, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, Regis Hunerici jussu cum reliquis in exsilium pulsi sunt. peregre autem defunctum Benenatum adjecta mortis nota declarat.

(2) *Cognit. I. n.* 215.

CCCLVIII.

MEDEFESSITANVS

Provinciae Byzacenae oppidum, ut Notitia indicat, *Medefessa* fuit, quae et *Menefessa* scribitur, et apud Procopium *Menefese* (1): nec alia fortasse est, quae in Antonini Itinerario *Menegese* appellatur, inter *Vegesaleam* et *Thevesten* sita, quae Teberta aut Telepte esse videtur.

MENSVRIVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et subscriptione ejus recitata, adjecit (2), *Neminem habeo contra me.* at Valentinianus Primiani Donatistae Diaconus ait, *Modo exivit de corpore*, Episcopus scilicet Donatista Mensurii adversarius, cujus tamen nomen ignoramus.

SERVVS. hunc Notitia quinquagesimum septimum numerat inter Episcopos provinciae Byzacenae, quibus Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem, ut ceteris omnibus, exsilium irrogavit.

(1) *Bell. Vand. lib. II. c.* 23. (2) *Cognit. I. n.* 135.

CCCLVIIII.

MEDIANENSIS

Provinciae Byzacenae *Medianam* adscribit Notitia, sed quale oppidum, aut quibus finitimum esset, a Geographis veteribus traditum non invenio.

ANTACIVS. est hic vicesimus septimus inter Episcopos, qui e provincia Byzacena anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, jussu Regis Hunerici cum reliquo Episcoporum agmine in exsilium pulsi sunt.

CCCLX.

MEDIANENSIVM ZABVNIORVM

Quod oppidum fuerint *Medianae Zabuniorum*, Geographi non indicant. at ex Collatione Carthaginiensi prope manifestum est, eas in Mauretania Sitifensi fuisse, nec ab ipsa Sitifi longe dissitas.

DONATVS. erat hic e grege Donatistarum, quos inter anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi adfuit, et tamquam Episcopus Medianensium Zabuniorum citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi.* sed Victor quidam e Catholicis Episcopis jurisdictionem ejus in controversiam vocans, *Probet*, inquit, *se accessisse ad unam domum, quam dicit.* deinde Novatus Si-

(1) *Cognit. I. n.* 203.

tifensis haec addidit: *Scriptum sit, Medianas Zabuniorum habere Presbyterum: ipse hodie tenet plebem et Basilicam: unitatem habet. nullus illic est Donatistarum. supra corpus Episcopi Catholici Presbyterum ordinavi: et Deo volente ordinabitur illic Episcopus. Episcopus autem Donatistarum in eodem loco non est.*

CCCLXI. MEDIENSIS

Vicus oppidumve *Mediae* vel *ad Medias* ad Manretaniam Caesariensem pertinebat, ut Notitia demonstrat.

AEMILIVS. est hic quadragesimus septimus in albo Episcoporum, qui anno CCCCLXXXIIII. e Mauretauia Caesariensi Carthaginem ad conventum se contulere, atque Regis Hunerici jussu cum reliquis Episcopis exsilio affecti sunt.

CCCLXII. MEGLAPOLITANVS

Consentiunt codices veteres, nomen oppidi fuisse *Meglapolin:* quae tamen appellatio vulgi imperitiam arguit, quam scribae sequuti sunt. nemo enim non videt, eam a Graecis esse, a quibus *Megalepolis,* ut ratio poscebat, dici debuit. ceterum nomen illud sine re fuisse videtur: nulla enim oppidi fama est apud Geographos, et illud unum exploratum habemus, oppidum provinciae Proconsularis fuisse, ut Notitia indicat.

ROMANVS. adfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et subscriptione ejus recitata, ait (1), *E diverso non habeo.* at reposuit Felix Donatista, *Presbyterum habemus Maximianum: praesto est.*

CORONIVS. quadragesimus hic est in albo Episcoporum provinciae Proconsularis, quos Rex Huuericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis relegavit. et Coronius quidem ex iis fuit, qui in insulam Corsicam deportati sunt.

REPARATVS. Concilio hic interfuit provinciae Proconsularis anno DCXXXXVI. et epistolae synodicae cum aliis subscripsit (2), quae tum missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum, qui Monotheletarum errores pessimo exemplo fovebat: cujus epistolae exemplar in Acta veteris Concilii Lateranensis relatum est.

(1) *Cognit. I. n.* 133. (2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 750.

CCCLXIII. MELZITANVS

Inter oppida libera provinciae Proconsularis *Melzitanum* numerat Plinius (1), quod Ptolemaei *Meldita* esse videtur, ultra Vticam sita.

VALERIVS. fuit hic e numero Maximianistarum, qui an. CCCLXXXXIIII. in Concilio Bagajensi a Primiano ejusque adseclis damnatus est (2).

(1) *H. N. lib. V. c.* 4. (2) apud *Aug. contra Cresc. lib. III. c.* 4.

TVTVS. adfuit hic inter Catholicos Episcopos anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in eaque vocatus, quum se *praesto esse* respondisset, adjecit (3), *Sed alium contra me non habeo.* idem an. CCCCXVI. et CCCCXXIIII. Conciliis Carthaginiensibus interfuit, ejusque nomen quarto loco recensetur in titulo epistolae, quae a Concilio scripta est (4) ad Caelestinum Pont. Max. de criminationibus et confessione Apiarii Presbyteri.

(3) *Cognit. I. n.* 121. (4) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 947.

CCCLXIIII. **MEMBRESITANVS**

Notum provinciae Proconsularis oppidum *Membresa* fuit, quam Procopius trecentis et quinquaginta stadiis a Carthagine distare scribit (1). Itinerarium autem Antonini inter Musti et Sicilibram collocat, id est in mediterraneo ad Bagradam, meridiem versus. nomen quandoque variat: nam et *Membressa* scribitur, atque in tabula Peutingeri *Membrissa.* oppidi auxit famam triumphus Martyrum Ammonis, Aemiliani, Lassae, Didymi, Poëmi et aliorum triginta octo: quorum in plerisque Martyrologiis mentionem invenias: quamquam de anno Martyrii nihil usquam traditum est, diesque tantum designatur, qui fuit IIII. idus Februarias.

LVCIVS. sententiam hic dixit sexagesimo secundo loco in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo celebravit anno CCLV. in recentioribus exemplaribus *Confessor* appellatur: quem titulum non praeferebat exemplar, quo Augustinus usus est, quum singulas Episcoporum, qui tum convenisse dicuntur, sententias refutavit (2).

SALVIVS. numeratur hic inter primarios Donatistas, qui Maximianum consecraverunt: idem in Concilio Cabarsussitano anni CCCLXXXXIII. damnavit cum aliis Primianum (3), et in Bagaitano anni insequentis damnatus ipse est cum sociis (4). quae autem paullo post ab Abitinensibus passus sit Serani Proconsulis sententia subnixis, narrat non semel Augustinus. *Capto enim*, inquit, *seni mortuos canes alligaverunt in collo, et sic cum illo quantum libuit saltaverunt.*

GENNADIVS. adfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et subscriptione ejus recitata, dixit (5), *E diverso mihi est Restitutus.* qui sane progressus ait, *Agnosco illum:* ac subinde vocatus inter suos, *Mandavi*, inquit (6), *et subscripsi.* erat autem hic, quem Augustinus in locum Salvii ordinatum scribit (7).

BONIFACIVS. Carthaginem hic, indicto ab Rege Hunerico conventu, se contulit anno CCCCLXXXIIII. at explorato Regis consilio, qui omnes Episcopos Catholicos exsilio destinarat, rem maturandam duxit, itaque fuga arrepta, ante sententiam solum vertit. idcirco in Notitia nomini ejus adscriptum est *Fug.* est autem in albo provinciae suae octavus.

(1) *Bell. Vand. lib. II. c.* 15.
(2) *lib. VI. et VII. de Bapt. contra Donat.* v. *etiam lib. III. contra ep. Parm. c.* 6.
(3) apud Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20.
(4) *ibid. contra Cresc. lib. III. c.* 4. *et* 49.
(5) *Cognit. I. n.* 133.
(6) *ibid. n.* 198.
(7) *epist.* 108. *n.* 14.

PASCHASIVS. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius coëgit anno DXXV (8).

VICTOR. hujus nomen occurrit inter subscriptiones epistolae, quae anno DCXXXXVI. a Patribus Concilii Proconsularis missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (9).

(8) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082. (9) *ibid. T. III. p.* 750.

CCCLXV. MEMBLOSITANVS

Praeter Membresam in eadem provincia Proconsulari fuit et *Memblosa*, quod ex Collatione Carthaginiensi perspicuum est. ejusdem nominis vestigia apparent in tabula Peutingeri, in qua *Membione* appellatur, et apud Anonymum Ravennatem, qui *Membronem* vocat (1). *Memplonitani loci* meminit, tamquam ejusdem provinciae, auctor librorum de miraculis sancti Stephani (2), unde etiam liquet, non longe ab Vzala fuisse.

THEASIVS. gerebat hic pontificatum Memblositanum ante an. CCCCIIIL nam hoc anno legatione ad Principes cum Evodio fungi jussus est contra Donatistas in Concilio Carthaginiensi, quod nonum fuit eorum, quae Aurelius celebravit. exstat etiam in codice canonum Ecclesiae Africanae numero LXXXXIII. commonitorium, quod Legatis a concilio datum est. subinde Collationi Carthaginiensi praesens fuit Theasius anno CCCCXI. et subscriptione ejus perlecta, de Ecclesia ipse sua testimonium dixit hujusmodi: *Sola unitas est illic Ecclesiae Catholicae* (3). idem porro et alter Episcopus confirmavit, pessimo Donatistae Episcopi, qui illic aliquando fuerat, exitu indicato: *Tempore*, inquit, *persequutionis succubuit illic Episcopus, qui illic fuit.* rursum Theasius anno CCCCXVI. Concilii Carthaginiensis adversus Pelagianos pars fuit, ejusque nomen legitur in titulo epistolae (4), quam Patres misere ad Innocentium Pont. Max. vivebat idem anno CCCCXXIIII. nam ejusdem nomen occurrit in titulo epistolae, quae a Patribus Concilii Carthaginiensis scripta est ad Caelestinum Pont. Max. (5)

(1) *lib. III. n.* 4.
(2) *inter oper. Aug. lib. I. c.* 5.
(3) *Cognit. I. n.* 133.
(4) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1213.
(5) *ibid. p.* 947.

CCCLXVI. MERFEREBITANVS

Nulla hujus sive oppidi sive vici apud veteres indicia sunt: provincia item ignota, cui possis adscribere: nisi quod ejus Episcopus in Collatione Carthaginiensi post Sufetanum cietur, qui in provincia Proconsulari erat.

DONATVS. interfuit hic cum Donatistis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi.* de Catholico autem Episcopo mentionem nullam injecit.

(1) *Cognit. I. n.* 187.

CCCLXVII. MESARFELTENSIS

Si nomen spectes, oppidum peregrinorum putare possis: nam *Mezar* Afris *peregrinus* est, ut Bochartus adnotat (1). *Mesarfiliam* invenit Ludovicus Pinius in tabula Peutingeri, quae inter Zyrnas Mascli et Gemellas cietur: quare *Mesarfeltam* provinciae Byzacenae is adscribit. ceterum Harduinus in Numidia collocat, cui potius adsentior: nam de ea Aurelium Macomadiensem in Collatione Carthaginiensi interloquutum apparet, qui omnino, ut jam ostendimus, ad Numidiam pertinebat.

LVCIANVS. defunctum hunc constat ante annum CCCCXI. nam in Collatione Carthaginiensi, quum citatus esset Benenatus Episcopus Donatista Mesarfeltensium, isque respondisset (2), *Mandavi et subscripsi: et adversarium non habeo:* Aurelius Macomadiensis, qui Catholicorum partes in eo conventu saepe tuitus est, tamquam testis reposuit: *Habes: persequutio tua plurimos cives evertit. Lucianus ibi fuit Episcopus. adhuc ordinari habet*, successor nempe illius; cujus tamen vices ignotae sunt.

(1) *Geogr. Chan. lib. II. c.* 15. (2) *Cognit. I. n.* 198.

CCCLXVIII. METENSIS

Oppidum *Metam*, inde appellationem sortitum, quod jugo impositum, metam imitari videretur, veri esse simile puto. ceterum de eo nihil Geographi tradidere: unaque e Notitia exploratum habemus, ad Numidiam pertinuisse.

GRATIANVS. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi cum Episcopis Catholicis, in eaque citatus (1), se *praesto esse* respondit. ex adverso prodiit Fortunatianus Donatista, qui ait, *Agnosco illum:* ac deinde inter gregales suos vocatus (2), *Mandavi*, inquit, *et subscripsi.*

FELICIANVS. hunc Notitia quadragesimum sextum recenset in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis Episcopis relegavit.

(1) *Cognit. I. n.* 126. (2) *ibid. n.* 187.

CCCLXVIIII. MIBIARCENSIS

Provinciae Byzacenae oppidum fuisse *Mibiarcam*, ex Concilii veteris Lateranensis monumentis discimus. sed apud veteres mentio ejus nulla occurrit, nec unde nomen sit, facile quis indicaverit.

IOANNES. subscripsit hic inter primores epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletas (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 739.

CCCLXX. MIDICENSIS

Midicam ad provinciam Byzacenam pertinuisse, ex Collatione Carthaginiensi manifestum est, in qua sita dicitur *Secus Tapruram*. hanc enim in eo tractu fuisse constat, quamquam nomen alii aliter efferunt: nam Plinio *Taphra*, Ptolemaeo *Taphrura* est, in Itinerario autem et in Peutingeri tabula *Taparura*.

MARCVS. erat hic e grege Donatistarum, eosque inter anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, ac citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi: adversarium non habeo.* ad quae Alypius Thagastensis, unus e septem, quos Catholici Actores designaverant, *Unde es*, inquit, *quae est autem civitas tua?* cui Marcus reposuit, *Secus Tapruram Midica: novit me Dimenianus a Taprura.* hic vero Catholicus Episcopus erat, qui *Limenianus* alibi dicitur (2).

(1) *Cognit. I. n.* 187. (2) *ibid. n.* 135.

CCCLXXI. MIDILENSIS

Midila in Numidia fuit, ut Notitia ostendit, quae a Mididi provinciae Byzacenae oppido distinguenda est. ceterum de Midila veteres Geographi quum sileant, indicium nobis aliquod e Sponiano lapide affulget pag. CLXXXXI. in eo quippe statua Iuliae Domnae Aug. dicata dicitur, adjecta in sumptum tertia pecuniae parte *Ex decreto Paganor. Pagi Mercurialis Veteranorum* MEDILITANORVM, quos in Pagum illum tamquam colonos deductos putaverim. lapidem, qui Florentiae nunc est, ex agro Tunetano avectum constat.

IADER. interfuit hic Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo vocavit anno CCLV. in eoque sententiam quadragesimus quintus dixit. in recentioribus autem exemplaribus appellatur *Confessor et Martyr.* quare ille esse videtur, quem Cyprianus memorat initio ejus epistolae (1), quam scripsit ad Nemesianum et ceteros Martyres in metallo constitutos, quique cum Felice et Poliano ceterisque sociis apud Metallum Siguense commorantibus responsum dedit: cujus subscriptio fuit, *Iader subscripsi* (2). eundem Ecclesia Romana in Martyrologio celebrat quarto idus Septembres cum Nemesiano et sociis, qui sub Valeriano et Gallieno Martyrum lauream adepti dicuntur. nomen ipsum Punicum habendum est, ac fortasse diminutum a *Iar:* nam in Tunetano lapide occurrit IAR. MODERATVS religione Christianus, quem ad eandem Iaderis aetatem pertinere putaverim. edidit epitaphium ejus redux ex Africa clari nominis scriptor Felix Caronnius Barnabites. (in hist. sua p. CLXXXV.) *Iar* autem Poenis *lignum* est aut *silva*. itaque *Silvanum* Latini reddidissent.

(1) *epist.* 77. (2) *epist.* 80.

IVLIANVS. hic anno CCCCXI. quum sontica caussa domi retineretur, indicta tamen Collatione Carthaginiensi, Presbyterum Rufinum misit Carthaginem, qui pro se subscriberet, ne Donatistarum suorum numerus uno minor esset (3). perlecta autem hujus subscriptione, Fortunatianus Siccensis, unus e septem Actoribus Catholicis ait, *Respondeatur, utrum pro praesente subscripserit.* tum vero Adeodatus, qui septimus erat ex Actoribus Donatistarum, sic respondit: *Iulianus aegritudine praepeditur: sed ne videretur aliquo pacto defuisse, Presbyterum misit, per quem suam absentiam excusaret, et ipse pro illo subscripsit.* rem Marcellinus V. C. probabilem habuit; at Fortunatianus adjecit, *Etiam hoc testatum esse volumus, quia pro absente subscripsit.*

FLORENTIANVS. est hic ordine quadragesimus primus in albo Episcoporum Numidicorum, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, exinde jussu Regis Hunerici in exsilium cum reliquis pulsi sunt.

(3) *Cognit. I. n.* 193.

CCCLXXI.

MIDITANVS

Miditani, qui et *Mididitani* provinciam Byzacenam incolebant, ut Notitia indicat. nomen oppidi fuit *Mididi*, quod in vita s. Fulgentii *Civitas Mididi* appellatur (1); sic enim in codice Colbertino legit Baluzius, quum in aliis *Ididi* scriptum sit.

SERENIANVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et subscriptione ejus recitata, de Ecclesia sua testatus est (2), *Catholica est.* contra quem tamen Peregrinus Sufetanus Episcopus Donatistarum ait, *Presbyterum illic habeo Victorem. Diocesis mea est.* fuit e VII. consiliariis.

EVBODIVS. hic sextus est in albo Episcoporum, qui an. CCCCLXXXIIII. e provincia Byzacena ad conventum Carthaginiensem profecti, ab Rege Hunerico cum reliquis relegati sunt.

(1) *cap.* 12. (2) *Cognit. I. n.* 142.

CCCLXXII.

MIGIRPENSIS

Migirpam Geographi non memorant: sed tamen in provincia Proconsulari fuisse, ex Notitia discimus.

PRIMVS. sententiam hic dixit secundo loco in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo celebravit anno CCLV. hunc Augustinus *Felicem* appellat, et in codicibus quibusdam *Primus Felix* audit.

TITVS. mentio hujus fit in praefatione Concilii Carthaginiensis anni CCCLXXXXVII. quod tertium ex Aurelianis fuisse creditur. sed nomen quandoque in antiquis codicibus variat: nam et *Tutus* et *Totus* occurrit (1).

VICTOR. adfuit hic cum Episcopis Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua vocatus, se *praesto esse* dixit (2). nec defuit ad-

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 882. (2) *Cognit. I. n.* 126.

versarius ejus Donatista nomine Gloriosus, qni ait, *Agnosco illum:* ac subinde citatus (3), respondit, *Mandavi et subscripsi.*

PASCHASIVS. hunc Notitia vicesimnm tertium recenset inter Episcopos provinciae Proconsularis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquo illo Episcoporum coetu in exsilium ejecit. fuit autem Paschasius ex eorum numero, qui in insulam Corsicam deportati sunt.

(3) *ibid. n.* 198.

CCCLXXIIII.

MILEVITANVS

Clarum Numidiae oppidum *Mileum* fuit, quod et *Milevum* dicebatur, inter Cirtam et Idicram situm, ut Antonini Itinerarium et tabula Peutingeri demonstrant. fama urbi parta in primis a Conciliis duobus, quae ibidem acta, alternm anno CCCCII. alterum anno CCCCXVI. cujus etiam epistola exstat, quae de cohibendis Pelagianis haereticis ad Innocentium Pont. Max. scripta est (1).

POLLIANVS. adfuit hic Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo vocavit anno CCLV. in eoque sententiam suam decimus qnartus pronunciavit. biennio post claruit inter Confessores.

OPTATVS. I. hic ille est, qui septem libros de schismate Donatistarum adversus Parmenianum reliquit, ab Hieronymo (2), Augustino, Fulgentio aliisque laudatos. celebrat Optatum Ecclesia Romana in Martyrologio pridie nonas Iunias tamquam doctrina et sanctitate conspicuum. scribebat autem ante annnm CCCLXXV. ut testatur Hieronymus. nam quod Siricium memoret, qui Damaso successit anno CCCLXXXIIII. nomen illud postea vel ab ipso, vel ab aliis additum, recte statues. verum quo ille anno decesserit, ignoramus.

HONORIVS. vivebat hic sub exitum saeculi quarti, quo tempore Petilianus Donatistis Cirtensibus praeerat. ceterum qnum Catholicus esset, non iis erat moribus, quibus Episcopum ornatum esse oportere Paullus edixerat. certe Augustinus contra Petilianum scribens, capite XXXVII. libri tertii hunc Episcopis adnumerat, qui damnati et loco moti fuerant. nam qunm Petilianus in Catholicos dixisset, *Nemo vestrum est innocens, ubi reus nemo damnatur:* reposuit inter alia Augustinus, *Milevitanum Honorium de proximo potuit intueri:* quod is uempe Episcoporum sententia Ecclesiam suam amisisset.

SEVERVS. hujus epistola exstat (3), quae ad Augustinum scripta est hoc initio: *Deo gratias, frater Augustine, cujus donum est, quidquid in nobis bonorum gaudiorum est.* missa autem videtur circa annum CCCCVIII. sunt et Augustini quaedam ad Severum (4), quarum ultima hanc habet clausulam: *Dominus Deus noster impleat cordis tui tam grandem et tam sanctum sinum, quem ipse fecit, Domine beatissime.* Carthaginem pe-

(1) apud Aug. *epist.* 176.
(2) v. Lud Pithium. *post praef. in Opt.*
(3) apud Aug. *epist.* 109.
(4) *epist.* 62. 63. 110.

tiisse Severus Collationis caussa creditur, sed morbo tentatus domum esse reversus: haec certe in Collatione interloquutus est Alypius (5), quum postremi e Catholicis Episcopis cierentur: *Diu*, inquit, *observavit Severus, sed nunc infirmitate discessit.* vixisse tamen Severum ad annum CCCCXXV. testis est Augustinus, qui anno insequenti VI. kal. Oct. quo die apud Hipponenses suos de Heraclio successore designando egit, sic de Severi morte mentionem intulit (6): *Sicuti novit caritas vestra, in Milevitana Ecclesia modo fui: petierunt enim me fratres, et maxime servi Dei, qui ibi sunt, ut venirem; quia post obitum beatae memoriae fratris et Coepiscopi mei Severi nonnulla ibi perturbatio timebatur.* habuit Severus adversarium Adeodatum, qui in Collatione Carthaginiensi unus fuit e septem Actoribus Donatistarum: pro quibus saepe interloquutum Acta ostendunt.

OPTATVS. II. prodit hic e codice Bibliothecae Gottuvicensis in Austria, qui epistolam ejus ad Caesarenses Mauretaniae commemorat, et litteras exhibet Augustini ad eum de origine animarum, quae scriptae fuere anno CCCCXX. neque enim primus ille Optatus hunc annum attigisse putari potest, quum Honorium et Severum successores habuerit, de quorum aevo dubitare non licet. leges autem epistolam illam ad Optatum in volumine ultimo operum Augustini in ipso initio: quam et Eugipius delibarat.

BENENATVS. est hic centesimus decimus quartus in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis relegavit.

RESTITVTVS. Concilio Constantinopolitano hic interfuit, quod celebratum est anno DLIII. cui et subscripsit his verbis (7): *Restitutus misericordia Dei Episcopus sanctae Ecclesiae Catholicae civitatis Mileon provinciae Numidiae, similiter.*

Post annos amplius octingentos auditi rursum Milevitani Episcopi, qui tamen ferme omnes ornamentarii fuerunt. eorum haec rescire nomina licuit (8).

IOANNES circa an. M.CCCC. (Wading. *T. VIII. p. 356.*)
GERLATVS Loenius an. M.CCCC.XIII. (idem *ibid.*)
EMMANVEL de s. Ludovico an. M.DC.LXXII. (*Act. Consist.*)
HYACINTHVS de Faldanna an. M.DC.LXXV. (*Act. Consist.*)
IOAN. IGNATIVS Blavhouschius an. M.DC.LXXVIII. (*Hist. Eccl. d'Allem. T. II. p. 145.*)
CAIVS ASTERIVS Toppius an. M.DCC.XXVIII. (*Act. sac. Colleg.*)

(5) *Cognit. I. n.* 215.
(6) *epist.* 213. *n.* 1.
(7) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 205.
(8) *plerosque suppedit.* Marin. vir. opt.

CCCLXXV. **MILIDIENSIS**

Oppidum ignoti situs Harduino est *Milidia:* nec certe apud veteres scriptores hoc nomine occurrit: quia vero ex unico exemplari Collationis

Carthaginiensis nomen hoc emersit, de mendo suspicari licet. distingui tamen a Midila et Mididi debet, quorum oppidorum primum in Numidia, alterum in provincia Byzacena fuisse vidimus. utrumque nimirum in eadem Collatione memoratur, et diversum a *Milidia* ostenditur. idcirco facile adducor, ut credam, pertinere hoc ad provinciam Proconsularem, et inde esse *Veteranos Medelilanos*, quorum mentio fit in veteri inscriptione, quae non longe ab agro Tunetano inventa est, atque adeo in media Zeugitana. edidit hanc post alios Gorius ex ipso lapide descriptam, qui jamdiu Florentiae est (1), et basis erat statuae, quae dicata fuerat *Iuliae Domnae Aug..... Ex decreto Paganorum Pagi Mercurialis Veteranorum Medelitanorum.* sic enim legit Gorius: nam Sponius habet *Medilitanorum* (2), quem Fabrettus sequutus est (3).

LIBERALIS. erat hic e grege Donatistarum, quibuscum adfuit anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, ac citatus (4) ait, *Mandavi et subscripsi.* de Catholico autem Episcopo Medelilanorum nullum usquam indicium se offert.

(1) *Inscr. Etr. T. I. p. 6.*
(2) *Misc. erud. ant. p. 191.*
(3) *Insc. dom. p. 679. n. 50.*
(4) *Cognit. I. n. 208.*

CCCLXXVI. MIMIANENSIS

Obscurum apud Geographos nomen est *Mimiana*, nec aliud cognitum habemus, quam quod Notitia indicat, nempe ad provinciam Byzacenam pertinuisse.

SECVNDIANVS. est hic septuagesimus secundus in albo Episcoporum, qui e provincia Byzacena Carthaginem se contulere anno CCCCLXXXIIII. et cum toto illo collegarum conventu ab Rege Hunerico ejecti sunt. permissum autem Secundiano esse, ut, ubi mallet, exsularet, nota apposita *In exsil.* indicare videtur.

CCCLXXVII. MINENSIS

Pertinebat *Mina* ad Mauretaniam Caesariensem, ut Notitia ostendit, et Itinerarium Antonini, in quo cietur post Ballene praesidium in itinere a Cala Rusuccurum.

CAECILIVS. est hic quadragesimus nonus Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. Regis Hunerici jussu convenere, atque inde in exsilium cum reliquis, quos ille acciverat, ejecti sunt.

SECVNDINVS. interfuit hic Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius coegit anno DXXV. cui et subscripsit primus post legatos provinciarum, hoc modo (1): *Secundinus Episcopus plebis Minensis provinciae Mauritaniae.*

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p. 1081.*

CCCLXXVIII.

MISSVENSIS

Oppidum *Misuam* memorat Plinius (1) ad sinum Carthaginiensem prope Carpos, nec longe a promontorio Mercurii, occasum versus. in Ptolemaeo mendose *Nisua* appellatur. diversum autem oppidum in eadem provincia fuisse *Muzuam*, Notitia demonstrat. Procopii aevo Navale Carthaginiensium Misuae fuisse, ex historia ejus discimus (2).

HIRVNDINVS. hunc Notitia decimum septimum recenset inter Episcopos provinciae Proconsularis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis relegavit. ipse autem Hirundinus in insulam Corsicam, ut nota ostendit, deportatus est.

SERVVS DEI. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi, quod a Bonifacio celebratum est anno DXXV (3).

(1) *H. N. lib. v. c.* 4.
(2) *Bell. Vand. lib. II.*
(3) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

CCCLXXVIIII.

MIZIGITANVS

Ignotum oppidum *Mizigi*, nisi sit, quod Victor Vitensis (1) *Mizentinam civitatem* appellat, cujus alibi mentio nulla est. ex ea ortum is scribit egregium Confessorem Cresconium, qui sub Rege Hunerico saevientibus in Catholicos Arianis, *in spelunca Ziquensis montis repertus est, putrescente jam solutus cadavere.* porro *Mizigi* provinciae Proconsulari adtribuit Harduinus, quod ejus Episcopus Concilio Carthaginiensi subscripserit sub Bonifacio, in quo plerique omnes, praeter legatos ceterarum provinciarum, e Proconsulari fuisse videntur.

PLACIDVS. hic est, quem modo subscripsisse dicebam Concilio Carthaginiensi, quod celebratum novimus anno DXXV (2).

(1) *Pers. Vand. lib. v. c.* 15.
(2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

CCCLXXX.

MOLICVNZENSIS

In Mauretania Sitifensi fuisse *Molicunzam*, Notitia nos edocet: sed apud Geographos nulla ejus vestigia sunt. nam *Molochath* flumen cum oppido cognomine in Tingitania erat, si Ptolemaeo fides. ceterum ne lectio quidem satis certa, nam in Halleri codice scriptum est *Molicuntensis.*

ROMANVS. est hic vicesimus septimus inter Episcopos, qui e Mauretania Sitifensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem a Rege Hunerico acciti, post conventum cum ceteris in exsilium pulsi sunt.

CCCLXXXI.

MONTENSIS

Numidiae oppidum *Monte*, ut Notitia indicat. in Peutingeri etiam tabula occurrit *Monte:* sed loci pariter et nominis obscura origo est. ceterum

a jugo montis ductam appellationem crediderim: nam Afri, ut alibi indicavimus, urbium nomina sexto quandoque casu efferebant.

DONATIANVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, interque Catholicos vocatus, se *praesto esse* respondit (1). adversario autem Donatista non carebat; sed valetudinis caussa interesse non potuit: quod Petilianus Actor Donatistarum illico significavit, *Aegrotat* inquiens, nec tamen nomen ejus protulit.

VALENTIANVS. hunc Notitia vicesimum quintum numerat inter Episcopos Numidicos ab Rege Hunerico anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis relegatos: notam quoque addit, quae eum peregre defunctum declarat.

(1) *Cognit. I. n.* 121

CCCLXXXII. **MOPTENSIS**

Variat plane lectio: nam idem oppidum *Mopta* et *Mocta* et *Mozota* appellatum videtur, quod incredibile prope est. in Mauretania Sitifensi fuisse constat, quamquam Geographi silentio praeterivernnt; neque vicum aut oppidulum ignobile credere licet, quum in Collatione Carthaginiensi *Municipium* appelletur: esto enim, non omnes urbes, quae Municipia dicuntur, civium Romanorum semper fuerint, ea tamen appellatio jure habetur nobilium oppidorum: nec in Africa vulgaris erat, sed civitatum propria, quae magis emiuebant.

LEO. interfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua adversarium sibi esse Felicem Donatistam fassus est: qui sane accedens ait, *Agnosco illum* (1). ac subinde citatus (2) respondit, *Et mandavi et subscripsi.* porro Leo Ecclesiae suae an. CCCCXVIII. etiamtum praeerat, quo anno provinciae Sitifensis legatione cum Novato functus est in Concilio Carthaginiensi, quod XVIII. est eorum, quae sub Aurelio acta sunt (3).

VILLATICVS. hunc Notitia tricesimum tertium recenset inter Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. e Mauretania Sitifensi ad conventum Carthaginiensem profecti sunt, ac subinde cum reliquis collegis a Rege Hunerico relegati in exsilium concessere.

(1) *Cognit. I. n.* 143.
(2) *ibid. n.* 180.
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1249.

CCCLXXXIII. **MOXORITANVS**

Qualecumque oppidum fuerit *Moxori*, nam plane ignotum est, ad Numidiam pertinuisse, ex Notitia discimus.

DOMNINVS. est hic ordine septuagesimus sextus inter Numidicos Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. ad communem conventum Carthaginem, quo eos Rex Hunericus acciverat, se contulerunt. durum autem exsilium tolerare Domninus jussus est, qui ad metalla, ut nota indicat, damnatus fuit: prope Sigam fortasse in Tingitania, unde *Siguense metallum* apud

Cyprianum (1); vel in Mauretania Caesariensi, ubi *Chalcorychii montes* et aeris fodinae erant, a Strabone memoratae (2).

(1) *epist.* 77. *et* 80. (2) *lib. xvII.* v. Baron. *ad an.* 260. *n.* 42.

CCCLXXXIIII. MOZOTCORITANVS

Provinciae Byzacenae oppidum *Mozotcori* facit Notitia: nec de eo quidquam ab aliis traditum est.

FORTVNATVS. est hic ordine nonagesimus primus inter Episcopos, qui e provincia Byzacena anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, exsilioque cum reliquis a Rege Hunerico multati sunt.

CCCLXXXV. MVLIENSIS

Muliense oppidum in Numidia fuisse, Notitia indicat. id autem esse videtur, quod in Actis Martyrum Iacobi et Mariani apud Ruinartium (1) *Muguis* dicitur, et Cirtensis *coloniae suburbana vicinitas* appellatur. Municipium etiam habendum est, siquidem huc pertineat Episcopus *Municipii Tulliensis,* qui in Bonifacii Concilio legatus Numidiae fuit. ceterum Municipii Tulliensis mentionem facit Augustinus cap. xII. ejus libri, quem ad Paullinum Nolanum scripsit *De cura gerenda pro mortuis,* idque Hipponi proximum fuisse scribit. quamquam autem in provincia ejus designanda consentit, vix tamen credi potest, utroque loco mendum obrepsisse, et *Tulliense* appellatum esse, quod *Muliense* erat.

LATINVS. erat hic e numero Maximianistarum, quibuscum anno CCCLXXXXIII. Concilio Cabarsussitano interfuit, et epistolae synodicae subscripsit, quam ab Augustino accepimus (2), apud quem *Mugiensis* appellatur.

PEREGRINVS. est hic ordine centesimus nonus inter Episcopos Numidicos, qui anno CCCCLXXXIIII. a Rege Hunerico post conventum Carthaginiensem cum reliquis collegis relegati sunt.

(1) *in Act. sinc. MM. p.* 225. *n.* 2. (2) *in ps. xxxvI. serm. II. n.* 20.

CCCLXXXVI. MVLLITANVS

Si nomen oppido a barbatulis piscibus inditum est, maritimum putare licet. in provincia Proconsulari fuisse extra controversiam est. ceterum Geographi indictum praetermisere.

CANDORIVS. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et subscriptione ejus recitata, Marcellinus Donatista, quem adversarium habebat, ait (1), *Agnosco illum:* ac subinde citatus dixit (2), *Mandavi et subscripsi.*

(1) *Cognit. I. n.* 133. (2) *ibid. n.* 198.

LIBERATVS. hunc Notitia decimnm quintum numerat inter Episcopos provinciae Proconsularis, quos Rex Hunericns anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cnm ceteris relegavit: eundemque e numero eorum facit, qui in insulam Corsicam deportati sunt.

SEGETIVS. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi, quod a Bonifacio convocatum est sub Rege Hilderico, anno DXXV. (3)

(3) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

CCCLXXXVII. MVNATIANENSIS

Villam sive fundum Munatiornm hic designari pnto, cui Romano more nomen impositnm *Munatianum.* in provincia Byzacena fuisse non est ambigendum. nam Episcopns ejus in Concilio Cabarsussitano praeivit Episcopis omnibns illius provinciae. ceterum apnd veteres nihil de hoc sive vico sive oppido scriptum reperio.

VICTORINVS. erat hic e primoribns Maximianistarum, et in eorum Concilio anni CCCLXXXXIII. Primas sive senior habitus videtur: nam in epistola, quae tum missa est per omnem Africam, et primus ipse sub initium cietur, et primus item subscripsit (1): quae summam ejus in provincia Byzacena auctoritatem declarant.

(1) apud Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20.

CCCLXXXVIII. MVNICIPENSIS

Non unnm in Numidia Municipium erat, ut Antonini Itinerarinm demonstrat. sed uni ex his nomen haesisse videtur αντονομαςικως, fortasse quod primum in provincia donatnm civitate Romana fuerit, vel quod a ceteris maxime distaret, et minora circum oppida haberet: quae etiam caussa esse potuit, cur ei sine cognomine nosceretnr. nam habuisse initio, veri, opinor, similins est, et illnd credi potest, quod Augustinus in Numidia fuisse et coloniae Hipponensi proximum scribit (1), *Tulliense* cognominatum, quae appellatio saeculo VI. revixit, ut ex Concilio Carthaginiensi Bonifacii apparet.

VICTOR. est hic ordine qninqnagesimns sextus in albo Episcopornm Numidicorum, qui anno CCCCLXXXIIII. Regis Hnnerici edicto evocati Carthaginem convenere, atqne inde in exsilium cum toto collegarum conventu pulsi sunt.

MARIANVS. missns hic fuit Carthaginem anno DXXV. ut in Concilio Carthaginiensi provinciae Nnmidiae legationem perageret: cujus subscriptio fuit hujusmodi (2), *Marianus Episcopus Municipii Tulliensis, Legatus provinciae Numidiae.* quintus autem a Bonifacio subscripsit, et tertius e quatuor Legatis, quos tum Numidia miserat.

(1) *lib. de cura pro mort. c.* 12. (2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1081.

CCCLXXXVIIII. MVRCONENSIS

Oppidum *Murco* Mauretaniae Caesariensi adscribitur in Notitia, idemque esse videtur, quod in Collatione Carthaginiensi *Nurco* est: ut in alterutro loco mendum inesse appareat. at neutrum Geographi in tabulas suas retulerunt.

AVXILIVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et subscriptione ejus recitata, testimonium de Ecclesia sua dixit his verbis (1): *Vnitatem possidemus, quod omnes sciunt Caesarienses. hic est Severinus,* (Castelli Episcopus) *dicat.* erat ille Donatista, qui tum ait, *Numquam habuit*, adversarium scilicet.

MADDANIVS. hunc Notitia centesimum secundum recenset inter Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. e Mauretania Caesariensi ad conventum Carthaginiensem profecti, jussu Regis Hunerici cum reliquis in exsilium pulsi sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 135.

CCCLXXXX. MVRRENSIS

Vicina Byzaciae *Muruis* a Ptolemaeo designatur, quam oppidum hoc *Murrense* facile crediderim. hujus enim Episcopus in Concilio provinciae Byzacenae occurrit. nihil tamen aliunde exploratum ac certum praesto est.

CRESCENTIANVS. fuit hic e Maximianistarum grege, qui anno CCCLXXXXIII. Concilium Cabarsussitanum celebrarunt adversus Primianum Carthaginiensem. nomen ejus legimus in postremis subscriptionibus (1), epistolae synodicae, quam Maximianistae tum misere ad omnes Africae Episcopos, ut de Primiani damnatione certiores facerent.

(1) apud. Aug. *in ps. xxxvI. serm. II. n.* 20.

CCCLXXXXI. MVRVSTAGENSIS

Obscurum nomen *Murustaga*, de qua silent Geographi: ex una autem Notitia discimus, eam ad Mauretaniam Caesariensem pertinuisse.

MARTIANVS. est hic vicesimus quintus Episcoporum, qui anno CCCCLXXXIIII. e Mauretania Caesariensi Carthaginem ad collegarum omnium conventum profecti, cum iis Regis Hunerici jussu relegati fuere. peregre defunctum Martianum adjecta mortis nota declarat.

CCCLXXXXII. MVSERTITANVS

Memoratur a Ptolemaeo *Musse* oppidum ad Mampsarum montem in Zengitana mediterranea, quod Afri *Muster* fortasse appellabant, unde oppidani Africano more *Musertenses* et *Musertitani* dici potuere. nam litteram T passim inserebant, velut si Graece primum, atque inde Latine

civium appellationem efferrent. sic exempli caussa a *Membresa Membresitas*, ut Graeca consuetudo est, hinc *Membresitanos* nominabant.

LEONTIVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et subscriptione ejus recitata, adjecit (1), *Habeo neminem e diverso.* sed Habetdeus Diaconus, qui Donatistis apparebat, haec reposuit: *Cresconius nunc ordinatus est contra.* hunc tamen eo tempore abfuisse Carthagine puto, quum prodiisse contra adversarium suum non appareat, ut Donatistae ceteri faciebant. itaque qui postea cietur (2) Cresconius, revera Mustitanus habendus est, ac repudianda Baluzii emendatio videtur, qui edidit *Musertitanus.* nam ipsum nomen *Cresconius* nihil evincit, quod permultis commune erat.

(1) *Cognit. I. n.* 133. (2) *Ibid. n.* 206.

CCCLXXXXIII. MVSTITANVS NVMID.

Geminum in Africa *Musti* agnoscendum est, quum alterum in provincia Proconsulari fuisse constet, alterum Numidiae adscribat Notitia, et geminos item Donatistas Episcopos *Mustitanos* Collatio Carthaginiensis exhibeat. quod tamen in Itinerario Antonini bis cietur, huc non pertinet.

FELICIANVS. convenit hic an. CCCLXXXXIII. cum Maximianistis gregalibus suis ad Concilium Cabarsussitanum, cujus epistolae subscripsit (1), Primiani Carthaginiensis damnationi adstipulatus. idem vero anno insequenti in Concilio Bagaitano a Primiani fautoribus damnatus est cum reliquis Maximiani ordinatoribus (2), quorum undecimus numeratur.

VICTORIANVS. aderat hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus (3) quum se *praesto esse* dixisset, subjecit, *Habeo Felicianum Mustitanum et Donatum Turrensem contra me.* hunc autem Felicianum ipsum esse, quem modo retulimus, Alypii ex eadem provincia Catholici Episcopi dubitatio demonstrat, qui haec addidit (4): *De nomine Feliciani, utrum in communione sit Primiani.* nam ille quidem Maximianista fuerat, ut diximus. quo loco Petilianus Cirtensis, Actor Donatistarum cum Alypio altercatus est, et rem hanc esse *internae actionis* ait, de qua ab Alypio quaerendum non esset. nam eo recepto Donatistae securim sectae suae inflixerant.

ANTONIANVS. hujus nomen septuagesimo primo loco legimus in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem simul cum ceteris collegis relegavit.

(1) apud. Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20. (3) *Cognit. I. n.* 121.
(2) *ibid. contra Cresc. lib. III. c.* 4. *et epist* 106. (4) *ibid. n.* 122.

CCCLXXXXIIII. MVSTITANVS PROV. PROCOS.

Situm oppidi aliquatenus indicat Vibius Sequester, ubi de Bagrada ait (1), *Bagrada Africae juxta oppidum Musti, ubi Regulus serpentem*

(1) *p.* 7. *edit. Argent. Oberlini.*

longum pedibus CXX. *exercitu adhibito interfecit.* in Itinerario autem Autonini proximae indicantur Sicca Veneria, Membresa, Assurae. arcum illic insignem exstare adhuc, tradit Shavus (2): unde puto descriptum esse titulum, quem Maffejus bis edidit (3), et *in arcu eximio* legi adnotavit, *in loco, quem Musti dicunt.* ceterum litterae haud omnes vetustatem pertulere: nam haec tantum supersunt: *Invictissimo Felicissimoque Imperatori Augusto Caesari. Orbis Pacatori.... Musticensium* DD.

CRESCONIVS. hic ille est, quem Baluzius *Musertitanum* faciebat, quum in codice unico Fulcheriano *Mustitanus* perspicue legatur. erat e grege Donatistarum, adfuitque cum suis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus (4) ait, *Mandavi et subscripsi.*

IANVARIVS. subscripsit hic epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum contra Monotheletas (5).

(2) *in itinerario p.* 95.
(3) *Mus. Ver. p.* 458. *n.* 3. *et p.* 465. *n.* 4.
(4) *Cognit. I. n.* 206.
(5) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 750.

CCCLXXXXV. MVTECITANVS

Ad Mauretaniam Caesariensem pertinebat *Mutecia* sive *Muticia*, ut praeter Notitiam Ecclesiarum Africae, quam passim ciemus, altera quoque nos edocet, Notitia nempe Imperii Occidentis, quae memorat *Praepositum Limitis Muticitani sub dispositione viri spectabilis Ducis et Praesidis provinciae Mauretaniae Caesariensis* (1).

QVINTASIVS. est hic ordine septuagesimus sextus in albo Episcoporum, qui anno CCCCLXXXIIII. e Mauretania Caesariensi Carthaginem cum reliquis convenere, ut Regis Hunerici edicto parerent: quos ille omnes ob Catholicae professionis constantiam exsilio affecit. an hic autem Quintasius sit, cujus mentio est in Kalendario Carthaginiensi VI. id. Oct. quae Mabillonii opinio fuit, incertum puto: praesertim quum ne Episcopus quidem appelletur. adde quod in Martyrologio Florentinii ad diem eundem memoratur Quintasius, sed extra Africam: nam post sex Martyres, qui in Africa fuisse dicuntur, subjectum est, *Et alibi Caiti, Quintasi, Septimini etc.*

(1) apud Pancirol. *p.* 165. *ed. Lugd.*

CCCLXXXXVI. MVTVGENENSIS

Numidiae oppidulum fuisse *Mutugenam*, quae et *Mutigena*, indicat auctor sermonis, qui Augustino a Viguerio adtributus est, nec tamen inter ejus opera habendus est (1). in eo inducitur Valerius Augustini decessor Rusticianum diaconum Mutugenensem sic adloquens (2): *Quid hic agis? cur stationem tuam deseris? cur Presbytero tuo non collaboras? cur Hipponem Mutigenae praefers, cui alligatus es?* et infra: *Tua est Ecclesia*

(1) v. praef. Maurin. *post libr. contra Gaudent.* (2) *serm. de Rust c. Diac. n.* 4.

Mutigensis, non nostra, ad eam nomen, non ad Hipponem dedisti. eadem autem fuisse videtur non admodum frequens, eaque de caussa solitus Rusticianus se Hipponem vicinam Coloniam conferre, ut frequentia civium frueretur. nam Valerio respondisse dicitur, *se ad solitudinem minime idoneum, clericatum, non monachatum, iniisse: se nullos Mutigenae habere, cum quibus versaretur.* Valerii porro temporibus in Episcopi Donatistae potestate Episcopatum illum fuisse crediderim, quum Presbyter tantum Catholicus Mutigenae sacris praepositus memoretur. villam sane ipse Augustinus appellat (3), cui demum a Catholicis impositus Episcopus videatur, postquam ibidem Donatistae unum aliquem de secta sua constituerant.

ANTONIVS. interfuit hic anno CCCCXI. cum Catholicis Episcopis Collationi Carthaginiensi, in qua subscriptio ejus recitata est. idem autem de Donatista adversario testimonium sic dixit (4): *E diverso Splendonius est.* hic vero progressus ait, *Agnosco illum:* ac deinde citatus (5) respondit, *Mandavi et subscripsi.*

(3) *epist.* 174. *n.* 7.
(4) *Cognit. I. n.* 133.
(5) *ibid. n.* 208.

CCCLXXXXVII. **MVZVCENSIS**

In provincia Byzacena erat *Muzuca*, ut Notitia ostendit: itaque aliud omnino oppidum fuit Mulucha, cujus meminit Florus (1), et alia gens Musulani, quos commemorat Tacitus (2): nam in Numidia fuisse constat.

IANVARIVS. adfuit hic Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo coëgit anno CCLV. in quo et sententiam quadragesimo quarto loco dixit. at urbs, cui praeerat, non uno modo in antiquis codicibus effertur: nam et *a Mucuza* dicitur, et *Muzulensis*, et *Mosulensis*, *et Mutucensis, et a Muzucha,* quam lectionem ceteris praefert Holstenius, qui et ipse invenit *a Muzuca* (3).

RESTITVTVS. cietur hic cum Episcopis Catholicis, qui anno CCCCXI. Collationis caussa Carthaginem convenere. in ea, quum subscriptio ejus recitata esset, adjecit (4), *E contra Idaxius nobis est.* tum hic accedens ait, *Agnosco illum:* ac deinde citatus (5), dixit, *Mandavi et subscripsi.*

INNOCENTIVS. hunc Notitia quadragesimum secundum recenset inter Episcopos, qui e provincia Byzacena anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem profecti, subinde a Rege Hunerico, simul cum reliquis, quos eo ad conventum acciverat, relegati sunt.

(1) *Epit. Rer. Rom. lib. III. c.* 1. *n.* 14.
(2) *Annal. lib. II. c.* 52. *et lib. IIII. c.* 24.
(3) *in adnot. de Patr. Rom. p.* 78
(4) *Cognit. I. n.* 133.
(5) *ibid. n.* 206.

CCCLXXXXVIII. **MVZVENSIS**

Oppidum *Muzuam* provinciae Proconsulari adscribit Notitia: et ex Codice Canonum Ecclesiae Africanae discimus, Episcopum Muzuensem

provinciae Proconsularis legatione functum esse. ceterum Geographi veteres *Muzuam* indictam praetermiserunt.

RVFINIANVS. occurrit hic primum in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. in qua de Ecclesia sua testimonium dixit his verbis (1), *Omnis Catholica est.* tum anno CCCCXVIIII. Concilio Carthaginiensi interfuisse, Acta declarant, quibus subscripsit (2): item canon CXXVII. codicis, qui eum provinciae Proconsularis legatum appellat (3).

FELIX. est hic ordine quadragesimus nonus inter Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. e provincia Proconsulari Carthaginem convenere, et cum reliquis, quos Rex Hunericus undique evocarat, in exsilium pulsi sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 128.
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1251.
(3) *ibid. p.* 935.

CCCLXXXXVIIII. NABALENSIS

Et *Nabar* fluvius et gens *Nabades* occurrunt apud Plinium: item *Nababurum* apud Ptolemaeum: quae uterque in Mauretania Caesariensi recensent. at *Nabalam* ex una Notitia habemus, quae eidem provinciae adtribuit, sed inter oppida numerat, quorum Cathedrae Regis Hunerici temporibus Episcopos non habebant. ceterum ne antiquior quidem alius aut recentior Nabalensium Episcopus alibi se offert, quem huc referamus.

CCCC. NARATCATENSIS

Numidiae oppidum *Naratcata*, ut Notitia indicat. porro *Narat*, ut Bochartus explicat (1), Punice *igneus* est, eoque nomine Afri appellabant florem *Buphthalmum*, a foliorum colore splendorem Solis imitante. de ipso oppido nihil Geographi testatum reliquerunt.

FORTVNATIANVS. est hic ordine centesimus inter Numidicos Episcopos, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum ceteris collegis relegavit.

COLVMBVS. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius vocavit anno DXXV. (2)

(1) *Geogr. Chan. lib. II. c.* 15.
(2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

CCCCI. NARAGGARITANVS

Naraggaram Cellarius in Numidia collocat, quam Notitia provinciae Proconsulari adscribit, et veteris Concilii Lateranensis auctoritas intra eosdem fines constitutam declarat. ceterum Numidiae urbibus finitimam ostendit Itinerarium Antonini, in quo proximae demonstrantur Tagora et Thagaste. memorat eandem urbem Livius (1), cui tamen *Nadagara* est,

(1) *lib. XXX. c.* 24. *n.* 29.

nisi potius litteras scribae pervertisse puteutur; et minus quam quinque dierum iter a Carthagine distare indicat.

FAVSTINVS. adfuit hic inter Donatistas anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et citatus (2) ait, *Mandavi et subscripsi:* nec Catholicum Episcopum Naraggarae tum fuisse novimus.

MAXIMINVS. est hic ordine quadragesimus octavus in albo Episcoporum provinciae Proconsularis, qui anno CCCCLXXXIIII. a Rege Hunerico convocati Carthaginem ad communem conventum se contulere. quum autem plerique omnes collegae in alias plagas ejicerentur, Maximino datum est, ut honore spoliatus, Naraggarae vitam manuum mercede toleraret. additum enim in Notitia nomini ejus *Hic*, ut nonnullis aliis, de quibus jam actum superius est.

VICTORINVS. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi, quod a Bonifacio coactum fuit anno DXXV. (3)

BENENATVS. hic Concilio provinciae Proconsularis interfuit, quod Carthagine celebratum esse constat anno DCXXXXVI. post Fortunii mortem: idemque subscripsit inter postremos epistolae, quae tum a Patribus missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum, ut eum a Monotheletarum, quos fovebat, erroribus revocarent (4): cujus epistolae exemplum exstat in Actis veteris Concilii Lateranensis.

(2) *Cognit. I. n.* 208.
(3) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.
(4) *ibid. T. III. p.* 751.

CCCCII.

NARENSIS

Naram memorat Itinerarium Antonini inter Sufetulam et Madassumam, quae oppida erant provinciae Byzacenae, cui et Notitia *Naram* adscribit.

IANVARIVS. erat hic e numero Donatistarum, qui anno CCCCXI. Collationem Carthaginiensem celebrarunt. in ea citatus (1) ait, *Mandavi et subscripsi.* de Catholico autem Narensium Episcopo nulla injecta mentio est.

VICTOR. hunc Notitia undecimum recenset inter Episcopos, quos anno CCCCLXXXIIII. provincia Byzacena Carthaginem ad conventum submisit, et Rex Hunericus cum reliquis Episcopis relegavit.

(1) *Cognit. I. n.* 206.

CCCCIII.

NASAITENSIS

Vicus, opinor, Numidiae *Nasai* fuit, in qua *Nasabutes* a Ptolemaeo collocantur, qui *Natabudes* Plinio esse videntur. obscura certe loci fama, nec sedem illic honoris Catholicus Episcopus unquam habuit.

LIBERALIS. appellatur hic in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. *Episcopus loci Nasaitensis;* citatus autem ait (1), *Mandavi et subscripsi:*

(1) *Cognit. I. n.* 187.

nec habui adversarium, nec habeo, nec habebo permittente Deo. quae declarant, quantum Donatistis suis addictus esset, qui tum in Numidia plurimi erant.

CCCCIIII. NASBINCENSIS

Mauretaniae Caesariensis oppidum *Nasbincam* facit Notitia, qua in provincia *Nasavam* fluvium agnoscit Ptolemaeus, unde *Nasaba* et *Nasba* duci potuit.

IANVARIVS. est hic ordine tricesimus nonus inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis ad conventum Carthaginiensem anno CCCCLXXXIIII. profectos, quibus Rex Hunericus, ut ceteris omnibus, exsilium irrogavit. peregre autem defunctum Ianuarium, adjecta nota monet.

CCCCV. NATIONENSIS

Oppidum *Natio* in provincia Byzacena erat, ut Notitia indicat; sed quale esset, aut quibus finitimum, apud veteres Geographos non reperio.

FAVSTINVS. erat hic e grege Donatistarum, quos inter anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi adfuit, ac citatus (1) ait, *Adversarium non habeo: Mandavi et subscripsi.*

PIRASIVS. hunc Notitia septuagesimum quintum recenset in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum ceteris collegis exsilio affecit.

(1) *Cognit. I. n.* 208.

CCCCVI. NEAPOLITANVS PROV. PROCOS.

Africanam Neapolim memorat ipse Thucydides (1), qui Emporium Carthaginiense appellat. liberam dicit Plinius, coloniam Ptolemaeus. situs urbis inter Clypeam et Curubim in latere orientali promontorii Hermaei.

FORTVNATIANVS. adfuit hic primum anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua, quum se *praesto esse* citatus respondisset (2), adversarius ejus Ampelius ait, *Agnosco illum*, et idem subinde vocatus addidit, *Mandavi et subscripsi* (3). tum anno CCCCXVIIII. Concilio Carthaginiensi interfuit tamquam Legatus provinciae Proconsularis, ac secundus e decem numeratur, qui tunc eo munere functi sunt (4).

CLEMENTINVS. est hic ordine tricesimus quintus inter Episcopos provinciae Proconsularis, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum a Rege Hunerico indictum Carthaginem se contulere, atque inde in exsilium pulsi sunt. fuit autem Clementinus ex eorum numero, quos Rex in insulam Corsicam deportari jussit, quemadmodum Notitia indicat.

(1) *lib. VI. p.* 521.
(2) *Cognit. I. n.* 126.
(3) *ibid. n.* 206.
(4) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1249.

IOANNES. occurrit hic inter Episcopos, qui subscripsere Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius coegit anno DXXV. (5)

REDEMPTVS. hic subscripsit epistolae, quae a Concilio Proconsulari anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (6).

(5) *ibid. T. II. p. 1082.* (6) *ibid. T. III. p. 760.*

CCCCVII. NEAPOLITANVS PROV. TRIPOL.

Geminam in Africa Neapolim agnoscit Plinius: qui et, littore commemorato, quod est inter duas syrtes, secundae Neapoleos situm ita designat (1): *Ibi civitas Oeensis, Cinyps fluvius ac regio: oppida Neapolis, Taphra, Abrotonum, Leptis altera, quae cognominatur magna.* at Straboni ipsa Leptis *Neapolis* esse videtur: Νεαπολις, inquit (2), ἡ ϗ Λεπτιν καλȣσι. mendum tamen obrepsisse facile crediderim, legendumque esse ϗ ἡν Λεπτιν καλȣσι. nam in celeberrimo illo Cypriani Concilio diversi Episcopi cientur, alter *Leptimagnensis*, alter *a Neapoli.* an vero haec sit, quae deinde *Tripolis* appellata est, minus liquere puto.

IVNIVS. adfuit hic Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo celebravit anno CCLV. ultimusque in eo, id est octogesimo sexto loco sententiam dixit. hunc ad Neapolim provinciae Tripolitanae pertinere, ipse ordo subscriptionis indicat: nam post Oeensem Episcopum subscripsit, qui Sabratensis quoque et Leptimagnensis vice tum functus est: quod nempe duo tantum, ipse scilicet et Oeensis e Tripolitana advenerant.

(1) *H. N. lib. V. c. 4. n. 4.* (2) *lib. XVII. p. 574.*

CCCCVIII. NEPTITANVS

Nepte in Notitia provinciae Byzacenae adtribuitur: quam tamen veteres Geographi non recensent, uno excepto Anonymo Ravennate, quem recentioribus adnumerari par est; saeculo enim nono scripsisse putatur. ceterum decus nomenque Neptitanis servavit Martyr egregius, idemque Episcopus, de quo infra dicendum est.

QVODVVLTDEVS. erat hic de grege Donatistarum, eosque inter anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi adfuit, in qua citatus (1) ait, *Mandavi et subscripsi.* mendose autem, ut arbitror, *Nebbitanus* pro *Neptitanus* appellatur.

LAETVS. hunc Notitia decimum quartum numerat in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, qui Regis Hunerici edicto evocati Carthaginem petiere anno CCCCLXXXIIII. ut conventum celebrarent. ipse autem est, quem ante ceterorum exsilium Martyrii laurea decoravit. nam Hunericus, ut Victor Vitensis scribit (2), quum jam disputationis dies adesset, *Vnum*

(1) *Cognit. I. n. 197.* (2) *Pers. Vand. lib. II. c. 18.*

ex ipso choro Doctorum nomine Laetum, strenuum atque doctissimum virum, post diuturnos carceris squalores incendio concremavit; aestimans, tali exemplo timorem incutiens, reliquos se elisurum. diem Martyrii ejus sic designat Victor Tunnonensis in chronico suo: *Tunc Laetus Neptensis Ecclesiae Episcopus martyrio coronatur XII. kal. Octob.* verum in Martyrologiis nostris memoria sanctissimi Martyris celebratur VIII. idus Septembres. neuter tamen Martyrii dies fuisse videtur.

CCCCVIIII. NIBENSIS

Oppido, quod Notitia Numidiae adscribit, nomen, opinor, *Nives* fuit. ita vocarunt, quia in montanis situm esset, et nivem quandoque, rarum in Africa portentum, procul ostentaret: nam eadem de caussa unam ex insulis Fortunatis *Nivariam* appellabant (1). nulla tamen oppidi hujus vestigia apud Geographos.

PAVLLVS. est hic octavus in albo Episcoporum Numidicorum, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum se contulere: ac subinde in exsilium cum reliquis ejecti, odium Ariani Regis immane ac crudele aerumnis suis et laboribus saturarunt. et Paullus quidem in ipso exsilio mortuus est, ut apposita nomini ejus nota declarat.

(1) Plin. *H. N. lib. VI. c.* 32.

CCCCX. NICIBENSIS

Numidiae *Nicibam* adtribuit Harduinus, sed quam sequutus auctoritatem sit; minime indicat. veri tamen simile est, ignobilem ejus provinciae vicum fuisse, quum unus tantum ejus Episcopus, isque Donatista ad nos pervenerit.

IVSTVS. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi cum Donatistis suis, ac citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi:* nec illam de Episcopo Catholico mentionem intulit.

(1) *Cognit. I. n.* 201.

CCCCXI. NIGRENSIVM MAIORVM

Oppidum *Nigrae* provinciae Proconsulari cum Harduino adscribendum videtur: nam ejus Episcopus in Collatione Carthaginiensi inter ejusdem provinciae Episcopos citatus est, et Habetdeus Diaconus Primiani Carthaginiensis de eadem Ecclesia testimonium dixit; quod loci vicinitatem declarat. appositu autem distinguebatur, quia, ut opinor, vicus quoque erat *Nigrensium minorum:* quamquam nullum, qui his praefuerit, Episcopum novimus.

LVCRVS. adfuit hic cum Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et subscriptione ejus recitata, dixit (1), *Vnitas est.* ad quae

(1) *Cognit. I. n.* 133.

Habetdeus Diaconus, *Presbyterum*, inquit, *habet*, Donatistam scilicet, quemadmodnm aliis in Ecclesiis, in quibns Episcopos constituere non poterant, Presbyteros snbmittere solebant Donatistae Episcopi, qni vicinas urbes regebant: qnorum opera quos semel deceperant, in errore retinere vel numero pancos conabantur.

CCCCXLI. NIGVZVBITANVS

Vicus oppidnmve *Niguzubi* sive *Nigizibi*, obscnrum plane nomen est, et Geographis indictum. Donatistam tantum habuit Episcopum, et post eum Sinitensis Episcopus cietur: haec indicia seqnntus Numidiae non immerito adscripseris.

GAVDENTIVS. adfuit hic anno CCCCXI. cum Donatistis suis Collationi Carthaginiensi, et vocatus ait (1), *Mandavi et subscripsi*. de Catholico Episcopo mentionem nemo fecit.

(1) *Cognit. I. n.* 202.

CCCCXLII. NOBABARBARENSIS

Nomen oppido *Nova Barbarorum* e re impositum videtnr, quod locns barbaris ad habitandum concessns munitusque esset. pertinebat autem ad Numidiam, ut Notitia demonstrat, et *Colonia* aut *Civitas* in appellatione illa subaudiebatur.

ADEODATVS. hunc Notitia vicesimnm sextum recenset inter Episcopos Numidicos, qui anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem a Rege Hnnerico cum reliquis collegis relegati sunt.

CCCCXLIII. NOBAGERMANIENSIS

Oppidum *Germaniam* in Nnmidia superius recensuimns: ejus caussa hoc alterum in eadem provincia conditum, ut ex Notitia liquet, *Nova Germania* appellatum est, vel *Nova Germaniae*: sic enim effertur canone centesimo Codicis Ecclesiae Africanae, in quo etiam *Seniores* ejusdem oppidi commemorantur.

FLORENTIVS. est hic ordine vicesimus octavus in albo Episcoporum, qui e Nnmidia ad conventum Carthaginiensem anno CCCCLXXXIIII. profecti, Regis Hunerici jussu ob Catholicam professionem simul cum ceteris pulsi sunt.

CCCCXV. NOBALICIANENSIS

Oppidum *Novalicia* in Mauretania Sitifensi fuisse, ex Notitia discimus: nomen a *Novalibus* esse puto, quod nempe conditum esset, ubi antea silvae fuissent, deinde culta novalia. ceterum Geographi veteres non memorant.

REDVX. est hic ordine decimus nonus in albo Episcoporum, qui e provincia Sitifensi Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. ad communem conventum profecti, simul cum ceteris collegis exsilio multati sunt, Ecclesiis eorum ad Arianos Episcopos translatis, quos Rex Hunericus unice fovebat.

CCCCXVI. NOBASPARSENSIS

Memorat *Novam Sparsam* Itinerarium Antonini, eamque recenset inter Tadutti et Gemellas, id est in mediterranea Numidia, cui eandem Notitia quoque adscribit. nomen fortasse ex eo inditum, quod primitus sparsae per agrum casae essent, quae muro adversus barbarorum irruptiones cinctae oppidum evasere.

FELIX. hunc Notitia quadragesimum sextum numerat inter Episcopos Numidicos, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem evocatos, simul cum reliquis exsilio affecit. Ecclesiam autem suam non amplius revisit Felix, peregre mortuus, uti nota adscripta ostendit.

CCCCXVII. NOBASINENSIS

Numidiae adtribuit *Novasinam* Notitia, quamquam de ea nihil apud Geographos legimus. duplicandum fortasse N, et *Novasinnia* scribendum, ut a *Sinniorum* familia nomen sit, e qua Sinnius Capito fuit a Gellio memoratus. certe in Collatione Carthaginiensi scriptum est *Novasinnensis.*

RESTITVTVS. adfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in eaquo, ut subscriptio ejus recitata est, se *praesto esse* respondit. aderat autem et adversarius ejus Felix Donatista, qui ait (1), *Agnosco illum:* atque hic idem postea citatus, dixit (2), *Mandavi et subscripsi:* cumque subscripsisset etiam pro Marciano Eminentianensi, qui in itinere substiterat, ut ad eum ventum est, rem sic explicavit (3), *Ipso me rogavit in itinere, et ego pro ipso subscripsi.*

CANDIDVS. est hic ordine quadragesimus octavus inter Numidicos Episcopos anni CCCCLXXXIIII. quos Carthaginem ad communem conventum profectos Rex Hunericus cum reliquis relegavit. in ipso exsilio defunctum Candidum nota mortis adjecta indicat.

(1) *Cognit. I. n.* 121.
(2) *ibid. n.* 187.
(3) *ibid. n.* 215.

CCCCXVIII. NOBENSIS I.

Geminum in Mauretania Caesariensi oppidum *Nova* admittendum est, quum binos Catholicos eodem anno Episcopos *Nobenses* Notitia recenseat. alterutrum autem est, quod in Itinerario Antonini *Ad Novas* dicitur, et *Oppido novo* proximum cietur, in eadem provincia apud Geographos celeberrimo.

ROGATIANVS. hic se Carthaginem contulit anno CCLV. Concilioque interfuit, quod Cyprianus tertium de Baptismo convocavit, ac sententiam sexagesimo loco dixit. appellatur autem *a Nova*, sine apposito, quod sola fortasse tum esset ejus nominis urbs, quam deinde altera ambiguam fecit. ad hunc scripta est Cypriani epistola ordine LXV.

FELIX. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, numeraturque inter viginti Episcopos, qui serius Mandato adsensere, postquam ducenti sexaginta sex Catholici rem maturaverant. accessit demum et ipse, atque ait (1), *Mando et consentio.*

VERECVNDVS. hunc Notitia decimum nonum recenset inter Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. e Mauretania Caesariensi Carthaginem profecti, quo Catholicos omnes Episcopos Rex Hunericus acciverat, exinde cum aliis in exsilium pulsi sunt. huc porro Verecundum referendum duxi, quod ante Novensem alterum in Notitia enunciatur.

(1) *Cognit. I. n.* 215.

CCCCXVIIII. NOBENSIS II.

Sequioris aevi oppidum alterum *Nova* habendum videtur, quod item in Mauretania Caesariensi fuisse, Notitia indicat: idque fortasse ab altero cognomine plurimum distabat; atque hac de caussa nullo apposito distinguebatur. de eo apud veteres Geographos ne vestigium quidem reperias.

MINGIN. est hic ordine nonagesimus tertius inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem accitos simul cum reliquis relegavit. Minginem autem peregre defunctum nota adjecta declarat.

CCCCXX. NOBICENSIS

Obscurum alias, nec scriptori ulli cognitum oppidum, nisi quod Notitia in Mauretania Caesariensi fuisse demonstrat. nomen fortasse fuit *Novicium,* quod nempe recens conditum esset.

DONATVS. hic septimus est in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem conventus caussa profecti, subinde a Rege Hunerico in exsilium cum reliquo collegarum agmine pulsi sunt. fuit autem Donatus e numero eorum, qui in exsilio perierunt.

CCCCXXI. NOVAPETRENSIS

Memorat *Novam Petram* Itinerarium Antonini, quam inter Dianam et Gemellas recenset, id est in extrema Numidia meridiem versus. *Castellum Novae Petrae* appellatur in Actis Marculi pseudomartyris Donatistae, quae primus edidit Mabillonius (1): ejusque appellationis haec proditur caussa,

(1) *Analect. T. IIII. p.* 105.

Quod ardui montis praecipitio et nomine et vicinitate conjunctum esset: unde Marculus, Macarii jussu, quem Constans Aug. ad Africam pacandam miserat, in praeceps actus fuisse dicitur. quia vero Donatistae corpus ejus receperant, et in Novam Petram inlatum insigni sepulcro tamquam Martyrem condiderant, idcirco oppidum veluti sanctuarium Donatistarum habebatur. Episcopum inter gregales suos ipsum Marculum fuisse Acta indicant, in quibus summus Pontifex constitutus perhibetur, et Legatus quoque ad Macarium cum aliis Episcopis profectus esse: sed cui Ecclesiae praefuerit, non additur; nec indicium aliud in Actis, nisi eam in Numidia fuisse. at vero de hoc pseudomartyre, ac de toto illo commento fusius a nobis in annalibus agendum est.

DATIVVS. erat hic e grege Donatistarum, quibuscum interfuit Collationi Carthaginiensi anni ccccxI. citatus autem (1) respondit, *Mandavi et subscripsi:* tum de Ecclesia sua haec jactavit: *Et adversarium non habeo, quia illic est domnus Marculus, cujus sanguinem Deus exiget in die judicii.*

(1) *Cognit. I. n.* 187.

ccccxxI. NVMIDENSIS

Oppidum Mauretaniae Caesariensis *Numidia* fuit, ut ex Collatione Carthaginiensi et ipsa Notitia discimus. Numidarum coloniam fuisse, veri omnino simile est: quippe qui saepe Africam incursionibus infestam habuere.

IANVARIVS. adfuit hic cum Donatistis suis anno ccccxI. Collationi Carthaginiensi, et citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi, et traditores non habeo.* hic vero Fortunatianus Siccensis, unus e septem Actoribus Catholicis, *Unde es?* inquit: cui Ianuarius, *Numidia est, Mauritania est Caesariensis.* his autem auditis, Reparatus Episcopus Ecclesiae Catholicae Sufasaritanae reposuit: *Diocesis mea est: illic Presbyterum habeo, illic tecum vigilavit.*

VICTOR. est hic centesimus decimus octavus in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi ad conventum Carthaginiensem a Rege Hunerico indictum anno ccccLxxxIIII. se contulere, atque inde in exsilium ob Catholicae veritatis studium ejecti sunt. quo in exsilio Victor vitam amisit, ut adjecta mortis nota declarat.

Duodecim post saecula ecce tibi Episcopus Numidiae tertius ex eorum numero, quibus honor, non cura defertur Pontificalis (2):

ADELFONSVS Nasellius Panormit. an. M.DCC.XXVIII. (*Act. sac. Colleg.*)

(1) *Cognit. I. n.* 188. (2) *suppedit.* Marinius *vir. opt.*

ccccxxIII. NVMNVLITANVS

Provinciae Proconsularis oppidum *Numnula* fuit, quae et *Nummula.* notum id ex veteri Concilio Lateranensi: sed nihil de ea a Geographis accepimus.

AVRELIVS. adfuit hic cum Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua, quum citatus, se *praesto esse* dixisset (1), addidit, *Non habeo contra me Episcopum.* ad quae Habetdeus Primiani Diaconus, *Exivit*, inquit, *de corpore.*

DONATIANVS. subscripsit hic cum Patribus Concilii Proconsularis epistolae, quae anno DCXXXXVI. missa fuit ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monothelctas. (2)

(1) *Cognit. I. n.* 126. (2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 751.

CCCCXXIII.

OBBENSIS

Colonia Augusti in Tingitania, quae Plinii aevo *Babba Iulia Campestris* appellabatur, eadem *Bobba* vulgo et *Obba* dici coepta putatur. nec mirum videri debet, eam in Notitia Mauretaniae Caesariensi adtribui; quum Episcopi Tingitaniae in hac, ut alibi monuimus, censerentur. in ea monetam olim percussam, nummi veteres indicant (1).

PAVLLVS. interfuit hic anno CCLV. Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo vocavit, in eoque sententiam dixit quadragesimus septimus. in recentioribus exemplaribus *Confessor* appellatur.

FELICISSIMVS. erat hic e numero Donatistarum, quibuscum ad Collationem Carthaginiensem anno CCCCXI. profectus est, in eaque citatus ait, *Mandavi et subscripsi* (2). de Catholico autem Episcopo mentionem non intulit.

EVSEBIVS. hunc Notitia quinquagesimum sextum numerat inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. conventus caussa Carthaginem se contulere; atque inde cum reliquis collegis in exsilium ab Rege Hunerico pulsi sunt.

VALERIANVS. occurrit hic inter Patres Concilii II. Constantinopolitani, quod celebratum est anno DLIII. cui et subscripsit his verbis (3): *Valerianus misericordia Dei Episcopus sanctae Ecclesiae catholicae civitatis Obbae provinciae Africanae similiter.* alia exemplaria habent *provinciae Proconsularis*, quod rejiciendum est.

(1) Eckhel *Doctr. num. vol. III. p.* 153. (3) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 204.
(2) *Cognit. I. n.* 193.

CCCCXXV.

OBORITANVS

Geminum in Mauretania Caesariensi *Oborium* fuisse, Notitia ostendit: quorum alterum Regis Hunerici temporibus Episcopum superstitem habebat, alterum amiserat: numeratur enim inter urbes, quarum Cathedrae Episcopos non habebant. ceterum utrumque Geographi indictum praetermisere.

PETRVS. est hic ordine septuagesimus secundus in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem indicto a

Rege Hunerico conventu petiere, et Arianae haeresi exsilium magno animo praetulerunt.

CCCCXXVI. OCTABENSIS PROV. BYZAC.

Nomen oppido *Octavum*, nt opinor, impositum, qnod milliario octavo ab Adrumeto provinciae metropoli conditum esset. mnlta certe exempla hujusmodi afferri possunt, qnae morem hunc apud veteres passim obtinuisse demonstrent. at de ipso oppido nihil accepimus.

ALBINVS. hunc Notitia tricesimum octavnm recenset inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos Rex Hnnericus anno CCCCLXXXIIII. post conventnm Carthaginiensem cnm ceteris collegis, quos convenire jusserat, relegavit.

CCCCXXVII. OCTABENSIS NVMID.

Id oppidum octavo a Cirta milliario situm crediderim: erat enim Cirta provinciae Numidiae metropolis. porro de hoc meminit Optatus, ubi Circumcellionnm furorem describit, quos Donatistae in Catholicos armaverant per Numidiam: *In loco*, inquit (1), *Octavensi occisi sunt plurimi, detruncati sunt multi.*

VICTOR. adfuit hic anno CCLV. Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo vocavit, ac inter Numidicos Episcopos sententiam in eo suam protulit, ordine septuagesimus octavus. Episcopum autem se recens factum declarat his verbis: *Quod et ipsi scitis, non olim sum Episcopus constitutus, et ideo exspectabam praecessorum consilium.*

PASCENTIVS. est hic ordine tricesimus sextus inter Numidicos Episcopos anni CCCCLXXXIIII. qui post conventum Carthaginiensem cum reliquis a Rege Hnnerico in exsilium ejecti sunt.

(1) *de schism. Donat. lib. II. c. 4.*

CCCCXXVIII. OCTABIENSIS

Praeter *Octavum* habnit provincia Byzacena oppidnm *Octavium* sive *Octavianum:* utrumqne enim Notitia recenset. nomen a fundo villaque Octaviorum Romanornm esse potnit: ut alia quaedam in eadem provincia fuere, quae gentium urbanarum appellationibus distinguebantur, quae illic avita praedia habuere.

SABINICVS. hnnc Notitia vicesimnm qnartum nnmerat inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum evocatos simul cum ceteris ob Catholicae veritatis studium exsilio affecit. nomen aliis *Sabinicuus* est, aliis *Sabinianus.*

CCCCXXVIIII. OENSIS

Insignem provinciae Tripolitanae coloniam *Oeom* Geographorum nemo non memorat, quamquam non omnes eodem modo appellant. nam Plinio

est *Oeensis civitas*, Melae Pomponio *Oea*, Ptolemaeo Ἐῶα, et in Itinerario Antonini *Oeea*. nec dubium est de Oeensibus loqui Tacitum (1), ubi de Valerio Festo, qui legionem in Africa regebat belli Vitelliani tempore, scripsit, *Mox Ophensium Leptitanorumque discordias componit, quae raptu frugum et pecorum inter agrestes, modicis principiis, jam per arma atque acies exercebantur.* nam id ipsum bellum cum *Oeensibus*, non cum *Ophensibus* gestum, Plinius tradidit (2): ut post Suritam Lipsius animadvertit. statuam Apuleio decretam ab Oeensibus, unde uxorem duxerat, auctor est Augustinus (3); quamquam Maurini edidere *apud Coenses:* qui tamen admonent, in aliis codicibus scriptum esse *apud Oeenses;* quae lectio praeferenda erat (4).

NATALIS. adfuit hic anno CCLV. Carthaginiensi Concilio, quod Cyprianus tertium de Baptismo coëgit, in eoque octogesimus tertius sententiam dixit et suo et Pompeii Sabratensis ac Diogae Leptimagnensis nomine, qui absentes erant.

MARINIANVS. erat hic e grege Donatistarum, ac sine adversario Catholico interfuit anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus ait (5), *Mandavi et subscripsi.*

CRESCONIVS. hic jam pontificatu fungebatur sub Genserico, a quo primum exsilii poenam ei irrogatam scribit Victor Vitensis (6): subinde, indicto ab Rege Hunerico conventu Carthaginiensi, advenisse eodem cum reliquis Episcopis, Notitia testatur, quae eum quartum inter provinciae Tripolitanae Episcopos recenset, quibuscum in exsilium rursus ejectus est. meminit hujus Ecclesia Romana in Martyrologio ad diem vicesimum octavum Novembris cum Valeriano, Vrbano aliisque Episcopis, qui *damnati exsilio cursum vitae suae impleverunt.*

(1) *Hist. lib. III. c. 50.*
(2) *H. N. lib. V. c. 5.*
(3) *epist. 138. n. 19.*
(4) v. Vales. *ad Ammian. lib. XXVIII. c. 6.*
(5) *Cognit. I. n. 201.*
(6) *Pers. Vand. lib. I. c. 7.*

CCCCXXX.

OFITANVS

Nihil a Geographis de *Ofita* traditum: id tantum ex veteri Concilio Lateranensi novimus, eam in provincia Proconsulari fuisse.

FORTVNIVS. interfuit hic Concilio Proconsulari anni DCXXXXVI. et epistolae subscripsit, quae tum missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas: cujus exemplum Martinus Pont. Max. in Concilio Lateranensi recitari jussit (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p. 750.*

CCCCXXXI.

OLIVENSIS

Vicum *ad Olivam* recenset Itinerarium Antonini inter Saldas Coloniam et Municipium ad Sava, id est in Mauretania Sitifensi, quocum et tabula Peutingeri consentit.

LVCIVS. Carthaginem hic petiit anno ccccxI. Collationis caussa, sed paullo serius; numeratur enim inter postremos, qui Mandato nondum subscripserant. citatus autem accessit et ait (1), *Mando et consentio:* nec de Donatista adversario mentionem intulit.

(1) *Cognit. I. n.* 215.

ccccxxxiI. **OPPENNENSIS**

Ignota *Oppenna*, nec a Geographis memorata: sed provinciae Byzacenae adtribuendam esse, ex Notitia discimus.

. HONORIVS. est hic ordine octogesimus secundus in albo Episcoporum, qui e provincia Byzacena anno ccccLxxxiiiI. ad conventum Carthaginiensem profecti, exinde jussu Regis Hunerici simul cum reliquis collegis relegati sunt.

ccccxxxiiI. **OPPIDONOBENSIS**

Inter Tigavas Municipium et Tigavas castra occurrit in Itinerario Antonini *Oppidum novum Colonia*, quo jure donatum a Claudio Aug. deductis veteranis, auctor est Plinius (1). οππιδονεον appellat Ptolemaeus (2), et Mauretaniae Caesariensi, ut reliqui, adtribuit.

BENANTIVS. est hic ordine sexagesimus quartus inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus anno ccccLxxxiiiI. post conventum Carthaginiensem cum ceteris in exsilium ejecit. peregre autem defunctum Benantium, adscripta mortis nota declarat.

(1) *H. N. lib. v. c.* 2. (2) *lib. iiI. c.* 2.

ccccxxxiiiI. **OPPINENSIS**

Non longe a freto Gaditano *Oppinum* fuit, in Tingitania a Ptolemaeo commemoratum, cujus Episcopi, in provincia Mauretania Caesariensi censebantur.

LEO. hic Concilio Carthaginiensi ex Aurelianis decimo octavo interfuisse putatur anno ccccxviiiI. Legatus Mauretaniae Caesariensis, quo in Concilio Leo alter aderat Legatus Mauretaniae Sitifensis. sed exemplaria Concilii illius mire variant: apud Labbeum hic noster appellatur *Ospinensis* (1), alibi *Moctensis:* Harduinus Moctensem tantum refert, et Sitifensis Legatum facit (2). Holstenius in Sylloge illa sua Conciliorum Africanorum, quam adornabat, Leonem Moptensem habet, sed Legatum provinciae Caesariensis, quum ille Episcopus esset provinciae Sitifensis; tum alium Leonem, sine indicio Episcopatus, Legatum provinciae Sitifensis. quare sine novi codicis ope restitui locus non potest.

(1) *Conc. T. II. p.* 1603. (2) *Conc. T. I. p.* 1250.

CCCCXXXV. **ORIENSIS**

Vicus, opinor, Numidiae fuit *Oria*, cui, numeri augendi caussa, Episcopus a Donatistis praepositus est. sed qui mentionem de eo fecerit, reperio neminem.

VICTOR. cietur hic inter Donatistas, qui anno CCCCXI. Carthaginem ad Collationem convenerunt: in eaque vocatus ait (1), *Mandavi et subscripsi.* de Episcopo Catholico nihil additur, apparetque, solum in vico illo Victorem Donatistis suis praefuisse: quod in Numidia, ut non semel monuimus, frequens erat.

(1) *Cognit. I. n.* 197.

CCCCXXXVI. **PAMARIENSIS**

Ignotum oppidum *Pamaria*, nisi quod Notitia ad Mauretaniam Caesariensem pertinuisse nos edocet.

LONGINVS. est hic ordine quadragesimus tertius in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem petiere, quo Rex Hunericus omnes Africae Episcopos convocarat, quique cum ceteris Arianae professioni exsilium forti animo praetulerunt (1).

(1) v. *Ann. ad an.* 497. 2.

CCCCXXXVII. **PANATORIENSIS**

Obscurum oppidum et a Geographis neglectum *Panatorium:* nisi quod Notitiae auctoritate in Mauretania Caesariensi fuisse constat.

PELAGIVS. adfuit hic anno CCCCXI. cum Donatistis Collationi Carthaginiensi, et citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi: adversarium non habeo.* appellatur autem *Vanarionensis* mendose, ut Baluzius censuit, pro *Panatoriensis.*

DONATVS. hunc Notitia undecimum recenset inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquo Episcoporum coetu a Rege Hunerico in exsilium acti sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 187

CCCCXXXVIII. **PAPPIANENSIS**

In provincia Proconsulari erat *Pappianum* sive *Puppianum;* nam utroque modo enunciatum reperias. nomen a gente Romana ductum videtur, ac fundo Papiorum et villae impositum, quae maturius in urbem excreverit, de qua tamen Geographi silent.

VICTOR. cietur hic in praefatione Concilii Carthaginiensis sub Genelio celebrati anno CCCLXXXX (1). quod indicio est, jamtum ex Episcopis provinciae senioribus fuisse, cujus deinde *senex* dictus est (2).

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 951. (2) *an.* 397. *ibid. p.* 882.

REPARATVS. est hic ordine duodecimus in albo Episcoporum provinciae Proconsularis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum evocatos cum reliquis relegavit. ab hoc autem dedicatum fuerat Monasterium Petri Abbatis, de quo sermo est in libello, quem Abbas idem obtulit Bonifacio Episcopo in Concilio Carthaginiensi anni DXXV. (3)

GAVDIOSVS. subscripsit hic Concilio, quod modo memoratum est, inter postremos (4): unde apparet, vel diu vixisse Reparatum, vel serius in ejus locum creatum esse Gaudiosum.

BONIFACIVS. hujus nomen occurrit inter Patres Concilii Proconsularis, qui anno DCXXXXVI. scripsere ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum contra Monotheletas. (5).

(3) *ibid. T. II. p.* 1087. (5) *ibid. T. III. p.* 750.
(4) *ibid. p.* 1082.

CCCCXXXVIIII. PARIENSIS

In provincia Proconsulari fuisse *Parium*, Acta veteris Concilii Lateranensis demonstrant: ejus tamen indicium apud Geographos nullum reperire licuit.

FELIX. subscripsit hic inter primores epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa fuit ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 749.

CCCCXXXX. PARTHENIENSIS

Oppidum *Parthenia* Mauretaniae Sitifensi in Notitia tribuitur: vestigium ejus apud veteres Geographos aut alios scriptores nullum invenio.

ROGATVS. est hic ordine tricesimus secundus in albo Episcoporum, quos provincia Sitifensis an. CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem submisit: quorum exitus idem, qui ceterorum fuit: cunctis enim Rex Hunericus exsilium irrogavit.

CCCCXXXXI. PAVZERENSIS

Nihil de hoc sive vico sive oppido quisquam, quod sciam, scripsit, nec qua in provincia fuerit, notum est. Numidiae adtribuere possis, quod unus ei Donatista Episcopus aliquamdiu praefuerit, idemque pro Numidico Episcopo interloquutus sit (1).

FLAVIANVS. interfuit hic anno CCCCXI. cum Donatistis suis Collationi Carthaginiensi, et citatus ait (2), *Mandavi et subscripsi.* nec de Catholico Panzerae Episcopo injecta mentio est.

(1) *Cognit. I. n.* 133. (2) *ibid. n.* 187.

CCCCXXXXII. PEDERODIANENSIS

Oppidum *Pederodianam* provinciae Byzacenae adscribit Notitia: sed qualo fuerit, aut unde nomen invenerit, aeque obscurum est.

ADEODATVS. est hic ordine quadragesimus sextus in albo Episcoporum, qui e provincia Byzacena anno CCCCLXXXIIII. ad communem conventum profecti Carthaginem, jussu Regis Hunerici simul cum ceteris exsilio damnati solum verterunt.

CCCCXXXXIII. PERADAMIENSIS

Oppidum *Peradam*, quod provinciae Byzacenae in Notitia tribuitur, illud esse arbitror, quod *Paradam* Hirtius appellat (1), *Pharam* Strabo (2). de situ minus constat: sed non longe a finibus Proconsularis provinciae fuisse, Hirtius significat. patria autem fuisse videtur Victoris Vitensis (3); quippe qui conterraneam suam facit Dionysiam Majorici Martyris parentem, ac simul Dativam Dionysiae germanam, et Leontiam filiam sancti Germani, de quo mox dicemus, Episcopi et Confessoris.

GERMANVS. in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, qui ad conventum Carthaginiensem anno CCCCLXXXIIII. se contulere, unus omnino est nomine Germanus. itaque hunc a Victore designari perspicuum est, ubi ait de Rege Hunerico (4), *Tunc et venerabiles Mansuetum, Germanum, Fusculum et multos alios fustigavit.* atque idem est, cujus memoria in Martyrologiis celebratur ad diem sextum Septembris.

(1) *de bello Afric. c. XXXIII. n.* 87.
(2) *lib. XVII. p.* 572.
(3) *Pers. Vand. lib. I. c. 1.*
(4) *ibid. lib. II. c.* 16.

CCCCXXXXIIII. PERDICENSIS

Nomen oppidi *Perdices*, quod ab avibus ejus appellationis ductum videtur, quamquam Martialis ex Africanis avibus prae picta perdice celebrat Numidicas guttatas (1). in Itinerario Antonini situs oppidi demonstratur inter Zarat et Sitifim, id est in provincia Sitifensi, cui et Notitia adscribit.

SILVANVS. hic esse visus Holstenio est, qui anno CCCCIII. in Concilio Carthaginiensi cum Luciano collega functus dicitur (2) legatione provinciae Mauretaniae Sitifensis. at certe anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi cum Catholicis adfuit, in qua, postquam citatus (3) se *praesto esse* dixit, processit adversarius ejus Rogatus, dixitque, *Agnosco illum:* qui deinde vocatus respondit (4), *Mandavi et subscripsi.*

(1) *lib. III. epigr.* 58.
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 914.
(3) *Cognit. I. n.* 121.
(4) *ibid. n.* 187.

VICTORINVS. hunc Notitia tricesimum nonum recenset inter Episcopos, qui e provincia Sitifensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, Regis Hunerici jussu in exsilium pulsi sunt.

CCCCXXXXV. **PERTVSENSIS**

Proximam Carthagini *Pertusam* facit Itinerarium Antonini, eam inter et Vnucam recensens, nec tabula Peutingeri dissentit.

MARTIALIS. ultimus hic fuit e duodecim ordinatoribus Maximiani, quos Bagajense Concilium anno CCCLXXXXIIII. damnavit (1). ceterum anno superiore ad Concilium Cabarsussitanum cum Maximianistis suis non convenerat, nec Primianum suffragio suo de pontificatu dejecerat. nomen certe in Actis desideratur (2).

(1) Aug. *lib. III. contra Cresc. c.* 4. (2) Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20.

CCCCXXXXVI. **PISITENSIS**

Provinciae Proconsulari *Pisitam* adtribuit Harduinus, nec immerito: *Pisitanam* enim *civitatem* cum aliis ejusdem provinciae memorat auctor librorum *de miraculis sancti Stephani* (1), qui caecum quemdam, Donatianum nomine Vzalae in aede Protomartyris lumen oculorum recepisse scribit, atque venerabili Episcopo interroganti confessum esse, adstante universa Ecclesia, *quod et corde et corpore, spiritali archiatro curante illuminatus redditus est.*

AMBIBIVS. adfuit hic anno CCCCXI. cum Catholicis Collationi Carthaginiensi, in eaquo, postquam subscriptio ejus recitata fuit, adjecit (2), *Habeo Felicem e diverso.* aberat tamen Felix, excusatione usus aetatis, ut Valentinianus Primiani Diaconus subinde testatus est. at vero Ambibius, adversario suo junior, Concilio Carthaginiensi anni CCCCXVI. quod contra Pelagianos coactum est, interfuisse videtur. certe nomen ejus occurrit in titulo epistolae, quae tum missa fuit ad Innocentium Pont. Max. esto in exemplaribus quibusdam *Avinius* pro *Ambibius* (3) scriptum sit.

(1) *inter. oper. Aug. lib. I. c.* 13. (3) apud. Hard. *Conc. T. I. p.* 2013.
(2) *Cognit. I. n.* 133.

CCCCXXXXVII. **PITTANENSIS**

Nihil exploratum de *Pittana* habemus: et lectio ipsa prope incerta, quod codices aliquot *Bittanam* appellare videantur.

MAXIMVS. subscripsit hic inter postremos epistolae Concilii Cabarsussitani, quam Maximianistae an. CCCLXXXXIII. omnibus per Africam Episcopis contra Primianum miserunt, quem communi sententia damnaverant (1).

(1) apud Aug. *in. ps. XXXVI. serm. II. n.* 20.

CCCCXXXXVIII. POCOFELTENSIS

Provinciae Proconsularis civitas *Pocofeltae* habenda esse videtur, quum Episcopus ejus cum aliis ejusdem provinciae recenseatur, et qui post eum cietur, e provincia Numidia fuisse, adscriptum sit.

SVRGENTIVS. adfuit hic anno CCCXIII. cum Caeciliano aliisque ex Africa Episcopis Concilio Arelatensi: canones autem et ipse subscriptione firmavit, quae fuit hujusmodi (1), *Surgentius Episcopus de civitate Pocofeltis*, sextus a Caeciliano, post quem subscripserant Vtinensis, Uticensis, Beneventensis, Tuburbitanus, omnes e provincia Proconsulari.

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 267.

CCCCXXXXVIIII. PRAECAVSENSIS

Quale oppidum *Praecausa* fuerit, ignotum omnino est: fuisse tamen in provincia Byzacena, Notitia indicat.

ADEODATVS. est hic ordine quinquagesimus primus in albo Episcoporum, qui e provincia Byzacena anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, subinde a Rege Hunerico cum ceteris collegis, quos eodem acciverat, relegati fuere.

CCCCL. PRAESIDIENSIS

Oppidum provinciae Byzacenae fuit *Praesidium*, ut Notitia demonstrat: nec dubium est, nomen a praesidio militum imposito haesisse: qualia multis locis contra incursiones barbarorum constitui opus fuit, partim ad oram maritimam, partim meridiem versus: quorum in tabulis Peutingeri non semel fit mentio.

LEONTIVS. erat hic e grege Donatistarum, quibuscum anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, ac citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi:* nec de Catholico Episcopo, quem adversarium haberet, quidquam addidit.

FAVSTVS. hunc Notitia septuagesimum sextum recenset inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem relegavit. sed exsilium Faustus in ipsa Africa tolerasse Ruinartio videtur, et ipse esse, qui in sancti Fulgentii vita (2) Monasterio ejus praefuisse dicitur. non omnes certe Episcopos ex Africa extorres actos constat, et permissum quibusdam scimus, ut Ecclesia et omni honore spoliati vitam in agro traducerent, quod Notitia quoque de nonnullis testatur, loco indicato, in quo illis exsulare fas fuit.

(1) *Cognit. I. n.* 208 (2) *cap.* 4.

CCCCLI. **PRISCIANENSIS**

Fuit *Prisciana* in Tingitania, procul a mari: de qua Pomponius Mela et de aliis urbibus sub finem operis sui haec adnotavit: *Pars Maurorum in urbibus agunt, quarum, ut inter parvas, opulentissimae habentur procul a mari Gilda, Volubilis, Prisciana.*

SECVNDIANVS. adfuit hic cum Maximianistis Concilio Cabarsussitano, quod adversus Primianum Carthaginiensem celebravere anno CCCLXXXXIII. subscripsitque epistolae (1), quae tum ad omnes Africae Episcopos de Primiani damnatione scripta est.

(1) apud Aug. *in ps. xxxvI. serm. II. n. 20.*

CCCCLII. **PRIVATENSIS**

Nomen vico fuisse arbitror *Privata;* sic enim veteres appellabant quae in familiae mancipio essent, addebantque *Privato solo,* ut et villam et aream ipsam sua esse, nec ad publicum pertinere significarent. ceterum ea enunciabantur adjecto nomine ejus, qui dominus esset, quod patrio casu efferebant. id hoc loco omissum sive ex consuetudine, sive brevitatis caussa. cujuscumque autem fundus hic fuerit, in Mauretania Sitifensi fuisse Notitia indicat.

ADEODATVS. est hic ordine tricesimus primus in albo Episcoporum, qui jussu Regis Hunerici anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, exinde cum reliquis in exsilium acti sunt.

CCCCLIII. **PVDENTIANENSIS**

Oppido nomen *Pudentia* fuisse videtur: nam *Pudentianam* Ecclesiam Gregorius magnus appellat. qui putant a *Pudente* Martyre dictam, cujus mentio fit in Kalendario Carthaginiensi III. kal. Majas, nullis sententiam suam exemplis confirmant. in Numidia fuisse, extra controversiam est: nam et Notitia et Gregorius testantur.

MEMMIANVS I. hunc floruisse sub exitum saeculi quarti, non obscure demonstrat Aurelius Macomadiensis in Collatione Carthaginiensi. nam quum Donatista Cresconius, qui Collationi interfuit anno CCCCXI. citatus dixisset (1), *Mandavi et subscripsi: Traditores vero in plebe mea et omni diocese mea non habeo:* Aurelius reposuit, *Episcopum ibi habebamus Memmianum reverentissimum virum. postea alterum Memmianum illic ordinavimus. defuncti sunt: ordinamus alium.* ad haec autem Adeodatus Milevitanus Actor Donatistarum, *Cui?* inquit: respondit Aurelius: *Remotis vobis ordinamus: ipsi deposuerunt basilicas, ipsi tulerunt ornamenta Ecclesiae: ille, qui loquitur, quatuor basilicas deposuit uno loco.*

(1) *Cognit. I. n. 201.*

MEMMIANVS II. hunc defunctum apparet ipso Collationis anno, quae incohata est kal. Iuniis anni CCCCXI. agebatur enim de successore designando, ut illa indicant verba *Ordinamus alium.* quis autem Cresconio illi a Catholicis oppositus sit, non accepimus.

PEREGRINVS. hunc Notitia quadragesimum quartum recenset inter Numidicos Episcopos, qui a Rege Hunerico anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem simul cum aliis relegati sunt. peregre autem defunctum Peregrinum adjecta mortis nota demonstrat.

MAXIMIANVS. praeerat hic Ecclesiae Pudentianensi anno DLXXXXI. quo anno a Diaconis ejus accusatus est apud Gregorium magnum, quod in sua dioecesi *corruptus praemio Donatistarum Episcopum nova licentia fieri permisisset* (2). quare Gregorius Concilium a Columbo vocari jussit, ut de tota caussa cognosceret, et Maximianum, si crimen teneretur, loco moveret.

(2) *lib. II. epist.* 48.

CCCCLIIII. **PVPITANVS**

Oppidum in Itinerario Antonini *Putput* dicitur, in Peutingeri tabula *Pudput,* quod recentiores *Pupit* et *Puppit* fecere. erat autem in provinciae Proconsularis finibus Adrumetum versus, inter Horrea et Curubim. quamobrem Notitia etiam in eadem provincia numerat. si Prisciano fides (1), meminit hujus oppidi ipse Livius libro CXIII. quem nunc non habemus: ex eo enim haec profert: *Et ipse circa Pulpud oram tuebatur.* erat certe maritimum, ut Geographorum tabulae ostendunt.

PANNONIVS. adfuit hic cum Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua, quum se *praesto esse* vocatus respondisset (2), processit Donatista Victorianus, qui ait, *Agnosco illum;* ac postea citatus dixit, *Mandavi et subscripsi* (3).

PASTINATVS. est hic ordine undecimus inter Episcopos provinciae Proconsularis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum evocatos simul cum ceteris exsilio affecit. fuit autem Pastinatus e numero eorum, qui in insulam Corsicam deportati sunt.

FORTVNATVS. occurrit hic inter Patres Concilii Carthaginiensis, quod Bonifacius convocavit anno DXXV. (4)

GVLOSVS. hic anno DCXXXXVI. quum Ecclesia Carthaginiensis post Fortunii mortem Episcopo etiamtum careret, Concilium Proconsulare tamquam senior coegit adversus Monotheletas, ac primus subscripsit epistolae, quae tum ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum missa est. fuit autem subscriptio ejus hujusmodi (5), *Gulosus gratia Dei Episcopus Ecclesiae Pupitanae huic libello rectae fidei nostrae subscripsi.*

(1) *lib. VI. de part. orat.*
(2) *cognit. I. n.* 126.
(3) *ibid. n.* 187.
(4) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.
(5) *ibid. T. III. p.* 750.

CCCCLV. PVTIENSIS PROV. BYZAC.

Oppidi nomen *Putea* fuit, quam memorat Ptolemaeus, inter Capsam et Tisurum sub Adrumeto metropoli. inde *Puteenses*, quos vulgus *Putienses* maluit appellare.

SERBANDVS. est hic ordine decimus octavus inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum profecti, jussu Regis Hunerici in exsilium cum reliquis pulsi sunt.

CCCCLVI. PVTIENSIS NVMID.

Fuit item *Putea* in Numidia, quam Notitia agnoscit: esto nihil de hac Geographi adnotarint.

FELIX. adfuit hic inter Donatistas anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi:* nec de adversario Catholico mentionem intulit.

GAVDENTIVS. hunc Notitia decimum septimum recenset inter Numidicos Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. a Rege Hunerico post conventum Carthaginiensem in exsilium cum reliquis ejecti sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 204.

CCCCLVII. PVTIZIENSIS

Vicus fortasse agri Puteensis in Numidia fuit *Putiza*, in quo Episcopum a Donatistis ad factionis suae incrementum constitutum apparet. neque enim Catholicus ullus ejus loci Episcopus notus est.

FLORIANVS. occurrit hic in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. in qua subscriptio ejus recitata est cum primis, qui Mandato subscripserant, fuitque hujusmodi (1): *Florianus Episcopus Putiziensis huic Mandato subscripsi.*

(1) *Cognit. I. n.* 149.

CCCCLVIII. QVAESTORIANENSIS

A Quaestore provinciae nomen oppido inditum, putare licet. nam et domus ejus *Quaestorium* appellabatur. itaque de Plancio ait Tullius (1), *Thessalonicam me, in Quaestoriumque perduxit.* erat autem oppidum *Quaestorium* in provincia Byzacena, ut ex ejus Episcopis perspicuum est: nam a Geographis de eo nihil accepimus.

VICTORIANVS. est hic ordine octogesimus septimus inter Episcopos, qui e provincia Byzacena anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem a Rege Hunerico indictum se contulerunt: quibus deinde cum ceteris exsilii poena ob Catholicam professionem irrogata est.

(1) *orat. pro Planc. c.* 41.

BEATVS STEPHANVS SPESINDEO. subscripsit hic epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium contra Monotheletarum errores (2). duo autem sunt inter Patres, qui subscripsere, et apposito et cognomine ornati; alter enim est *Beatus Laurentius Tarasus:* quae, ni fallor, indicio sunt, eos ante demortuos, quam epistola mitteretur Romam.

(2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 740.

CCCCLVIIII. **QVIDIENSIS**

Haec urbs fuit, quae a Plinio *Quiza Xenitana, peregrinorum oppidum* dicta est: *Colonia* a Ptolemaeo appellata, in Itinerario Antonini *Municipium.* ad Mauretaniam Caesariensem pertinebat, inter Portum magnum et Arsenariam sita, non longe a mari.

PRISCVS. adfuit hic cum Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in eaque, postquam subscriptio ejus recitata est, adjecit (1), *Non habeo Donatistas. qui illic fuit cum paucis parentibus suis, cum ipsis conversus est.* ad quae Donatista Episcopus Honoratus reposuit: *Episcopus noster Quizicensis succubuit in persequutione. Presbyteri nostri sunt illic.* hic porro Priscus ille esse debet, cujus mentionem injecit Augustinus in epistola ad Caelestinum P. M. quae CCVIIII. est, his verbis: *Clamet Priscus provinciae Caesariensis episcopus, aut ad primatum locus sicut ceteris et mihi patere debuit, aut Episcopatus mihi remanere non debuit.* unde poenam Prisco inflictam apparet, ne Primatum, quamquam ob aetatem debitum obtineret. recentia enim exempla se memorare ait Augustinus.

TEBERIANVS. cietur hic secundus in albo Episcoporum, quos Rex Hunericus e Mauretaniae Caesariensi ad communem conventum Carthaginem accitos anno CCCCLXXXIIII. simul cum reliquis multavit exsilio.

(1) *Cognit. I. n.* 143.

CCCCLX. **REGIANENSIS**

Regum hic villam designari crediderim, cujus nomen manserit, et quae *Regia* diu appellata sit. erat in Numidia, ut ex Notitia discimus, quae proprios olim Reges habuerat: ceterum de ea nihil Geographi tradidere.

FORTVNIVS. est hic ordine nonagesimus primus inter Numidicos Episcopos, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquo collegarum agmine relegavit. in ipso autem exsilio defunctus est Fortunius, ut nota mortis adjecta ostendit.

PAVLLINVS. hic pontificatu fungebatur circa annum DCI. exstat autem epistola Gregorii magni (1) ad Columbum Numidicum Episcopum, item altera (2) ad Victorem ejusdem provinciae Primatem, in quibus querelas

(1) *lib. XII. epist.* 28. (2) *ibid. epist.* 29.

graves ad se perlatas de Paullino scribit, eosque hortatur, ut de criminibus ejus cognoscant, in eumque ex praescripto animadvertant. sed Vaticani quidem codices *Regiensem* appellant; at alii *Tegessis civitatis* Episcopum faciunt, quae plane ignota est non modo in Numidia, sed etiam in reliqua Africa. qui huc Paullinum Numidicum Episcopum spectare non putant, quaerant ipsi, quonam referendus sit.

CCCCLXI. REGIENSIS

Locum, qui *Regia* vocitabatur, memorat Victor Vitensis, multorum Catholicorum martyrio celebrem, quos Ariani sacris occupatos armata manu oppressere (1), quo tempore Gensericus Africae dominabatur. sed qua in provincia haec contigisset, non adjecit. at locum *Ad Regias* ostendit Itinerarium Antonini in itinere a Cala Rusuccurum, id est in Mauretania Caesariensi, cui et Notitia Regiensem Episcopatum adtribuit.

VICTOR. hunc Notitia quinquagesimum primum numerat inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum profecti, eandem cum reliquis poenam, exsilio multati, subiere.

(1) *Pers. Vand. lib. I. c. 13.*

CCCCLXII. REPERITANVS

Obscurum oppidi nomen, et ipsius nominis incerta origo est: illud tamen cognitum, ad Mauretaniam Caesariensem pertinuisse.

GELIANVS. est hic ordine septuagesimus in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. se contulere, ut conventui adessent, quem Rex Hunericus indixerat, atque inde ejusdem Regis jussu in exsilium simul cum ceteris ejecti sunt.

CCCCLXIII. RESPECTENSIS

Nomen oppidi, ut arbitror, *Respectus* fuit, quod fortasse munito in loco esset, ad quem pugnantes respectum haberent. in Numidia fuisse, Notitia ostendit, et arcem jugo impositam contra barbaros putare licet.

QVODVVLTDEVS. hunc Notitia septuagesimum nonum recenset inter Numidicos Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, Regis Hunerici jussu cum reliquo Episcoporum coetu in exsilium pulsi sunt.

CCCCLXIIII. RESSIANENSIS

Numidiae oppidum *Ressia*, quae et *Ressa*: id quippe Notitia nos addocet; Geographi nihil tradiderunt. in agro Tacaratensi erat.

OCTAVIANVS. interfuit hic Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. cumque citatus, se *presto* esse respondisset (1), adjecit, *Vnitatem habeo.* primus autem Ressitanorum Episcopus fuisse videtur: nam paullo ante Verissimus Tacaratensis Donatista questus sic fuerat de Catholicis (2): *Quatuor sunt in plebe mea Datianus, Aspidius, Fortunatus et Octavianus.* ex his Aspidius erat, qui Catholicos Tacaratenses regebat: ceteri Donatistis oppositi fuerant, postquam numerus eorum augeri coeperat.

VIGILIVS. est hic ordine tricesimus quartus inter Numidicos Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum ceteris exsilio a Rege Hunerico multati sunt. peregre defunctum Vigilium adjecta mortis nota declarat.

(1) *Cognit. I. n.* 126. (2) *ibid. n.* 121.

CCCCLXV. ROBAVTENSIS

Ignotum plane oppidum, nisi quis esse putet, quam in Mauretania Caesariensi Ptolemaeus memorat, *Robondam*, inter Gulum et Audum fluvios. externa enim nomina mollire Graeci solent, quo Graecis auribus minus dissonent.

ANNIBONIVS. pertinet hic ad annum CCCLXXXXIII. fuit enim e numero Maximianistarum, qui Concilium Cabarsussitanum contra Primianum Carthaginiensem celebravere, ac synodicae epistolae subscripsit, quam tum universis per Africam Episcopis miserunt (1).

(1) apud Aug. *in ps. xxxvI. serm. II. n.* 20.

CCCCLXVI. ROTARIENSIS

Oppidum ab Optato *Rotarium*, ab Augustino *Rotaria* dicitur: erat autem in Numidia, unde fuere Episcopi omnes, qui Concilium Cirtae cum Secundo Tigisitano celebrarunt.

FELIX. habetur hic ab Optato (1) in eorum numero, qui Diocletiano in Christianos saeviente *instrumenta divinae legis impie tradiderunt.* interfuit autem anno CCCV. Concilio Cirtensi, in quo post ceterorum, qui aderant, criminis confessionem, ipse et alii duo a Secundo Tigisitano rogati, *Quid vobis videtur?* responderunt (2), *Habent Deum cui reddant rationem.* quos sequutus Secundus omnes absolvit, aitque, *Vos scitis et Deus: sedete.*

VICTOR. erat hic e grege Donatistarum, quos inter adfuit anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et citatus (3) dixit, *Mandavi et subscripsi: adversarium non habeo.* cur autem non haberet, exposuit Aurelius Macomadiensis: *Episcopum*, inquit, *illic habuimus: occidistis illum, et invasistis.* ad quae Adeodatus Actor Donatistarum: *Dicit Episcopum oc-*

(1) *de schism. Donat. lib. I. c.* 14.
(2) *contra Cresc. lib. III. c.* 27.
(3) *Cognit. I. n.* 187. *et* 188.

cisum: accuset, doceat, intendat. contra Aurelius aliud crimen objecit: *Et rebaptizaverunt*, inquit, *illum hominem nonagenarium Episcopum*, digito scilicet Simplicium Tibilitanum demonstrans. deinde contra Victorem sic loquutus est Victor Ajurensis, qui et Azurensis: *Dicit se non habere: Ego Ecclesiam illic habeo, quod te non fugit.*

CCCCLXVII. RVBICARIENSIS

Mauretaniae Caesariensi adtribuit *Rubicariam* Notitia, et in eadem provincia *Subicarense Castellum* memorat Ammianus (1): ut in alterutro mendum inesse videri possit.

PAVLLINVS. hunc Notitia septuagesimum septimum numerat inter Episcopos, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, jussu Regis Hunerici cum reliquo Episcoporum coetu in exsilium acti sunt.

(1) *lib. xxviii. c. 5.*

CCCCLXVIII. RVCVMENSIS

Oppidi nomen in codicibus variat; nam et *Rucuma* et *Rucumma* et *Racuma* scribitur, et Punica vox habenda est. erat autem in provincia Proconsulari, ut Acta veteris Concilii Lateranensis ostendunt.

LVCIANVS. sententiam hic dixit quadragesimo tertio loco in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo celebravit anno CCLV. idem autem esse videtur, cujus nomen occurrit in epistola, quam Cyprianus (1) cum collegis scripsit ad Cornelium P. M. de pace lapsis danda.

MAXIMVS. subscripsit hic epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (2), quorum errores refutabant.

(1) *epist. 54. initio.*

(2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 749.

CCCCLXVIIII. RVFINIANENSIS

Villam Rufinorum fuisse primitus *Rufinianam* facile crediderim, quales Romani in eo tractu habuere: eam enim provinciae Byzacenae Notitia adscribit.

MARIANVS. interfuit hic cum Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, cumque vocatus (1), se *praesto esse* respondisset, de Ecclesia sua addidit, *Vnitatem Catholicae habet.*

DONATVS. hic octogesimus quintus est in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, quibus Rex Hunericus post conventum Carthaginiensem anno CCCCLXXXIIII. eandem quam ceteris exsilii poenam irrogavit.

(1) *Cognit. I. n.* 128.

CCCCLXX.

RVSADITANVS

Mauretaniae Caesariensis oppidum fuit *Rusazus*, quod more suo Afri, D pro Z usurpantes, *Rusadum* dicebant. *Colonia* Plinio erat: in Itinerario Antonini *Municipium* audit, inter Iomnium et Saldas. ipsum esse oppidum, quod a Donatista Episcopo proditum Firmo tyranno fuisse scribit Augustinus (1), facile crediderim. uam etsi lectio varia est, ut idem Episcopus *Rucatensis, Rusicazensis, Ruficatensis, Rusicarsensis* efferatur, ut scribis placuit; illud tamen manifestum est, de Mauretaniae oppido sermonem esse, ex qua erat Emeritus, cui epistola missa fuit, et in qua Firmus dominatus est; nec aliud occurrit in ea provincia, quod affinem magis appellationem habuerit.

IDONIVS. hunc Notitia sexagesimum nonum recenset inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum, quem Rex Hunericus indixerat, Carthaginem cum aliis profecti, simul et in exsilium ob Catholicam professionem pulsi, solum verterunt.

(1) *Aug. epist.* 87. *n.* 10.

CCCCLXXI.

RVSGONIENSIS

Coloniam *Rusgunias* memorat Itinerarium Antonini inter Icosium et Rusubricari, id est in Mauretania Caesariensi, cui et Notitia adtribuit. eadem a Plinio *Colonia Augusti Rusconia* dicitur, Ῥουσκονίον a Ptolemaeo: sic enim emendat Cellarius, nam libri habent Ῥυσζονίον. ceterum germana lectio est *Ruscunia*, quam nobis servavit vetus marmor apud Maffejum, in quo Q. Gargilius ductor ordinum in Africa appellatur *Decurio duarum Coloniarum Auziensis et Ruscuniensis* (1).

NVMERIANVS. missus hic fuit anno CCCCXVIII. a provinciae suae Episcopis Legatus ad Concilium Carthaginiense, quod septimum appellatur: cui et subscripsit ultimus Legatorum (2).

BONIFACIVS. est hic ordine sexagesimus tertius inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum evocatos simul cum aliis relegavit.

(1) *Mus. Ver. p.* 463. *n.* 1.

(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1250.

CCCCLXXII.

RVSICCADIENSIS

Nota Numidiae urbs *Rusicade*, quae in Peutingeri tabula *Colonia* appellatur. Mela Pomponius (1) cum Hippone regio et Tabraca jungit; Plinius et Itinerarium Antonini post Cullense municipium recensent, id est ortum versus, in ipso littore.

VERVLVS. interfuit hic anno CCLV. Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo coëgit, in eoque sententiam septuagesimo

(1) *lib.* 1. *c.* 7.

loco dixit. appellatur autem in recentioribus exemplaribus *Martyr de schismaticis:* ut is esse possit, cujus cum aliis mentio fit in Latinis Martyrologiis VIII. kal. Martias: quamquam in nonnullis *Adrumeti* martyrium consummasse dicuntur, in aliis tantum *in Africa.* nam quod in Martyrologio Romano ad Vandalica tempora referuntur, contra veteres codices omnino est, ut Sollierus ostendit (2).

VICTOR. pertinet hic ad annum CCCV. quo Cirtensi Concilio adfuit, accusatusque est, quod sacros codices, edictis Diocletiani perterritus, tradidisset. in eo Secundus Tigisitanus, qui Concilio praeerat, et ejusdem criminis maculam non effugerat, sic Victorem interrogavit (3): *Dicitur te tradidisse quatuor Evangelia.* cui Victor, *Valentianus*, inquit, *curator fuit, ipse me coegit, ut mitterem illa in ignem. sciebam illa deletitia fuisse. hoc delictum mihi indulge, et indulget mihi et Deus.* subjecit autem Secundus, *Transi una parte.* eadem confirmat Optatus (4), qui Victorem inter primos illos proditores enumerat.

FAVSTINIANVS. Carthaginem hic se contulit anno CCCCXI. Collationis caussa; et quo die incohata est, morbi caussa abfuit: quod Alypius Tagastensis, unus e septem Actoribus Catholicorum sic testatus est: *Faustinianus,* inquit (5), *Episcopus Rusiccadensis hic est in hac civitate, sed male habet.* at non abfuit Donatista adversarius ejus, nomine Iunior, qui citatus ait (6), *Mandavi et subscripsi*, et de Faustiniano siluit.

(2) *in Usuardo ad diem.* 21. *Feb.*
(3) *Aug. contra Cresc. lib.* III. *c.* 27.
(4) *de schism. Donat. lib. I. c.* 13.
(5) *Cogn. I. n.* 215.
(6) *ibid. n.* 198.

CCCCLXXIII.

RVSPENSIS

Provinciae Byzacenae non ignobile oppidum *Ruspae* fuere, ad mare sitae inter Acolitanum oppidum et Usillam municipium. fama vero maxime parta a Fulgentio sanctissimo Episcopo et doctrina etiam claro, ob quem Ruspae ad omnium aures pervenere.

STEPHANVS. est hic ordine centesimus secundus in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIII. Carthaginem ad conventum profecti, quem Rex Hunericus indixerat, ejusdem jussu cum reliquis collegis relegati sunt.

FVLGENTIVS. hic, Trasamundo in Catholicos saeviente, Episcopus factus est anno DVIII. et annis XXVI. pontificatu functus, decessit anno DXXXIII. quod jam ex vitae ejus auctore, qui Ferrandus Diaconus Carthaginiensis fuisse creditur, ostendit Norisius (1). bis autem in exsilium pulsus a Trasamundo est, et in Sardiniam deportatus, ubi monachi vitam egit, quae et apud Ruspas in deliciis illi fuerat, rursusque fuit, postquam, Rege Hilderico propitio, pax Ecclesiis est reddita, et Episcopi jure postliminii ad sedes suas rediere. Monasterium enim condiderat Ruspis, cui Felicem Abbatem praefecerat.

(1) *Hist. Pelag. lib.* II. *c. ult.*

FELICIANVS. hic, quum Presbyter esset, in Sardinia exsul cum sancto Fulgentio habitaverat (2), cui proximus successit, non sine caelesti quadam decessoris significatione (3). interfuit anno DXXXIIII. (4) Concilio Carthaginiensi, quod Reparatus convocavit: in quo de Monachorum privilegiis actum est, ipso id petente, ut circa Monasterium Ruspense sciret, quid custodire deberet. huic dedicata est sancti Fulgentii vita, quae exstat.

IVLIANVS. subscripsit hic epistolae Concilii Byzaceni, quam anno DCXXXXI. quadraginta tres Episcopi communi consensu misere ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletarum errores (5).

(2) *in prol. vit. s. Fulg.* v. Isidor. *Brev. V. vII.* p. 154.
(3) *in ead. vit. c. ult.*
(4) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1177.
(5) *ibid. T. III. p.* 740.

CCCCLXXIIII. RVSPITENSIS

Inter oppida libera *Ruspinam* recenset Plinius, eamque Adrumeto tam ipse, quam Dio facit proximam (1). situm ejus ita Silius (2) indicavit:

Quaeque procul cernit non aequos Ruspina fluctus.

nec dubium, aliam urbem fuisse *Ruspas*, aliam *Ruspinam*, quamquam aliter Harduino visum (3). nam praeter Ptolemaeum, cujus hic auctoritate minus movetur, Peutingeri quoque tabula utramque distinguit, nomen a ficubus esse censuit Bochartus (4), quibus sane Plinius apud Ruspinam cados impleri scripsit (5). cur autem *Ruspitensis* a *Ruspina* ducatur, non *Ruspinensis* aut *Ruspinatensis*, id vulgus magis, quam Grammatici norunt. similia sunt illa, quae item in provincia Byzacena audiebantur, *Feradimajensis*, *Leptiminensis* et hujusmodi.

SECVNDVS. adfuit hic anno CCCCXI. cum Catholicis Episcopis Collationi Carthaginiensi, in qua vocatus (6), se *praesto esse* respondit, et quod ad Ecclesiae suae felicitatem pertinere jure existimabat, adjecit, *Sed non habeo contra me Episcopum.*

(1) *lib. XXXXII. p.* 215.
(2) *lib. III. v.* 260.
(3) *in emendat. ad Plin. lib. V. n. XIII.*
(4) *Geogr. Chan. lib. III. c.* 36.
(5) *Hist. N. lib. XV. c.* 19.
(6) *Cognit. I. n.* 121.

CCCCLXXV. RVSTICIANENSIS

Macomadiam Rusticianam in provincia Byzacena recensuimus: at haec urbs ἁπλῶς *Rusticiana* dicebatur, et ad Numidiam pertinebat, uti ex Notitia manifestum est. de hac tamen nihil apud Geographos, si Peutingeri tabulam excipias, in qua oppidum *Rustici* designatur.

LEONTIVS. erat hic e grege Donatistarum, cumque his anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, in qua citatus (1) ait, *Mandavi et*

(1) *Cognit. I. n.* 198.

subscripsi: adversarium non habeo. fuit autem e Catholicis Episcopis, qui Leontium perstrinxit his verbis: *Iste rebaptizat post partem Donati. rebaptizatus est postea, et sic est ordinatus.*

DONATVS. hunc Notitia sexagesimum primum numerat in albo Episcoporum, qui e Numidia ad conventum Carthaginiensem profecti sunt, atque a Rege Hunerico anno CCCCLXXXIIII. exsilii poena multati, cum reliquo collegarum agmine solum verterunt.

CCCCLXXVI. **RVSVBICCARIENSIS**

Latere hic videtur *Rusubeser* Ptolemaei prope Iomnium in Mauretania Caesariensi: multoque magis *Rusubricari*, quod Itinerarium Antonini habet inter Rusgunias coloniam et Cisi municipium.

CONSTANTIVS. adfuit hic cum Donatistis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, sine adversario Catholico, vocatusque (1) ait, *Mandavi et subscripsi.*

(1) *Cognit. I. n.* 197.

CCCCLXXVII. **RVSVBIRITANVS**

Memorat Ptolemaeus *Rusicibar* prope Ruscuniam in Mauretania Caesariensi, in qua et Notitia *Rusubirim* agnoscit. an unum idemque sint oppidum, non dijudico. quin potius Ptolemaei *Rusibim*, vel Plinii *Rusadir* hic designari crediderim, portum Tingitaniae, quorum Episcopos Notitia Mauretaniae Caesariensi adtribuit, uno utriusque provinciae censu instituto.

FELIX. est hic vicesimus secundus in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi Carthaginem profecti, quo Rex Hunericus omnes Africae Episcopos evocaverat, exinde ab eodem, ob Catholicam professionem, anno CCCCLXXXIIII. in exsilium cum ceteris collegis pulsi sunt.

CCCCLXXVIII. **RVSVCENSIS**

Provinciae Proconsulari *Rusucam* adscripsit Harduinus, indicium, ut arbitror, sequutus illud, quod in Collatione Carthaginiensi de Episcopatu hoc interloquutus esset Habetdeus Diaconus Primiani Carthaginiensis, cui ob vicinitatem conditio Ecclesiae illius nota esse deberet. nam et de aliis Ecclesiis proximus quisque testimonium dicere solebat. quidquid autem id valeat, potiora Geographi non suppeditant.

CRESCONIVS. adfuit hic anno CCCCXI. cum Catholicis Collationi Carthaginiensi, in qua, postquam subscriptio ejus recitata est, adjecit de Ecclesia sua (1), *Vnitatem habeo.* idque confirmavit Habetdeus Diaconus Donatista, qui ait, *Non habemus.*

(1) *Cognit. I. n.* 133.

CCCCLXXVIIII. RVSVCCVRRENSIS

Non ultimum Mauretaniae Caesariensis oppidum fuit *Rusucurium*, quod *civitate honoratum a Claudio* auctor est Plinius. in Itinerario Antonini *colonia* dicitur, et inter Cisi et Iomnium municipia recensetur in ipso littore. Ptolemaeo est Ρουσουκκόρου, aliis *Rusuccurum*. fuit autem natale solum Marcianae virginis, quae sub Diocletiano Martyrium fecit Caesareae, quae ejusdem provinciae metropolis erat.

FORTVNATVS. occurrit hic inter Catholicos Episcopos Collationis Carthaginiensis anni CCCCXI. in qua, ut subscriptio ejus prolata est, ait (1), *E diverso mihi est Optatus.* subjecit autem Optatus, *Agnosco illum:* tum ubi citatus est (2), dixit, *Mandavi et subscripsi.*

NINELLVS, qui et *Nicellus.* hunc Episcopi provinciae Mauretaniae Caesariensis anno CCCCXVIII. ad Concilium Carthaginiense legaverunt, cui et subscripsit primus Legatorum provinciae suae (3).

METCVN. est hic quinquagesimus quartus in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIII. ad conventum a Rege Hunerico indictum Carthaginem se contulere, atque inde in exsilium cum reliquis concesserunt.

(1) *Cognit. I. n.* 135.
(2) *ibid. n.* 176.
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1250.

CCCCLXXX. SABRATENSIS

Locum oppidi in provincia Tripolitana celebris indicat Plinius inquiens, *Sabrata contingens Syrtim minorem.* in Itinerario Antonini *colonia* appellatur, et ab Isidoro habetur una e tribus magnis urbibus, unde nomen provinciae impositum fuerit (1): quod Solinus sic ante docuerat (2): *Achaei Tripolim lingua sua signant de trium urbium numero Oeae, Sabratae, Leptis magnae.* Sabratam a Iustiniano communitam esse, scribit Procopius (3).

POMPEIVS. praeerat hic Sabratensi Ecclesiae Cypriani aevo: nam idem Natali ab Oea ad Concilium Carthaginiense anni CCLV. proficiscenti mandata dedit, ut sententiam pro se diceret de haereticis iterum baptizandis (4).

NADOS. adfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et subscriptione ejus recitata (5), ait, *E diverso habui, modo non habeo.* designabat autem Donatum Maximianistam, qui anno CCCLXXXXIII. Concilio Cabarsussitano interfuerat (6), et anno insequenti Bagajensis synodi sententia cum reliquis Ordinatoribus Maximiani damnatus fuerat (7).

(1) *Origin. lib. XIII. c.* 5.
(2) *Polyhist. c.* 27.
(3) *de aedif. lib. VI. c.* 4.
(4) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 178.
(5) *Cognit. I. n.* 133.
(6) apud Aug. *in ps.* XXXVI. *serm. II. n.* 20.
(7) *ibid. contra Cresc. lib. III. c.* 4.

VICES, id est *Vincens.* memorat hunc Victor Vitensis inter Episcopos, qui a Genserico relegati sunt (8), quod *in personam Regis* sub nomine Pharaonis, aut Nabucodonosoris, aut Holofernis concionantes invecti essent. ita nempe Ariani eorum verba interpretabantur, et invidiam innocentibus conflabant. pertinet autem horum exsilium ad annum CCCCL. vel huic proximos.

LEO. secundus hic est e quinque Episcopis provinciae Tripolitanae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum evocatos, cum reliquis collegis exsilio affecit.

(8) *Pers. Vand. lib. I. c. 7.*

CCCCLXXXI. **SAIENSIS**

In provincia Proconsulari *Sain* locat Harduinus, levi, ni fallor, indicio adductus, quod Episcopus ejus in Collatione Carthaginiensi post Tunejensem cieatur, cujus urbs prope Carthaginem erat. porro *Sain* coloniam Aegyptiorum putare quis possit, quum *Sais* metropolis in Aegypto esset, quam vocant inferiorem, ut auctor est Strabo (1): unde et Saites Nomos appellabatur.

DONATVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et inter Catholicos citatus (2) se *praesto esse* respondit; tum de Ecclesia sua adjecit, *Vnitas est illic.*

(1) *lib. XVII. p.* 552. (2) *Cognit. I. n.* 128.

CCCCLXXXII. **SALDITANVS**

Colonia Augusti, Plinio teste, erat *Salde*, quae Σαλδαι Ptolemaeo est, oppidum insigne Mauretaniae Sitifensis in littore ultra Igilgilim, occidentem versus: *Bugia* sequiori aevo appellata. hic anno M.CCC.XV. Martyr occubuit vir doctrina et virtute clarissimus Raymundus Lullus, cujus obtrectatores, scriptis ejus rebusque gestis jamdiu vindicatis (1), silent.

PASCHASIVS. est hic ordine quadragesimus primus in albo Episcoporum Mauretaniae Sitifensis, qui anno CCCCLXXXIIII. ab Rege Hunerico Carthaginem evocati, cum reliquis, qui eodem convenerant, in exsilium acti sunt.

(1) v. Boll. *T. V. Jun. p.* 633.

CCCCLXXXIII. **SAMVRDATENSIS**

Ignotum plane oppidum *Samurda:* verum in nomine affine aliquid est cum *Samardacis*, quos memorat Augustinus (1). ita vulgus planos vocabat sive circulatores. de vulgo autem sive popularibus suis loquebatur: nam libros contra Academicos, in quibus haec attingit, in Numidia scribebat

(1) *contra Acad. m. l. II. III. c.* 15. *n.* 34.

prope Tagastem in villa Verecundi Grammatici. num inde nomen oppido impositum, quod illic magna praestigiatorum copia esset? an versa vice ab oppido illo sic appellati quotquot eo vitae genere delectarentur? ceterum *Samardacos* norat ipse Chrysostomus (2), quos Γελωτοποιϐς cognominat: quamquam Montfauconius pro τϐς Σαμαδακϐς supposuit τϐς Κορδακας.

DONATVS. hic anno CCCLXXXXIII. interfuit cum Maximianistis Concilio Cabarsussitano, in quo Primianus damnatus est, subscripsitque epistolae (3), quae tum ad omnes Africae Episcopos missa est.

(2) *Oper. T. XI. p.* 125. *hom. XVII. in epist.* (3) apud Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20. *ad Ephes. n.* 3.

CCCCLXXXIIII. SATAFENSIS MAVR. CAES.

Geminam in Africa *Satafim* agnoscit Notitia. hanc non esse oppidum liberum Salaphitanum, quod Plinius memorat, mihi exploratum est: id enim inter oppida provinciae Zeugitanae recenset (1). nec tamen Geographum, qui de hac meminerit, indicare possum.

DONATVS. hunc nobis suppeditat Holstenius (2) ex epistola Leonis magni ad Episcopos Africanos provinciae Mauretaniae Caesariensis (3), quae scripta fuit circa annum CCCCXXXXVI. in ea, ut plerique codices habent, sic scribit Leo (4): *Donatum autem Salicinensem ex Novatianis cum sua, ut comperimus, plebe conversum, ita Dominico gregi volumus praesidere, ut libellum fidei suae ad nos meminerit dirigendum, quo et Novatiani dogmatis damnet errorem, et plenissime confiteatur catholicam veritatem.* porro Episcopatus *Salicinensis* in Africa plane ignotus est, nec ipsa lectio in codicibus eadem, sed omnino varia, quemadmodum Ballerinii adnotarunt. Holstenius autem, quod illi praeterierunt, in vetustissimo codice Vaticano n. M.CCCXXXXII. legit *Satacensem*, idemque esse putavit ac *Satafensem*.

CRESCES, id est *Crescens.* hunc ordine centesimum decimum sextum Notitia numerat in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem conventus caussa se contulere, atque inde cum reliquis a Rege Hunerico in exsilium ejecti sunt. peregre autem defunctum Crescentem nota mortis adjecta indicat.

(1) *H. N. lib. V. c.* 4.
(2) *in adnot. de Patr. Rom. p.* 97.
(3) *epist. XII. edit. Baller. T. I. p.* 657.
(4) *ibid. cap. VI. p.* 665.

CCCCLXXXV. SATAFENSIS MAVR. SITIF.

Alteram *Satafim* demonstrat Itinerarium Antonini non longe ab ipsa colonia Sitifi in mediterraneo.

ADEODATVS. adfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi: quumque vocatus (1) se *praesto esse* respondisset,

(1) *Cognit. I. n.* 128.

prodiit Vrbanus Donatista adversarius ejus, qui ait, *Agnosco illum*, ac postea citatus dixit (2), *Mandavi et subscripsi.* utrumque autem ad Satafim hanc alteram pertinuisse, putavit Harduinus: cujus opinioni favet aliquatenus Collationis contextus: cietur enim Adeodatus post Episcopum Tamagristensem, qui erat in Sitifensi.

FESTVS. hunc Notitia sextum recenset inter Episcopos provinciae Sitifensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis Episcopis, quos undique convocaverat, relegavit.

(2) *ibid. n.* 187.

CCCCLXXXVI. SCEBATIANENSIS

Nihil de *Scebatia* traditum a Geographis: fuisse tamen id oppidum in provincia Byzacena, ex Notitia compertum habemus.

VICTORINVS. est hic ordine quadragesimus quintus inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, jussu Regis Hunerici cum reliquo collegarum coetu in exsilium pulsi sunt.

CCCCLXXXVII. SCILLITANVS

Oppidum *Scillam*, cetera ignobile, nobilitarunt Martyres Scillitani, qui Martyrium suum Carthagine consummaverunt, ubi et Basilica iis dicata (1), in qua Augustinus sermonem habuit (2). quantum Scilla distaret Carthagine, ignoramus: sed in provincia Proconsulari fuisse indicant Acta veteris Concilii Lateranensis.

SQVILLACIVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi inter Catholicos Actorum Consiliarius, et adversarium habuit Donatum (3), ut ipse fassus est, *E diverso*, inquiens, *Donatum habeo:* qui progressus ait, *Agnosco illum*, ac postea citatus (4) respondit, *Mandavi et subscripsi.*

PARIATOR. subscripsit hic epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa fuit ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (5).

(1) Vict. Vit. *Pers. Vand. lib. I. c.* 3.
(2) *Serm.* 155. *de verb. Apost.*
(3) *Cognit. I. n.* 143.
(4) *ibid. n.* 206.
(5) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 750.

CCCCLXXXVIII. SEBARGENSIS

Ad provinciam Proconsularem pertinuisse videtur *Sebarga:* nam Episcopus ejus occurrit inter Patres Concilii Carthaginiensis sub Bonifacio celebrati, qui ex eadem provincia plerique omnes fuere. sed nulla oppidi fama, nec ulla de eo apud Geographos mentio.

RESTITVTVS. subscripsit hic anno DXXV. Concilio Carthaginiensi, quod modo memoravi (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

CCCCLXXXVIIII.

SEBERIANENSIS

Oppidum provinciae Byzacenae fuisse *Severianam*, Notitia nos edocet: cui nomen a Severo Aug. inditum esse, veri, opinor, simile est. sed obscura oppidi origo, nec a scriptore veteri celebrata.

VICTORINVS. est hic decimus in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis relegavit.

CCCCLXXXX.

SEDELENSIS

Proximam Vtinae in provincia Proconsulari fuisse *Sedelam*, ex Concilio Carthaginiensi Bonifacii discimus: quod Episcopus ejus etiam *Vtinensis* appelletur. utrique enim oppido is non praefuisset, nisi ea vicinitas ipsa sociasset. rem confirmat Collatio Carthaginiensis, quum de absente Episcopo interloqnutum ostendat Episcopum Amaderensem ex eadem provincia.

VICTORIVS. erat hic Donatista, qui Carthaginem anno CCCCXI. profectus, ut Collationem cum reliquis celebraret, morbi caussa adesse non potuit. itaque ubi citatus est (1), Crescentianus Amaderensis ait, *Hic est, aegrotat.* ceterum Victorius dicitur *Selendetensis*, quod scribae mendum censeo

FELICISSIMVS. hujus subscriptio in Concilio Carthaginiensi anni DXXV. est hujusmodi, *Felicissimus Episcopus plebis Sedelensis, qui et Utinensis* (2).

(1) *Cognit. I. n.* 208. (2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

CCCCLXXXXI.

SEGERMITANVS

Erat *Segermi* in provincia Byzacena, idque, si Holstenii stat lectio, *Municipium;* sed neglectum tamen a Geographis, et ex Ecclesiae tantum monumentis notum.

NICOMEDES. convenit hic Carthaginem ad Concilium, quod Cyprianus anno CCLV. tertium de Baptismo convocavit, in eoque sententiam suam nonus pronunciavit. appellatur autem *a Segermis:* ut oppidum *Segermas* etiam dictum appareat.

FELIX I. adfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et adversarium habuit Donatistam Restitutum, qui ejus nomine audito ait (1), *Agnosco illum:* et subinde citatus (2) dixit, *Mandavi et subscripsi.*

RESTVTVS. hunc Notitia nonagesimum nonum recenset in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, qui ab Rege Hunerico anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum evocati, exinde cum reliquo collegarum agmine

(1) *Cognit. I. n.* 126. (2) *ibid. n.* 198.

relegati sunt. nullum autem Restuto definitum exsilii locum significare nota videtur, quae nomini adjecta est *ἁπλῶς In exsil.*

FELIX II. subscripsit hic epistolae Concilii Byzaceni, quam Patres communi consensu scripsere anno DCXXXXI. ad Constantinum Aug. Heraclii filium contra novitates Monotheletarum. appellatur porro Felix *gratia Dei Episcopus sanctae Ecclesiae Municipii et Gernisii* (3): sed Holstenius legendum putat (4) *Municipii Segermitensis*, quod plane probandum videtur.

(3) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 740. (4) *in adnotat. de Patr. Rom. p.* 74.

CCCCLXXXXII. SELEMSELITANVS

Antiquae originis oppidum *Selemselae* habendum, si nomen spectes. nam *Selem* umbra Hebraeis dicitur, *Sela* autem Iudaeae urbs fuit, eodemque nomine altera in Arabia: ut alterutrius *umbra* sive colonia fuisse haec in Africa videri possit, in qua urbes complures a Phoenicibus extorribus conditas novimus. erat haec in provincia Proconsulari, si Harduino fides et Ruinartio, qui tamen nulla rem auctoritate confirmant. equidem facilius Numidiae adscripserim.

FELIX. interfuit hic anno CCCLXXXX. Concilio Carthaginiensi, quod Geneclius coegit, in eoque trium canonum auctor perhibetur (1), e quibus binos Gratianus Decreto suo inseruit (2).

CRESCONIVS. erat hic Donatista, et cum gregalibus suis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi praesens, postquam citatus ait (3), *Mandavi et subscripsi*, adjecit, *Traditores non habeo in plebe mea.* contra quem Aurelius Macomadiensis reposuit: *Presbyterum habemus, qui intervenit.* hic vero Adeodatus Milevitanus Donatistarum Actor, *Intervenit*, inquit, *dixisti: si ubique vestros spargere velitis, jam videmini habere nobiscum partem in his locis, ubi Christiani sunt* (4). porro hi duo Episcopi erant e Numidia, quos potissimum interloquutos apparet, quia de Numidica urbe agebatur.

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 952. *etc.* (3) *Cognit. I. n.* 201.
(2) *Part. II. Caus. XV. Q.* 7. *c.* 4. *etc.* (4) *ibid. n.* 202.

CCCCLXXXXIII. SELEVCIANENSIS

Nihil quidem Geographi de *Seleucia* Africana tradidere: fuisse tamen constat, eamque in Numidia sitam Notitia testatur.

TERENTIVS. adfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi; in qua et adversarius ejus Donatista Messianus prodiit, auditoque ejus nomine ait (1), *Agnosco illum*, et ubi citatus est, respondit (2), *Mandavi et subscripsi.*

PROFICIVS. est hic ordine centesimus decimus sextus in albo Episcoporum Numidicurum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post con-

(1) *Cognit. I. n.* 121. (2) *ibid. n.* 206.

ventum Carthaginiensem cum ceteris relegavit. in ipso exsilio defunctum Proficium nota mortis adscripta indicat.

CCCCLXXXXIIII. **SEMINENSIS**

Oppidum *Semina* provinciae Proconsulari in Notitia adscribitur. nec nomen inauditum; fuit enim et in Parthia oppidum ejusdem nominis. ceterum de hoc Africano nihil habent Geographi.

FLORENTIVS. hunc Notitia quadragesimum secundum recenset inter Episcopos, qui e provincia Proconsulari ab Rege Hunerico Carthaginem ad conventum evocati, anno CCCCLXXXIIII. in exsilium cum reliquis ejecti sunt. ac Florentium quidem in Corsicam deportatum, ex Notitia liquet: num vero hic idem sit, quem Corsi colunt, et ab ejus ne nomine appellata urbs sit, in qua Nebbiensis Cathedra constituta est, incertum puto (1).

(1) v. *etiam Boll. T. II. Iun. p.* 179.

CCCCLXXXXV. **SENEMSALENSIS**

Vidimus superius, fuisse in Africa Proconsulari oppidum, cui nomen esset *Duae Senemsalae:* idque a magnitudine sic appellatum putari possit, quod nempe hoc alterum prae illo satis exiguum foret. atque hoc quoque in eadem provincia fuisse, indicare videtur Bonifacii Concilium, cujus Episcopi plerique omnes e Proconsulari fuere.

FORTVNATIANVS. adfuit hic cum Donatistis suis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in eaque citatus (1) respondit, *Mandavi et subscripsi:* nec de Catholico Episcopo mentionem intulit.

PATRONIANVS. occurrit hic inter Patres, qui subscripsere Concilio Carthaginiensi anni DXXV. quod Bonifacius vocavit (2).

(1) *Cognit. I. n.* 201. (2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

CCCCLXXXXVI. **SEPTIMVNICENSIS**

In provincia Byzacena fuisse *Septimuniciam* ostendit Itinerarium Antonini, in quo cietur inter Madarsumam et Tabaltam. consentit Notitia, quae eidem provinciae adscribit. Concilium ibidem celebratum, testis est Ferrandus, qui sex canones ejus recenset (1).

PASCHASIVS. hunc Notitia tertium numerat inter Episcopos, qui e provincia Byzacena anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici cum reliquo collegarum coetu relegati sunt.

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1251.

CCCCLXXXXVII. **SEREDDELITANVS**

Mauretaniae Caesariensis oppidum *Sereddelam* facit Notitia: sed de eo nihil habent Geographi.

ROGATVS. est hic nonagesimus secundus in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis, quos evocaverat, exsilio affecit.

CCCCLXXXXVIII.

SERRENSIS

Obscura loci fama, nec nisi vicus fuisse videtur; quem in provincia Proconsulari situm crediderim, quum in Collatione Carthaginiensi de eo interloquutus sit Valentinianus Primiani Donatistae, Episcopi Carthaginiensis, Diaconus, cui maxime provincia Proconsularis nota esse debebat.

PROCVLVS. interfuit hic cum Episcopis Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, appellatus *Episcopus plebis loci* Serrensis. subscriptione autem ejus recitata, dixit (1), *Vnitatem habeo.* tum Diaconus Valentinianus de Donatistis suis ait, *Non habemus.*

(1) *Cognit. I. n.* 135.

CCCCLXXXXVIIII.

SERTENSIS

Praeter Zertam Numidicam, in Mauretania Caesariensi *Sertam*, quae et *Zerta*, agnoscit Notitia: quamquam neutram Geographi in commentarios suos retulerunt.

SALLVSTIVS. erat hic e grege Donatistarum, quibuscum anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi praesens, ubi citatus est (1), *Mandavi*, inquit, et *subscripsi.*

SATVRNINVS. est hic ordine centesimus decimus septimus inter Episcopos, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, cum reliquis, quos Rex Hunericus undique acciverat, relegati sunt. in exsilio autem periisse Saturninum adjecta mortis nota declarat.

(1) *Cognit. I. n.* 201.

D.

SERTEITANVS

Nomen oppido *Serteiam* fuisse puto, quae tamen apud Geographos indicta. eam Notitia Mauretaniae Sitifensi adtribuit.

FELIX. Carthaginem hic se contulit anno CCCCXI. ut Collationi cum Catholicis Episcopis adesset. morbo tamen domi manere coactus est: itaque Alypius, quum alios excusasset, adjecit (1), *Et Felix Serteitanus pedem dolet.* at non aberat adversarius ejus Maximianus Donatista, qui citatus respondit (2), *Et Mandavi et subscripsi.*

VICTORINVS. hunc vicesimum octavum Notitia recenset inter Episcopos Mauretaniae Sitifensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquo collegarum coetu exsilio affecit. peregre defunctum Victorinum nota mortis adscripta indicat.

(1) *Cognit. I. n.* 215. (2) *ibid. n.* 180.

DI. **SESTENSIS**

Memorat Ptolemaeus in Tingitania Σηςιαριαν ακραν, id est *Sestiarium Promontorium;* in Itinerario autem Antonini locus ejusdem tractus occurrit, cui nomen *Ad sex insulas.* ibidem *Sextum* oppidum fuisse arbitror: nam quod Notitia Mauretaniae Caesariensi adtribuat, nihil adversatur: omnes enim Tingitaniae Episcopi in eadem provincia censebantur.

CRESCES, id est *Crescens.* est hic tricesimus sextus in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, quos an. CCCCLXXXIIII. Carthagiuem usque ad conventum a Rege Hunerico indictum profectos communis ceterorum poena excepit. in ipso autem exsilio obiisse Crescentem, nota demonstrat, quae nomini ejus adjecta legitur.

DII. **SFASFERIENSIS**

De *Sfasferia* oppido nihil a Geographis traditum accepimus: una est Notitia, quae Mauretaniae Caesariensi adscribit.

RVFVS. est hic quinquagesimus quintus inter Episcopos, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem, quo eos Rex Hunericus acciverat, cum reliquo collegarum coetu relegati sunt.

DIII. **SICCENNENSIS**

Vicus *Siccennis* in provincia Proconsulari fuit, atque in paroecia Sinnuaritensi, ut ex Collatione Carthaginiensi discimus. in eo Donatistae Episcopum constituerant, qui Stephano Sinnuaritensi adversaretur, quatenus posset: nam ipsum oppidum Sinnuar totum Catholicum erat, ut infra dicemus.

CYPRIANVS. in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. quum recitata esset subscriptio Episcopi Sinnuaritensi Catholici, atque idem addidisset, *Vnitas est illic, Ecclesia est illic,* Habetdeus Diaconus Primiani reposuit (1), *Diocesis ea est Cypriani a Siccenni: Cyprianus dicitur Episcopus, qui illic intendit ad Sinuar.* Collationi tamen adfuisse Cyprianus non videtur: nec Sinnuaritensis Episcopus dictus esse, quod ipsa ejus auctoritas vico Siccenni circumscripta modum audaciae poneret.

(1) *Cognit. I. n.* 133.

DIIII. **SICCENSIS**

Geminam in Africa *Siccam* agnoscit Harduinus, alteram in Numidia, alteram in provincia Proconsulari: Cellarius vero unam quidem facit, sed Numidicam. neutrum autem admittendum est: nam et una tantum, eaque in Proconsulari sita demonstratur inter Naraggaram et Musti, quae ejusdem provinciae oppida in Antonini Itinerario sunt, Numidiam ver-

sus. *Siccam* ἁπλῶς Sallustius et Plinius, *Siccam Veneriam* Ptolemaeus et Solinus vocant: atque hic a Siculis conditam tradit, Veneriamque appellatam, quod iu eam Veneris Erycinae religiones transtulissent (1): nisi forte Solinus fanum potius Aphrodisium designat, quod erat in Byzacena. memorat item *Siccenses* Trebellius Pollio (2), quos non admodum Carthagine dissitos ostendit: et oppidum *Siccense* Augustinus (3), qui ne ipse quidem procul fuisse indicat. *Ordo Siccensium* occurrit in veteri inscriptione apud Maffejum (4), quae ad regnum Tunetanum pertinebat. claruit autem apud Siccenses senior Arnobius: de quo Hieronymus sic (5): *Arnobius sub Diocletiano Principe Siccae apud Africam florentissime Rhetoricam docuit, scripsitque adversum gentes quae vulgo exstant volumina.* ac plura de eodem habet in Chronico (6).

CASTVS. sententiam hic vicesimus octavus dixit in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo coegit anno CCLV.

EPARCHIVS. cietur hic in praefatione Concilii Carthaginiensis sub Grato Episcopo celebrati anno CCCXXXXVIIII. (7)

FORTVNATIANVS. ex codice canonum Ecclesiae Africanae discimus (8), legatum hunc fuisse anno CCCCVII. cum Vincentio Culusitano ad Augustos, ut advocatos ad Ecclesiarum defensionem constituendos curaret. idem anno CCCCXI. Collationis Carthaginiensis pars fuit, et Catholicorum caussam egit, unus e septem Actoribus designatus (9). itaque postea scripsit, *Hoc Mandatum suscepi et subscripsi:* ac rursum, ut subscriptio ejus recitata est, adjecit (10), *Vnitatem Ecclesiae Siccensis novi, Episcopum quidem tantum nomine audivi.* is porro erat Paullus, qui aderat inter Donatistas, et vocatus ait (11), *Mandavi et subscripsi.* de eodem Fortunatiano Augustinus in libro II. cap. XXXXI. Retractationum haec habet: *Inveni etiam in quodam nostro codice, in quo et iste liber est* (de videndo Deo) *quoddam Commonitorium a me factum de hac re ad Episcopum Siccensem Fortunatianum, quod in opusculorum meorum indiculo nec inter libros nec inter epistolas est notatum.*

VRBANVS. celebrem hunc fecit Apiarii Presbyteri caussa ad Zosimum Pontificem maximum delata anno CCCCXVIII. de eo scribit Aurelius Episcopus Carthaginiensis ad Bonifacium Zosimi successorem (12): *Prior autem Coepiscopus noster Siccensis Vrbanus, quod in eo corrigendum visum est, sine ulla dubitatione correxit:* idest Apiarium a Zosimo restitutum in communionem recepit. vivebat etiamtum Vrbanus anno CCCCXXVIIII. nam de eo meminit Augustinus in epistola ad Darium virum illustrem eo anno scripta (13): *A sanctis*, inquit, *fratribus et Coëpiscopis meis Vrbano*

(1) *Polyhist. c.* 27.
(2) *in triginta Tyrann. c.* 29.
(3) *epist.* 229. *n.* 1.
(4) *Mus. Ver. p.* 42). *init.*
(5) *de vir. illustr. c.* 79.
(6) *ad an.* 305.
(7) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 685.
(8) *Can.* 8. *ibid. p.* 919.
(9) *Cognit. I. n.* 55.
(10) *ibid. n.* 139.
(11) *ibid. n.* 199.
(12) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 942.
(13) *epist.* 229. *n.* 1.

et Novato, qualis sis vir et quantus, accepi: quorum alteri apud Carthaginem in Hilarensi oppido, et modo in Siccensi; alteri autem apud Sitifim te nosse provenit.

PAVLLVS. quia de Siccensi Episcopo nulla mentio est in Notitia, fuisse Episcopum Siccae hunc crediderim, quem Victor Vitensis memorat cum Quintiano (14): simul enim civitates duas indicat Siccensem et Larensem, in quas jussu Regis Hunerici compulsos tradit Catholicos, *ut illuc occurrentes Mauri sibi traditos ad eremum perducerent.* quae contigisse apparet circa annum CCCCLXXXIII. id est ante conventum Carthaginiensem, post quem tantus ille Episcoporum numerus in exsilium concessit. vide quae de Quintiano superius adnotavimus (15).

CANDIDVS. subscripsit hic anno DCXXXXVI. epistolae Concilii Proconsularis, quae tum missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (16).

(14) *Pers. Vand. lib. II. c. 6.*
(15) *in Episcopatu Larensi.*
(16) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 751.

DV. SICCESITANVS

Latere hic *Sigam* municipium puto, nobile oppidum Mauretaniae Caesariensis ex adverso Malachae, quam Syphacis regiam fuisse constat. neque enim credibile est, quo tempore Hunericus in Catholicos saeviebat, et tot numero Episcopi in Africa erant, primariam urbem sine Episcopo fuisse. at contra mirum non est, qui *Sigenses* essent, dictos *Siccesitanos.* nam G et C adfines sunt: N vero saepe omittebant, ut nomina ostendunt *Vices* et *Cresces* pro *Vincens* et *Crescens*, quae non semel occurrunt. ceterum Mela (1) Rusicadam et Sigam parvas urbes Mauretaniae facit.

MARTINVS. adfuit hic cum Donatistis suis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus ait (2), *Mandavi et subscripsi.* de Catholico autem Episcopo nulla ab eo facta mentio est.

EMPTACIVS. hunc Notitia octogesimum recenset in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem a Rege Hunerico evocati, post conventum exsilio cum reliquis affecti sunt.

(1) *de sit. orb. lib. I. c.* 5.
(2) *Cognit. I. n.* 197.

DVI. SICILIBBENSIS

Non ignobile oppidum provinciae Proconsularis *Sicilibba* fuit, quae in Antonini Itinerario recensetur inter Membressam et Unucam; quamquam mendose *Sicilibra* appellatur, ut alibi *Sicilippa*, et *Scilıba*, et *Sibida:* tanta erat Afrorum in pronunciando scribendoque varietas et inconstantia!

SATIVS. interfuit hic Concilio Carthaginiensi anni CCLV. quod Cyprianus tertium de Baptismo convocavit, sententiamque in eo tricesimus nonus dixit.

HONORATVS. ita appellatum putat Ludovicus Pinius Episcopum Donatistam Sicilibbensem, de quo agitur in sermone perantiquo anonymi Donatistae, quem idem edidit (1) hoc titulo, *IIII. idus Martii Sermo de passione ss. Donati et Advocati.* ceterum in eo ita scriptum est: *Quamquam Honoratum sanctissimi Scilibensis Episcopi jugulum Tribuni gladius etsi non penetravit, tamen compunxit* (2): ut illud *Honoratum* ad *jugulum* tamquam appositum pertinere videatur. quodcumque autem Donatistae illius Episcopi nomen fuerit, vixisse dicendus est ante annum CCCXXVII. sive ante Caeciliani Carthaginiensis mortem, quo vivente Donatistas suos multa auctor ille perpessos esse conqueritur.

QVADRATIANVS. erat et hic e grege Donatistarum, quos inter anno CCCCXI Collationi Carthaginiensi praesens, ut citatus est (3), ait, *Mandavi et subscripsi.* Catholicum autem Episcopum Sicilibbae tum fuisse non apparet.

PRAETEXTATVS. cietur hic in Concilio Carthaginiensi septimo sub Aurelio, inter Legatos provinciae Proconsularis ordine septimus, pertinetque ad annum CCCCXVIIII.

BONIFACIVS. memorat hunc Victor Vitensis inter eos (4), qui sub exsilium omnium Episcoporum gravissimos cruciatus Regis Hunerici jussu toleraverant. appellat autem *Sibidensem,* at fuisse *Sicilibbensem,* satis indicat, ea subnectens, quae Servus item pertulerat, *Tuburbitanae civitatis majoris generosus et nobilis vir.* proxima enim Tuburbo majori Sicilippa erat, ut jam Norisius adnotavit. porro quum Bonifacius jam in vincula conjectus et morti destinatus esset, idcirco factum puto, ut nomen ejus in album Episcoporum, quos Hunericus anno CCCCLXXXIIII. relegavit, Notitiae auctor non retulerit.

(1) *post Optat. p. 191. ed. Ant.*
(2) *ibid. n. 7. p. 192.*
(3) *Cognit. I. n. 198.*
(4) *Pers. Vand. lib. v. c. 1.*

DVII. SIGVITENSIS

Numidiae oppidum *Sigus,* quod et *Sugus* dictum, unde Episcopi *Siguitenses* et *Suggitani* appellati. erat inter Macomadiam et Cirtam, quemadmodum in Antonini Itinerario proditur. proximas oppido fodinas puto fuisse, quae in epistolis Cypriani *Metallum Siguense* appellantur. nam Episcopi, quos illuc deportatos legimus, e Numidia item erant, ut in Annalibus ostendemus ad annum CCLVII. n. IIII.

CRESCONIVS. erat hic Donatista, adfuitque cum gregalibus suis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi: in qua citatus, postquam se *mandasse et subscripsisse* professus est (1), adjecit, *Sicut adversarium non habeo, sic numquam habeam.* idem autem et pro Episcopo Tigisitano, qui morbo retardatus non aderat, se subscripsisse testatus est (2).

VICTOR. est hic ordine decimus octavus in albo Episcoporum provinciae Numidiae, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem a Rege Hunerico evocati, post conventum cum ceteris in exsilium ejecti sunt.

(1) *Cognit. I. n. 197.*
(2) *ibid. n. 209.*

DVIII.

SILENSIS

Ignota *Sila* est et a Geographis praetermissa: quam tamen in Numidia fuisse, ex Notitia discimus.

DONATVS. est hic octogesimus secundus in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum ceteris, quos acciverat, relegavit.

DVIIII.

SILLITANVS

Ad Numidiam item pertinet *Silli*, ut Notitia indicat. quamquam obscura hujus quoque oppidi fama est.

FAVSTINVS. adfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua, ut se *praesto esse* citatus respondit (1), adversarius ejus Possidonius processit, qui ait, *Agnosco illum:* ac postea vocatus (2) dixit, *Mandavi et subscripsi.* ceterum in istius nomine semel erravit scriba: nam secundo loco *Possidius* dicitur.

MAXIMVS. hunc Notitia quinquagesimum quartum recenset inter Numidicos Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici in exsilium pulsi sunt. peregre autem defunctum Maximum nota mortis adjecta ostendit.

(1) *Cognit. I. n.* 128. (2) *ibid. n.* 197.

DX.

SIMIDICENSIS

Nihil de *Simidica* apud profanos scriptores invenio: at pertinuisse ad provinciam Proconsularem, ex Collatione Carthaginiensi et Codice canonum Ecclesiae Africanae novimus.

ADEODATVS. hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, et subscriptione ejus recitata, de Ecclesia sua testimonium dixit (1), *Catholica est*, quod Habetdeus Diaconus Primiani Donatistae confirmavit, adjiciens, *Non habemus.*

(1) *Cognit. I. n.* 135.

DXI.

SIMINENSIS

In provincia Proconsulari fuisse *Siminam*, Notitia nos edocet: nec praeterea de hoc oppido quidquam novimus.

DEVTERIVS. est hic ordine tricesimus septimus inter Episcopos, qui e provincia Proconsulari anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici cum reliquis collegis relegati sunt. ac Deuterius quidem e numero eorum fuit, quos in insulam Corsicam deportatos Notitia indicat.

IVNIANVS. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi (1), quod Bonifacius coëgit anno DXXV.

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1081.

DXII.

SIMINGITANVS

Oppidum *Simingi* provinciae Proconsulari adscribitur ab Harduino: nec immerito; nam et in Collatione Carthaginiensi et in Concilio Bonifacii non leve indicium habemus, ad eam pertinuisse. verum apud Geographos nulla oppidi mentio fit.

RESTITVTVS. occurrit hic inter Catholicos Episcopos, qui anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi adfuere. subscriptione autem ejus prolata, de Ecclesia dixit (1), *Catholica est omnis:* idquo non inficiatus est Habetdeus Diaconus Primiani Donatistae, qui ait, *Non habemus.*

CRESCONIVS. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi Bonifacii anno DXXV. inter Patres, qui e provincia Proconsulari frequentes adfuerunt (2).

(1) *Cognit. I. n.* 133.

(2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

DXIII.

SIMITTENSIS

Prope Bullam Regiam Numidiae oppidum erat *Colonia Simittu*, quae tamen in provincia Proconsulari recensenda videtur. ad fines Zeugitanae propius accedere, scripsit Cellarius: at in epistola Concilii Proconsularis, quae in veteri Concilio Lateranensi prolata est, Episcopus *Semitensis* diserte legitur, quem *Simittensem* fuisse, veri omnino simile dixerim. quamquam immutatos etiam, prolatosque interdum aut contractos provinciarum fines credere licet.

BENENATVS I. adfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua, postquam citatus se *praesto esse* dixit, de Ecclesia sua adjecit (1), *Nec habeo alium, nec haereticos.* ad quae Petilianus Donatista ait, *Exivit de corpore.* an idem sit Benenatus, qui anno superiore in Concilio Carthaginiensi (2) cum tribus aliis legationem susceperat contra Donatistas, incertum puto.

ADEODATVS. functus hic provinciae suae legatione est in Concilio Carthaginiensi anni CCCCXVIII. cui et subscripsit (3). alium hunc esse a Simidicensi Adeodato subscriptio ipsa ostendit: nam post Penthadium Carpitanum cietur quasi junior. quo autem tempore Collatio celebrata est, Carpitanus Episcopus nondum erat Penthadius: Antonius enim Collationi interfuit (4).

BENENATVS II. subscripsit hic epistolae, quam Patres Concilii Proconsularis anno DCXXXXVI. misere ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (5).

(1) *Cognit. I. n.* 126.
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 926.
(3) *ibid. p.* 935.
(4) Noris. *in Cens. Garner. p.* 1126. *T. III. Op.*
(5) Hard. *ibid. T. III. p.* 749.

DXIIII.

SINNARIENSIS

Nomen oppidi non uno modo extulisse Afri videntur: nam et *Sinna* et *Sinnar* et *Sinuar* occurrit. ad provinciam Proconsularem pertinuisse, extra controversiam est: quamquam de eo apud profanos scriptores mentionem factam non invenio.

STEPHANVS. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et postquam subscriptio ejus recitata est, adjecit (1), *Vnitas est illic, Ecclesia est illic.* habebat tamen in paroecia sua vicanum Episcopum Donatistam: quapropter Habetdeus Diaconus Donatistae Primiani reposuit, *Diocesis ea est Cypriani a Siccenni, Cyprianus dicitur Episcopus, qui illic intendit ad Sinuar:* id est, qui Donatistas Sinuae degentes ipse regit: quos tamen Stephanus apud se esse negabat.

PAVLLVS. tertius est hic inter Episcopos provinciae Proconsularis, qui anno CCCCLXXXIIII. postquam jussu Regis Hunerici Carthaginem convenerant, simul cum reliquis, quos undique Rex acciverat, in exsilium pulsi sunt. eum Victor *merito et nomine Paullum* vocat (2): datum autem Paullo videtur, ut ubi vellet, exsularet: nota enim apposita nomini est *Exsilium* tantum.

VICTOR. subscripsit hic Concilio Constantinopolitano II. quod sub Vigilio Pont. max. celebratum est anno DLIII. subscriptio ejus fuit (3), *Victor misericordia Dei Episcopus Catholicae Ecclesiae municipii Sinna provinciae Proconsularis, similiter.*

(1) *Cognit. I. n.* 133.
(2) *lib. I. c.* 9.
(3) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 205.

DXV.

SINNIPSENSIS

Unde norit Harduinus, *Sinnipsam* in Mauretania Caesariensi fuisse, plane ignoro. nullum certe oppidi hujus vestigium apud veteres Geographos reperio. nam *Symitha* Ptolemaei post Bidam coloniam meridiem versus, nimium et litteris et sono differt.

VILLATICVS. Carthaginem hic se contulit anno CCCCXI. Collationis caussa, interque Catholicos praesens, subscriptione ejus recitata, de Ecclesia sua testimonium dixit (1), *Vnitas est.* nec fuit e Donatistis ullus, qui reclamaret.

(1) *Cognit. I. n.* 133.

DXVI.

SISTRONIANENSIS

Oppidum Numidiae *Sistroniam* fuisse, Notitia indicat: nomen cetera ignotum, de quo nulla apud veteres mentio fit.

ADEODATVS. est hic ordine sexagesimus quartus in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad

conventum evocatos simul cum reliquis exsilio affecit. peregre mortuum Adeodatum nota apposita ostendit.

DXVII. SITENSIS

Mauretaniae Caesariensi adscribit *Siten* Notitia: alium, qui meminerit, reperio neminem.

SATVRNVS. erat hic de grege Donatistarum, quibuscum anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit sine adversario Catholico, ac citatus respondit (1), *Mandavi et subscripsi.*

REPARATVS. hunc Notitia centesimum duodecimum numerat inter Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici in exsilium pulsi sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 198.

DXVIII. SITIFENSIS

Fuit *Sitifis* in provincia cognomine, inter Gemellas, Perdices, Satafim et Municipium ad Sava, ut Antonini Itinerarium designat. *Coloniam* appellat Ptolemaeus et *Sitipham* vocat: at Ammianus iterum tertioque *Sitifim.* caput Procopio est regionis Zabis ultra Aurasium montem.

SEVERVS. memorat hunc obiter Augustinus in epistola ad Victorianum Presbyterum, quae nunc est CXI. et scripta fuit anno CCCCVIII. nam de captivis agens, quos barbari abduxerant, *De Sitifensi*, inquit, *ante paucos annos Severi Episcopi neptis sanctimonialis a barbaris ducta est, et per mirabilem Dei misericordiam cum honore magno suis parentibus restituta est.*

NOVATVS. adfuit hic primum anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et subscriptione ejus recitata dixit (1), *E diverso habeo Marcianum:* qui sane accessit, et ait, *Agnosco persecutorem meum.* sic enim Donatistae studium Catholicae veritatis notare solebant. atque hic idem Marcianus postea vocatus, *Mandavi*, inquit (2), *et subscripsi.* anno autem CCCCXVIII. provinciae suae legatione functum Novatum in Concilio Carthaginiensi constat (3), cui etiam subscripsit. vixisse ultra annum CCCCXXVII. ostendit Augustinus in epistola ad Darium (4), in qua Novati mentionem facit, ejusque litteras se accepisse significat. nam quod Ruinartius suspicabatur, geminos fuisse Sitifenses Novatos, et inter utrumque numerandum *Optatum* esse, quem idem Augustinus commemorat in epistola ad Bonifacium (5), si verba ipsa examinentur, apparet, Optatum vicini quidem oppidi, sed non Sitifensis Episcopum fuisse. injecta enim mentione de Gestis Collationis Carthaginiensis, ait, *Breviarium eorum tibi legi forsitan poterit,*

(1) *Cognit. I. n.* 143.
(2) *ibid. n.* 188.
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1249.
(4) *epist.* 229.
(5) *epist.* 185. *n.* 6.

quod credo habere fratrem et Coepiscopum meum Optatum: aut si non habet, potest facillime accipere de Ecclesia Sitifensi.

DONATVS. hic secundus cietur in albo Episcoporum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. e provincia Sitifensi ad conventum Carthaginiensem profectos, simul cum reliquis relegavit.

OPTATVS. aequalis hic fuit Bonifacii Carthaginiensis, et ad Concilium ab eo indictum anno DXXV. se contulerat Carthaginem, mansurus ibidem usque ad dimissionem, si per Regem Hildericum licuisset, qui eum alio legavit. rem Bonifacius sic attingit in epistola ad Episcopos provinciae Proconsularis (6): *Fratrem vero Coepiscopumque nostrum Optatum Sitifensem hic nobiscum fuisse, nullus est qui ignoret: quem etsi reddidit praeceptio regalis absentem; confidimus tamen, quia definitionibus nostris, quum cognoverit, praebebit assensum.*

(6) apud Hard. *ibid. T. II p.* 1075.

DXVIIII. SOCIENSIS

Oppidum Mauretaniae Sitifensis fuisse, quod *Socios* appellabant, Notitia indicat: ac nomen fortasse inditum antiquitus, quod oppidani illi ante alios in Africa societatem amicitiamque cum populo Romano conjunxissent. ceterum nihil de his apud veteres testatum invenio.

SATVRNIVS. est hic ordine decimus quintus in albo Episcoporum, qui e Mauretania Sitifensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici in exsilium pulsi cum reliquis fuere. peregre vero defunctum Saturnium nota mortis adscripta ostendit.

DXX. STABATENSIS

Ignotum oppidum, nisi illud sit, quod in Antonini Itinerario *Sabi* dicitur, in itinere a Perdicibus Caesaream, id est in Mauretania majore. favet codicum lectio varia: nam in quibusdam *Sabbatensis*, et *Sabatensis* legitur.

MAXIMIANVS. interfuit hic anno CCCLXXXXIII. Cabarsussitanae synodo, in qua Maximianistae Primianum Carthaginiensem damnarunt, subscripsitque epistolae (1), quae tum ad omnes Africae Episcopos missa est.

(1) apud Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20.

DXXI. SVAVENSIS

Numidiae adtribuitur *Suava* in Notitia, obscurum cetera oppidum et a Geographis praetermissum. nomen fortasse a *Sua*, quod in rupe situm esset: est enim Chaldaeis *Sua* rupes (1).

LITORIVS. praesens hic inter Catholicos Episcopos anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, ut subscriptio ejus recitata est, de Ecclesia sua

(1) Boch. *Geogr. sacr. lib. III. Phal. c.* 19.

dixit (2), *Vnitas est illic, omnis Catholica est.* neque id inficiatus Habetdeus Diaconus Donatista, diserte ait, *Non habemus.*

FELIX. est hic ordine nonagesimus sextus in albo Episcoporum Numidicorum, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum a Rege Hunerico indictum se contulere, atque in exsilium cum ceteris ejecti sunt.

(2) *Cognit. I. n.* 133.

DXXII. **SVBBARITANVS**

In Tingitania memoratur a Plinio *Subur* fluvius *praeter Banasam coloniam defluens, magnificus et navigabilis*, cui Emporicum sinum tribuit Ptolemaeus. hanc *Subbaram* fuisse veri plane simile est. Notitia enim in Mauretania Caesariensi recenset, in qua, ut saepe monuimus, Ecclesiae quoque Tingitaniae numerabantur.

DONATVS. hunc Notitia vicesimum tertium exhibet inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis collegis relegavit.

DXXIII. **SVBLECTINVS**

Oppidum provinciae Byzacenae inter Leptim et Adrumetum *Sublectum* fuit, sive *Syllectum*, ut Procopius vocat (1), ad mare situm, quo primum Belisarii classis appulit bello Vandalico, quum Africa a Iustiniano Aug. recepta est.

MARTIANVS. fuit hic e duodecim Ordinatoribus Maximiani Carthaginiensis, quos synodus Bagaitana anno CCCLXXXXIIII. damnavit, famosi criminis reos appellans, cui tamen non impar ipsi Primianistae aliud admiserant (2).

PROFICIVS. numerat hunc Notitia nonagesimum tertium in albo Episcoporum, qui e provincia Byzacena anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, jussu Regis Hunerici cum reliquis in exsilium pulsi sunt.

Anonymos anno DXXXIII. memorat hunc Procopius, ubi narrat (3) missum a Belisario Moraidem cum scutatis aliquot, qui oppidanos tentaret: addit enim, quum in oppidum ingressus esset, Episcopo et optimatibus sine tumultu convocatis, Belisarii mandata exposuisse, ab iisque nemine invito impetrasse, ut ad eum portarum suarum claves ipsi mitterent.

(1) Proc. *lib. I. de Bell. Vand. c.* 16.
(2) apud Aug. *contra Cresc. lib. III. c.* 4.
(3) Proc. *c. eodem.*

DXXIIII. **SVCARDENSIS**

Ignota aut neglecta Geographis *Sucarda*, quam tamen Notitia Mauretaniae Caesariensi adscribit.

POMPEIANVS. Carthaginem hic se contulit anno CCCCXI. ut Collationi cum Catholicis Episcopis adesset: morbo tamen tentatus, domi mansit. itaque, quum subscriptio ejus recitata est, eum excusavit Alypius Thagastensis, qui ait (1), *Hic est, sed aegrotat.* aderat autem Carthagine adversarius ejus Donatus, sed ne ipse quidem, valetudinis caussa, Collationi interfuit: ac ubi citatus est, respondit pro eo Marinianus Donatista (2), *Hic est in civitate, sed aegrotat.*

SVBDATIVS. est hic decimus tertius inter Episcopos, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem petiere, ut conventui adessent, quem Rex Hunericus indixerat, et hujus jussu in exsilium cum ceteris collegis ejecti sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 135.

(2) *ibid. n.* 210.

DXXV. SVCCVBENSIS

Qualecumque id oppidum fuerit, in provincia Proconsulari censum esse, Acta veteris Concilii Lateranensis ostendunt. *Succubam* autem appellatum crediderim, quod in valle conditum esset, et infra eminulam urbem aut jugum subsideret.

LVCIANVS. occurrit hic inter Patres Concilii Proconsularis, qui anno DCXXXXVI. gravissimam epistolam contra Monotheletarum novitates scripsere ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum: cui epistolae subscripsit (1) ordine quinquagesimus primus.

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 751.

DXXVI. SVENSIS

Oppidum in rupe situm appellatio indicat, ut de *Suava* agentes adnotavimus. erat hoc in provincia Proconsulari, quemadmodum ex Actis veteris Concilii Lateranensis discimus. de eo tamen a Geographis nihil accepimus.

MAXIMVS. subscripsit hic quadragesimus sextus (1) epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa fuit ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas.

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 750.

DXXVII. SVFASARITANVS

Erat *Sufasar* in Mauretania Caesariensi inter Manlianam et Veliscos, ut Itinerarium Antonini ostendit. contractum subinde oppidi nomen, et *Sufar* appellatum videtur: Episcopus enim ejus in Notitia *Sufaritanus* audit, isque geminus cietur: qua de re infra dicemus.

REPARATVS. adfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et subscriptione ejus recitata, testimonium de Ec-

clesia sua sic dixit (1): *Non habet: fuit ibi.* id autem sic explicavit Habetdeus Diaconus Donatista, *Modo recessit:* illud, opinor, significans, Episcopum Donatistam inde abiisse, quod adseclae ejus ad Ecclesiam Catholicam rediissent. late autem patebat Reparati paroecia: nam postea, quum Donatista Episcopus Numidensis gloriaretur, *se traditores non habere*, Reparatos ait (2), *Diocesis mea est, illic Presbyterum habeo, illic tecum vigilavit.*

VICTOR. hic tertius est in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem a Rege Hunerico cum reliquis collegis relegati sunt.

ROMANVS. hic in eodem albo cietur, ordine octogesimus septimus, et *Sufaritanus* item, ut Victor, appellatur. ergo vel mendum in oppidi nomine est, vel geminum *Sufar* sive *Sufasar* in Mauretania eadem fuit, vel certe alteruter ex hisce Episcopis Donatista fuerat, et errore repudiato, Catholicam veritatem amplexus erat. nam haec de Episcopis Donatistarum resipiscentibus sancita fuerant (3): *Ita sane, ut si Episcopus ex Donatistis ad Catholicam unitatem conversus est, aequaliter inter se dividant eas, quae sic fuerint inventae, ubi ambae partes fuerunt: id est ut alia loca ad illum, alia ad illum pertineant, ita, ut ille dividat, qui amplius temporis in Episcopatu habet, et minor eligat.* quare Augostinus de correctione Donatistarum scribebat ad Bonifacium (4): *Veniant ad Ecclesiam Christi veram, hoc est matrem Catholicam: sint in illa Clerici, sint Episcopi utiliter, qui contra illam fuerunt hostiliter.*

(1) *Cognit. I. n.* 185.
(2) *ibid. n.* 208.
(3) *can.* 118. *Cod. Eccl. Afr.*
(4) *Epist.* 185. *n.* 46.

DXXVIII.

SVFETANVS

Nomen oppidi *Sufes*, quod tamen quasi *ακλιτον Sufibus* etiam efferebant quarto caso. oppidum in Itinerario Antonini cietur inter Tuccam Terebinthinam et Sufetulam, id est in provincia Byzacena, sed procul a mari. coloniam Augustinus appellat in titulo epistolae, quam scripsit *Auctoribus ac principibus vel senioribus Coloniae Suffectanae* (1), graviter questus de nece sexaginta Christianorum: quos Ecclesia Romana in Martyrologio celebrat III. kal. Sept. *Apud vos*, inquit, *LX. numero fratrum innocens effusus est sanguis, et si quis plures occidit, functus est laudibus, et in vestram curiam tenuit principatum.* unde liquet, maximam Decurionum Sufetanorum partem Augustini aevo superstitioni veteri etiamtum deditos fuisse. exarserant enim ad caedem, quod Christiani signum Herculis confregissent. Concilium ibidem anno DXXIIII. habitum esse novimus (2), in quo Fulgentii Ruspensis modestia enituit, Patres enixe orantis, ut sibi Quodvoltdeus Episcopus ordine praeire juberetur, quem in synodo Iuncensi paullo ante Fulgentio cedere oportere judicaverant.

(1) *epist.* 50.
(2) *in Fulgent. vita. c.* 29.

PRIVATVS. Cypriani Concilio hic Carthagine interfuit anno CCLV. quum de Haereticorum Baptismo actum est, sententiamque in eo suam vicesimus dixit.

MAXIMINVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi inter Catholicos, at serius paullo, quam ceteri: neque enim Mandato subscripserat. idcirco a Marcellino Tribuno et Notario interrogatus, *Consentis tu quoque Mandato*, respondit (3), *Consentio et mando.* adversarium autem, qui praeverterat, ibidem habebat Peregrinum nomine, strenuum Donatistam. hic, quum Episcopus Miditensis Ecclesiam suam Catholicam esse dixisset (4), haec opposuit: *Presbyterum illic habeo Victorem: Diocesis mea est.* citatus deinde respondit, *Mandavi et subscripsi* (5). vixit porro Maximinus ad annum CCCCXVIIII. quo ad Concilium Carthaginiense a provincia sua Legatus proficisci jussus est: eodemque fortasse mortuus Carthagine est. nam in praefatione quidem septimi Concilii nomen ejus legitur, at inter subscriptiones non apparet.

EVSTRATIVS. memorat hunc Victor Vitensis (6) inter Episcopos, qui sub Genserico relegati fuere, calumniantibus accusatoribus, facta Principis in concionibus ab iis esse perstricta. sed ab exsilio subinde rediisse manifestum est: nam idem ordine vicesimus primus est in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem exsilio affecit. fit de eo mentio in Martyrologiis Latinorum (7), sed *Eustachius* passim appellatur, quemadmodum et Eustratium vel Eustathium potius Martyrem Latini item *Eustachium* dicere solebant.

3) *Cognit. I. n.* 215.
4) *ibid. n.* 143.
5) *ibid. n.* 187.
(6) *Pers. Vand. lib. I. c.* 7.
(7) *ad diem* 28. *Nov.*

DXXVIIII. SVFETVLENSIS

Haud in obscuris aut exiguis oppidis provinciae Byzacenae *Sufetulam* fuisse, indicat Itinerarium Antonini, in quo duo ad eam Carthagine itinera diriguntur, et aliud indidem Clypeam, ut Cellarius animadvertit. in veteri inscriptione, magna tamen ex parte deleta, quam Maffejus in ipsa Africa descriptam edidit (1), legimus *Suffetulanorum ...... aedificaverunt.* quare nomen *Suffetula* antiquitus fuisse videtur duplici F, ac mendum multo magis habendum *Suficula*, ut in Cypriani Concilio legitur. celebratam Suffetulae synodum ostendit Ferrandus, qui canonem ibidem sancitum vulgavit (2): sed de anno, quo convocata fuerit, nihil accepimus. Martyres vero, quos Martyrologium Romanum adscribit coloniae Suffetulanae, ad Sufetanam omnino pertinent, quemadmodum loco adnotavimus.

PRIVATIANVS. sententiam hic dixit decimus nonus in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus anno CCLV. tertium de Baptismo coëgit.

(1) *Mus. Ver. p.* 465. *n.* 5.
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1252.

IOCVNDVS. cietur hic primum inter Catholicos Episcopos, qui anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi adfuere: in eaque, ut se *praesto esse* citatus respondit (3), prodiit ex adverso Titianus Donatista, qui ait, *Agnosco illum*, ac deinde inter gregales suos vocatus dixit (4), *Mandavi et subscripsi.* rursum Iocundus Carthaginem se contulit anno CCCCXVIIII. primus Legatorum provinciae Byzacenae ad Concilium, quod eo anno ab Aurelio celebratum est, cui et subscripsit primus post Legatos Numidiae et Mauretaniae Sitifensis (5).

PRAESIDIVS. de hoc et Donatiano Victor Vitensis, ubi Regis Hunerici astum perstringit, qui Episcopum quemque doctrina ingenioque clarum alio amandabat, ne Ariani, quos ipse fovebat, in contentione succumberent: *Iam*, inquit (6), *ad exsilium Vibianense secundo Donatianum impositis centum quinquaginta fustibus miserat Episcopum, nec non et Sufetulensem Praesidium virum satis acutum.* utrumque autem cum aliis Latina Martyrologia commemorant postridie nonas Septembres. in Notitia rursum Praesidius occurrit, et vicesimus est in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem relegavit. at idem exsilium, quod Victor refert, in Notitia indicari puto: eodem enim anno et Praesidius et reliqui collegae ejecti esse videntur.

(3) *Cognit. I. n.* 126.
(4) *ibid. n.* 208.
(5) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1250.
(6) *Pers. Vand. lib. II. c.* 16.

DXXX.

SVLIANENSIS

Nomen oppido, ut opinor, *Sulli* fuit, unde oppidani *Sulianenses et Sullitani* appellati: ignotum cetera, et a Geographis praetermissum; nisi quod Notitia provinciae Byzacenae adscribit.

HILARVS. occurrit hic inter Donatistas, qui anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuere: itaque citatus, ait (1), *Mandavi et subscripsi*, nec de Episcopo Catholico quidquam addidit.

Quo tempore Rex Hunericus conventum Carthaginiensem indixit, Ecclesia Sulianensis Episcopum amiserat. itaque in albo Episcoporum provinciae Byzacenae inter eas numeratur, quarum Cathedrae Episcopos non habebant: quae numero sex fuere. variat autem lectio, nam e duobus codicibus alter habet *Sulianis*, alter *Sulianae*.

(1) *Cognit. I. n.* 201.

DXXXI.

SVLVLITANVS

Mauretaniae Caesariensi tribuitur *Sululi* ab Harduino, ea, opinor, de caussa, quod in Collatione Carthaginiensi post Episcopum Sululitanum quinque alii cientur ex eadem provincia singuli: ante eundem pariter, qui indidem erant, septem numerantur.

RESTITVTIANVS. adfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et subscriptione ejus recitata, testimonium de Ecclesia sua dixit hujusmodi (1): *Omnis Catholica est, omnes Catholicos habemus.* ad quae Valentinianus Primiani Donatistae Diaconus dixit, *Non habemus.*

(1) *Cognit. I. n.* 135.

DXXXII.

SVMMENSIS

Fuit *Summa*, quae et *Zumma*, oppidum Numidiae, de quo tamen Geographi silent. notum id ex epistolis Augustini, in quibus Episcopi Summensis Primatis Numidiae saepe fit mentio.

SILVANVS. cietur hic saepe in titulis Epistolarum, quae ab anno CCCCXI. sub Collationem Carthaginiensem a Catholicis Episcopis scriptae sunt, nomenque ejus primum effertur post Aurelium Carthaginiensem: post quem etiam subscribit his verbis (1): *Silvanus senex Ecclesiae Summensis*, vel sic (2), *Silvanus primae sedis provinciae Numidiae subscripsi.* interfuit idem Collationi, in qua citatus se *praesto esse* (3) respondit. habebat autem adversarium Donatistam nomine Felicem: sed quum de hoc quaereretur, Adeodatus Milevitanus Actor Donatistarum dixit (4), *Felix Episcopus Zummensis nostrae communionis, qui contra Silvanum agit, male habet.* rursus quum Donatistae Episcopi recenserentur, citatus est (5) *Felix Episcopus Zummensis*, inventusque est qui accederet ac diceret, *Mandavi et subscripsi.* quare Fortunatianus Catholicus Episcopus Ecclesiae Siccensis ait (6), *Felix Zummensis quomodo absens subscribere potuit, doceatur.* inde magna orta est altercatio, et Donatistarum fraus detecta, quam ipsi *errorem* fuisse, non *falsitatem* contendebant.

(1) apud Aug. *epist.* 128. *n.* 4.
(2) *ibid. epist.* 129. *n.* 7.
(3) *Cognit. I. n.* 99.
(4) *ibid. n.* 114.
(5) *ibid. n.* 198.
(6) *ibid. n.* 200.

DXXXIII.

SVMMVLENSIS

Oppidum Mauretaniae Caesariensis fuisse *Summulam*, Notitia indicat. non esse autem *locum Subbulensem* ab Optato (1) memoratum, ut Holstenius putabat (2), satis manifestum est: eum enim in Numidia, non longe a *loco Octavensi*, designare Optatus mihi videtur.

QVODVVLTDEVS. hunc Notitia centesimum quartum recenset in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici in exsilium cum ceteris collegis pulsi sunt. peregre defunctum Quodvultdeum nota mortis adscripta declarat.

(1) *de schism. Donat. lib.* III. *c.* 4.
(2) *in adnot. de Patr. Rom. p.* 92.

DXXXIIII. **SVRISTENSIS**

Ignota omuino *Suriste*, nisi quod Notitia Mauretaniae Sitifensi adscribit: quamobrem *Suriga* credi non potest, quam Ptolemaeus cum Tamusiga post Herculis promontorium collocat.

AVFIDIVS. est hic ordino tricesimus octavus inter Episcopos provinciae Sitifensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum roliquis relegavit.

DXXXV. **SVSICAZIENSIS**

Nomen oppidi a liliis ductnm videtur; *Susa* enim haec a Poenis dicebantur (1). in Numidia fuisse, Notitia uos addocet: sed do eo apud Geographos iudicium est nullum.

EVSEBIVS. hic ordino tricesimus est intor Episcopos Numidicos, qui anuo CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, exindo a Rege Hunerico in exsilium pulsi sunt.

(1) Boch. *in Chan. lib. II. c.* 14.

DXXXVI. **TABADCARENSIS**

Mauretaniae Caesariensis oppidum fuisse *Tabadcaram*, ex Notitia discimus: sed varia appellationis lectio est. nam et *Tababcara* et *Tabaicara*, si quid codices valent, dicebatur. a Geographis autem nihil de ea traditum accepimus.

VICTOR. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi inter Catholicos, et subscriptione ejus recitata dixit (1), *E diverso est Marcianus:* qui progressus ait, *Agnosco illum:* ac subindo vocatus respondit (2), *Mandavi et subscripsi.*

CRISPINVS. hunc Notitia centesimum tertium numerat intor Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis collegis exsilio affecit.

(1) *Cognit. I. n.* 135. (2) *ibid. n.* 197.

DXXXVII. **TABALTANENSIS**

Provinciao Byzacenae oppidum fuit *Tabalta*, cui proxima fuere Septimunicia, Macomadia, Cellae Picentinae et Mandassuma, ut ex Antonini Itinerario discimus. nec mirum, oppidanos appellari *Tabaltanenses:* nam et a *Roma* quandoque *Romanenses* dixero, a *Sufibus Sufetanos*, et similia, uti jam adnotavimus. idem autem oppidum et *Tasbalte* sive *Tasvalte* ac *Thebalte* vulgo nominabatur: quod ex veterum scriptis perspicuum est.

ADELPHIVS. sententiam hic dixit tricesimus tertius in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo celebravit anno CCLV.

INNOCENTIVS. fuit hic e Maximianistis, qui anno CCCLXXXXIII. in Concilio Cabarsussitano Primianum damnarunt, subscripsitque epistolae, quae tum missa a Patribus illis est ad omnes Africae Episcopos (1).

NINVS. interfuit hic Concilio Carthaginiensi anni CCCLXXXXVII. cui et subscripsit ordine quintus (2).

IVLIANVS. occurrit hic inter Catholicos Episcopos, qui anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi adfuere. in ea, ut citatus se *praesto esse* respondit (3), de Ecclesia sua adjecit, *Vnitas est, Catholica est omnis illic.* ad quae Adeodatus Donatista reposuit: *Annus est, ex quo mortuus est*, Episcopus scilicet Donatista, cujus nomen ignoramus.

MARCELLINVS. hunc Notitia sexagesimum tertium recenset inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum ceteris collegis relegavit.

(1) apud Aug. *in ps. xxxvI. serm. II. n. 20.* (3) *Cognit. I. n.* 128.
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 974.

DXXXVIII.

TABLENSIS

Vicus oppidumve Mauretaniae Caesariensis fuit *Tabla*, quae et *Tala* appellata videtur. id ex Notitia discimus: itaque nihil huc pertinet *Limes Tablatensis*, quem indicabat Holstenius: nam ille in finibus provinciae Byzacenae aut Proconsularis erat, nec qui in Tripolitana censebatur, et *Talalatensis* audiebat, uti videre licet apud Pancirolium (1). ceterum de *Tabla* nihil Geographi tradidere.

VRBANVS. erat hic Donatista, et cum gregalibus suis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, in qua *Talensis* dicitur. ut citatus est, respondit (2), *Mandavi et subscripsi*, nec de Episcopo Catholico mentionem ullam fecit.

QVODVVLTDEVS. est hic ordine sexagesimus in albo Episcoporum, quos e Mauretania Caesariensi ad conventum Carthaginiensem anno CCCCLXXXIIII. profectos Rex Hunericus relegavit. in ipso autem exsilio defunctum Quodvultdeum nota mortis adjecta ostendit.

(1) *Not. Imp. Occid. p.* 166. (2) *Cognit. I. n.* 198.

DXXXVIIII.

TABORENSIS

Erat *Tabora*, quae et *Talbora*, in provincia Proconsulari, ut ex Collatione Carthaginiensi et Actis veteris Concilii Lateranensis manifestum est. sed apud veteres scriptores nihil praeterea consignatum reperias.

MARINVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi inter Catholicos Episcopos, in qua citatus (1) se *praesto esse* respondit, ad-

(1) *Cognit. I. n.* 115.

versariumque habuit Victorem, qui progressus ait, *Agnosco illam.* atque hic idem Victor adversarium quoque Visicensis Episcopi se prodidit: nam quum ille dixisset (2), *Episcopum contra me non habeo*, hic noster ait, *Proxime recessit, Ego ibi intervenio.* eundem Donatistae Actorem suum in Collatione designarant: qui tamen cessit Primiano: itaque citatus (3) haec reposuit: *Susceperam quidem Mandatum; sed quia beatissimus Pater et Princeps noster Primianus nunc suscepit, me necesse est mandare his Actis.* cui Marcellinus Tribunus, *Voluntatem tuam gesta retinebunt.*

CONSTANTINVS. subscripsit hic septimus epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (4). appellatur autem *Episcopus sanctae Ecclesiae Talborensis*, quod vel mendum est, qualia sunt complura in subscriptionibus Concilii illius, vel jam quae *Tabora* fuerat, *Talbora* in ore hominum esse coeperat.

(2) *ibid. n.* 126.
(3) *ibid. n.* 201.
(4) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 749.

DXXXX. TABORENTENSIS

In Mauretania Caesariensi fuisse *Taborentum*, Notitia indicat. de eo tamen silent Geographi.

VICTOR. est hic decimus octavus in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici in exsilium cum reliquis pulsi sunt.

DXXXXI. TABRACENSIS

Oppidum civium Romanorum *Tabracam* dicit Plinius, coloniam Ptolemaeus, quae inter se non pugnant: multa enim in Municipia coloni deducti, praesertim milites confectis stipendiis, quos Augusti honesta missione misissent. ea ad mare sita erat inter Armuam et Tuscam Numidiae fluvios, nec ultima ejus provinciae urbs habebatur: quam sane Mela Pomponius cum Rusicade et Hippone Regio memorat (1). Monasteria apud eam duo Victor Vitensis fuisse tradit (2), virorum unum, alterum feminarum, quo tempore Gensericus Catholicos dire vexabat: praesidemque Monachorum *nobilem Pastorem Andream* nominat, qui sanctissimos Confessores hospitio accepit.

VICTORICVS. sententiam hic dixit vicesimus quintus in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus anno CCLV. tertium de Baptismo celebravit.

DONATIANVS. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi an. CCCCXXXXVIII. in quo Episcopus *primae sedis* appellatur. sed in antiquis Concilii illius exemplaribus *Talabricensis* dicitur: quae appellatio plane ignota est; ut

(1) *lib. I. c.* 7. v. Bochar. *Geogr. sacr. lib. I. c.* 24. *p.* 475.
(2) *Pers. Vand. lib. I. c.* 10.

Tabracensis germana fuisse videatur. nam quod aliis placuit, ut *Teleptensis* efferretur, planum est, Donatianum Teleptensem viginti post annis Primatem fuisse provinciae Byzacenae; nec credibile est, hunc eundem tamdiu provinciae suae primatu functum esse, qui uni seniori Episcopo deferebatur.

RVSTICIANVS. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus (3) se *praesto esse* respondit. aderat autem adversarius ejus Clarentius Donatista, qui ait, *Agnosco illum*, ac subinde vocatus dixit, *Mandavi et subscripsi* (4). vixisse ultra annum CCCCXVI. declarat epistola Concilii Proconsularis ad Innocentium P. M. cui tertius subscripsit. solus enim hoc nomine inter Episcopos Africanos cietur Tabracensis.

(3) *Cognit. I. n.* 126. (4) *ibid. n.* 187.

DXXXXII. TABVCENSIS

Erat *Tabuca* in provincia Proconsulari: sed nulla oppidi fama est; nec fortasse antiquae appellationis nomen id fuit: neque enim vel in Collatione Carthaginiensi vel in Notitia occurrit.

PAVLLVS. subscripsit hic epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 749.

DXXXXIII. TABVDENSIS

Numidiae adscribit *Tabudam* Notitia: nomen in Peutingeri tabula effertur *Thabudeos*. ceterum Geographi veteres indictam reliquerunt: non item veteres lapides. nam Tuneti exstat vetus Inscriptio, in qua memoratur ORDO. DECVRIONVM. TABVDENSIVM. eam descripsit Caronnius, idemque in historia sua (p. CXXXII.) vulgavit.

VICTORINVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi inter Catholicos, et subscriptione ejus recitata, adjecit (1), *E diverso est Argutus*. hic autem ait, *Agnosco illum*: ac subinde inter Donatistas citatus (2) dixit, *Mandavi et subscripsi*. quo die vero Episcopi Catholici Mandato subscripserant, quum Gorgonius Liberaliensis aegrotaret, pro eo Victorinus noster rogatus subscripserat (3).

FLVMINIVS. hunc Notitia quadragesimum secundum recenset in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquo collegarum coetu relegavit.

(1) *Cognit. I. n.* 133.
(2) *ibid. n.* 201.
(3) *ibid. n.* 133.

DXXXXIIII. **TABVNIENSIS**

Ad Mauretaniam Caesariensem pertinuisse *Tabunam* Notitia nos edocet: nec alia fortasse fuit, quam quae *Thibinis* a Ptolemaeo appellatur, et in eodem tractu inter Sisarim et Nasabath amnes recensetur.

QVINTVS. est hic ordine centesimus nonus inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum, quem Rex Hunericus indixerat, Carthaginem se contulere, ejusdemque jussu in exsilium cum ceteris ejecti sunt. peregre defunctum Quintum adjecta mortis nota designat.

DXXXXV. **TACAPITANVS**

Proxima provinciae Byzacenae, sed tamen in Tripolitana fuit *Tacape*, quae et *Tacapae* et *Tacapa* dicitur, colonia in Itinerario Antonini appellata. mentio hujus fit in Codice Theodosiano, et ibi accepta indicatur a Dracontio Vicario Africae lex Valentiniani et Valentis *de Judicis et Officii ejus appellationem respuentis poena* (1). Metropolim provinciae Tripolitanae fuisse, censet Gotofredus: *A qua ideo*, inquit (2), *et in quam ideo quoque Itinera ducuntur in Itinerariis.*

DVLCITIVS. hujus meminit Aurelius in Concilio Carthaginiensi anni CCCCIII. his verbis (3): *De Tripolitanis vero fratribus nostris hoc potui condiscere, quod Dulcitium fratrem nostrum destinaverint Legatum.* idem autem anno CCCCXI. Collationi quoque Carthaginiensi (4) interfuit: in qua, postquam subscriptio ejus recitata est, ait: *Habeo alium contra me.* quis autem hic esset, Valentinianus Primiani Donatistae Diaconus docuit, *Felix*, inquiens, *dicitur: hic est, sed male habet.*

SERVILIVS. quintus hic est Episcoporum, qui e provincia Tripolitana Carthaginem usque anno CCCCLXXXIIII. venerunt, ut conventui adessent, quem Rex Hunericus indixerat: quorum exitus, idem qui aliorum, exsilium fuit.

GAIVS. hunc Episcopi provinciae ejus Legatum ad Concilium misere (5), quod Bonifacius Carthaginem convocavit anno DXXV. quum autem in subscriptione *Gajus* appelletur, mirum plane in Actis ejusdem Concilii *Gallum* dici (6): nec ambigendum, in alterutro loco scribam peccasse.

(1) *lib. XI. Tit.* 30. *lib.* 33.
(2) *ibid. in adnot.*
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 914.
(4) *Cognit. I. n.* 133.
(5) apud. Hard *ibid. T. II. p.* 1082.
(6) *ibid. p.* 1075.

DXXXXVI. **TACARATENSIS**

Non ignobilis Numidiae urbs fuit *Tacatua*, quam et Plinius et Peutingeri tabula et Itinerarium Antonini commemorant. hanc esse, quae in

Collatione Carthaginiensi et in Notitia appellatur *Tacarata*, veri mihi persimile est. neque enim in his *Tacatuensis* ullus Episcopus occurrit; contra vero Geographi veteres *Tacaratam* ignorant, quam Notitia eidem provinciae adscribit.

ASPIDIVS. interfuit hic anno ccccxI. Collationi Carthaginiensi, et vocatus (1), se *praesto esse* respondit. aderat vero et adversarius ejus Verissimus Donatista, qui ait, *Agnosco illum:* adjecitque, *Quatuor sunt in plebe mea, Datianus, Aspidius, Fortunatus et Octavianus*, in vicis nempe oppidisve agri Tacaratensis contra Donatistarum licentiam a Catholicis Episcopis constituti, id est praeter Aspidium urbi praesidentem, Datianus Legensis, Fortunatus Casensis Calanensis, Octavianus Ressianensis, quos superius recognoscere licet.

CRESCENTIVS. hunc Notitia centesimum decimum tertium recenset inter Numidicos Episcopos, qui anno ccccLxxxiIII. a Rege Hunerico post conventum Carthaginiensem cum reliquo Episcoporum agmine relegati sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 121.

DXXXXVII. TACIAE MONTANENSIS

Provinciae Proconsularis oppidum erat *Tacia* sive *Tatia* cognomento *Montana;* quod situm ejus in jugo indicat. verum si Acta Conciliorum exceperis, scriptorem, qui de ea meminerit, non reperies.

METVS, qui et *Mettun.* interfuit hic anno cccxxxxvIIII. Grati Carthaginiensis Concilio, in quo etiam interloquutus est, auctorque fuit canonis, ne cui fas esset clericos sibi eligere apothecarios vel ratiocinatores (1). porro *Tacanensis* appellatur hic *Metus*, eumque huc pertinere duximus, quia non apparebat, quo potius referri oporteret.

CRESCONIVS. fuit hic e Donatistis Maximiani studiosis, qui Concilium Cabarsussitanum anno cccLxxxxIII. adversus Primianum celebraverunt; subscripsitque epistolae, quae tum missa est ad omnes Africae Episcopos (2). *Tacianensis* appellatur in aliquot codicibus, in aliis *Titianensis* aut *Titianus* mendose: neque enim *Titia* in Africa uspiam audita est.

RVFINVS. subscripsit hic inter postremos Concilio Carthaginiensi anni DXXV. quod a Bonifacio celebratum est, cujus subscriptio fuit, *Rufinus Episcopus plebis Tatiae Montanae* (3).

PROBVS. secundus hic est inter Patres Concilii Proconsularis, qui anno DCXXXXVI. scripsere ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum contra Monotheletas. subscriptio autem ejus fuit (4), *Probus gratia Dei Episcopus sanctae Ecclesiae Taciae Montanensis.*

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 687.
(2) apud Aug. *in ps. xxxvI. serm. II. n.* 20.
(3) apud Hard. *ibid. T. II.* p. 1082.
(4) *ibid. T. III. p.* 750.

DXXXXVIII.
TADAMATENSIS

Nihil de *Tadama* a Geographis traditum: at Notitia ad Mauretaniam Caesariensem pertinuisse indicat. in codice Halleri Episcopus ejus *Tadamensis* dicitur, quod grammatice scriptum est.

DAVID. est hic ordine centesimus quintus in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem usque conventus caussa profecti, jussu Regis Hunerici in exsilium pulsi sunt.

DXXXXVIIII.
TADDVENSIS

Tadduam in Provincia Proconsulari fuisse, discimus ex Actis veteris Concilii Lateranensis. eadem fortasse est quae apud Ptolemaeum *Thabba* dicitur, et sub Carthagine meridiem versus designatur.

CYPRIANVS. subscripsit hic epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 749.

DL.
TAGAMVTENSIS

Erat *Tagamu*, quae et *Thagamu*, in provincia Byzacena: Notitiae enim testimonio liquet. sed nulla ejus vestigia apud Geographos.

LVPIANVS. interfuit hic Concilio Carthaginiensi sub Aurelio celebrati anno CCCLXXXXVII. cui etiam tertius subscripsit (1).

MILICVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus, quum se *praesto esse* respondisset, de Ecclesia sua adjecit (2), *Omnes Catholici sunt.*

RESTITVTVS. hunc Notitia decimum nonum recenset inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profectos Rex Hunericus cum reliquis relegavit.

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 974. (2) *Cognit. I. n.* 126.

DLI.
TAGARATENSIS

Pertinet *Tagara* ad provinciam Proconsularem, ut Notitia indicat, eaque a *Tagora* distinguenda est, quae gemina in Africa fuit. ceterum ignota apud Geographos *Tagara* est, nec quibus oppidis finitima fuerit, monstrare possumus.

LVCIVS. occurrit hic inter Catholicos Episcopos, qui anno CCCCXI. ad Collationem Carthaginiensem convenere: in eaque citatus se *praesto esse* respondit (1): simul ex adverso adfuit Quintus Donatista, qui ait, *Agnosco illum*, ac subinde vocatus (2) dixit, *Mandavi et subscripsi.*

(1) *Cognit. I. n.* 128. (2) *ibid. n.* 208.

HONORATVS. est hic ordine quadragesimus tertius in albo Episcoporum, qui e provincia Proconsulari Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. ab Rege Hunerico evocati, cum reliquo collegarum coetu in exsilium ejecti sunt.

DLII. TAGARBALENSIS

Oppidum provinciae Byzacenae fuit *Tagarbala*, ut Notitia nos edocet, sive *Targabola*, si codex Halleri praeferendus est. vestigium tamen ejus nullum apud Geographos. nam *Agariabas*, quod Itinerarium Antonini habet inter Tacapas et Turrem Tamalleni, nimium differt.

FORTVNATIANVS. est hic ordine octogesimus tertius inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profectos Rex Hunericus simul cum reliquis, quos convocarat, exsilio affecit.

DLIII. TAGARIATANVS

Memorat Ptolemaeus *Targarum* in provincia Byzacena, in qua et Notitia recenset *Tagariam*. idem oppidum utrobique designari credibile est.

FELIX. erat hic e grege Donatistarum, quibuscum anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, ac citatus (1) ait, *Mandavi et subscripsi*, nulla Episcopi Catholici mentione facta. ipse autem *Tagarajensis* dicitur.

HONORATVS. hunc Notitia tricesimum septimum numerat in albo Episcoporum, qui e provincia Byzacena Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici cum ceteris relegati sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 201.

DLIIII. TAGASENSIS

Nota nobis *Tagasa* est ex Actis veteris Concilii Lateranensis: unde discimus in provincia Byzacena fuisse. in antiquioribus Ecclesiae Africanae monumentis nomen ejus non occurrit. at fortasse est, quod Plinius *Thagastense* oppidum appellat, et inter libera enumerat, quae in Byzacena erant: certe codices aliquot habent *Tagesense*.

SECVNDVS. subscripsit hic, post Primatem provinciae suae primus, epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa fuit ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletas (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 739.

DLV. TAGASTENSIS

Non ignobile Numidiae oppidum *Tagaste*, quae et *Thagaste*, magni Augustini patria, a quo non semel *Municipium* appellatur. in Antonini Itinerario cietur inter Hipponem Regium et Naraggaram, nec procul a Madauris. Thagastense Monasterium memorat Augustinus epistola LXXXIII.

FIRMVS. huoc aote Constantini Aug. aevum vixisse, ex Augostino discimus, qui fidem Deo et hominibus praestandam ostendens, haec de illo oarrat (1): *Fecit hoc*, inquit, *Episcopus quondam Thagastensis Ecclesiae Firmus nomine, firmior voluntate. nam quum ab eo quaereretur homo jussu Imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem diligentia, quanta poterat, occultabat, respondit quaerentibus nec mentiri se posse, nec hominem prodere, passusque tam multa tormenta corporis, (nondum enim erant Imperatores Christiani) permansit in sententia. deinde ad Imperatorem ductus, usque adeo mirabilis apparuit, ut ipsi homini, quem servabat, indulgentiam sine ulla difficultate impetraret.* de Firmo meminit Martyrologium Romanum pridie kal. Aog.

ALYPIVS. hic ille est, quo familiarissime usum se ab ipsa adolescentia testator Augustinos, quamquam ipso juoior erat. *Alypius*, inqoit (2), *ex eodem, quo ego, ortus erat municipio, parentibus primatibus municipalibus, me minor natu. nam et studuerat apud me, quum in nostro docere coepi oppido, et postea Carthagini: et diligebat me multum, quod ei bonus et doctus viderer; et ego illum propter magnam virtutis indolem, quae in non magna aetate satis eminebat.* ioterfuit Alypius anno CCCCIII. Carthaginiensi Concilio, quod Aurelius octavum celebravit (3). anno CCCCXI. in Collatione Carthaginieosi primos post Aurelium Actor a Catholicis Episcopis designatus fuit, eorumque partes strenoe egit. demom anoo CCCCXVIII. Carthaginem a Numidiae Episcopis legatus est, ut Concilio interesset, quod magoorum Conciliorum Africae sextum dicitor, sub Aurelio item coactum (4). dio praeterea vixisse, et Primatem Numidiae evasisse, indicat epistola Augostini (5) scripta circa annum CCCCXXVIII. cujus titolus est *Alypio Seni.* celebrat hunc quotannis Ecclesia Romana in Martyrologio suo XVIII. kal. Sept. quae etiam, Bonifacio Pontifice maximo, Legatum ex Africa eondem cum honore acceperat, Augustino ipso teste in libris, quos ad Bonifaciom scripsit.

IANVARIVS. hunc Notitia ceotesimum decimom octavom receoset ioter Numidicos Episcopos, qui aooo CCCCLXXXIIII. post conveotum Carthaginieusem a Rege Honerico cum ceteris relegati sunt. in ipso autem exsilio defunctum Ianoarium oota mortis adjecta indicat.

Decimo post haec saeculo jam labente prodeunt iterum Episcopi Tagasteoses, sed ornameotarii, qoorom nomina subjicio (6):

IOANNES de Enitra an. M.CCCC.LI. (*Bull. Nicolai V. etc.*)
FRANCISCVS sub Xysto IIII. (*Bull. in Arch. Datar.*)
FRANCISCVS alter sub Iulio II. (*Bull. ibid.*)
ARNALDVS de Bedorea sub Iulio II. (*Bull ibid.*)
PHILIPPVS Varazius an. M.D.XIIII. (*Bull. Leonis X.*)
CHRISTOPHORVS de Berriooicerio an. M.D.XV. (*Bull. Leonis X.*)

(1) *de mendacio c. XIII. n. 23.*
(2) *Confess. lib. VI. c. 7. n. 11.*
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p. 914.*
(4) *ibid. p. 1242.*
(5) *epist. 227.*
(6) *suppedit. Marinius. vir Opt.*

IOANNES de Porto an. M.D.XVII. (*Act. Consist.*)
BERNARDVS Audugatius an. M.D.XXV. (*Bull. Leonis X.*)
IOANNES an. M.D.XXXIIII. (*Mon. Arch. Vatic.*)
MELCHIOR Crivellius an. M.D.XXXX. (*Act. Consist.*)
GREGORIVS Silvius an. M.D.LII. (*Act. Consist. etc.*)
ANDREAS Stregnartius an. M.D.LXXVIII. (*Act. Consist. etc.*)
ANGELVS Rocca an. M.DC.V. (*Act. Consist. etc.*)
IOAN. BAPTISTA de Asto an. M.DC.XX. (*Act. Consist. etc.*)
VINCENTIVS Spinula an. M.DC.XX. (*Act. Consist.*)
STEPHANVS de Brito an. M.DC.XX. (*Act. Consist.*)
FVLGENTIVS Gallutius an. M.DC.XXIII. (*Act. Consist.*)
ANTONIVS Marinarius an. M.DC.LXVII. (*Bibl. Carmel. T. I. p. 180. etc.*)
EMMANVEL de Silva an. M.DCC.VIII. (*Act. sac. Colleg.*)
ALEXANDER Caputus an. M.DCC.XXVIII. (*Act. sac. Colleg.*)
BLASIVS ANTONIVS de Olorizio an. M.DCC.XXXIII. (*Act. sac. Colleg.*)

DLVI. TAGORENSIS NVMID.

Post Naraggaram in Itinerario Antonini est *Tagora* Cirtam versus, post *Tagoram* Tipasa Numidica: itaque oppidum in mediterraneo situm erat. inde fuisse Crispina Martyr videtur, cujus Acta illustravit Ruinartius (1). *Thagarensis* enim dicitur, et martyrium in colonia Thebestina consummasse perhibetur, quae omnino in Numidia erat, nec multum a Tagora distabat. indidem etiam esse putantur duodecim Martyres, quos Romana Ecclesia nonis Decembribus in Martyrologio suo sic celebrat: *Thagurae in Africa sanctorum Martyrum Iulii, Potamiae, Crispini, Felicis, Grati et aliorum septem.* sed pro *Crispini* legendum fortasse est *Crispinae.*

XANTHIPPVS. hic ille est, de cujus Primatu in Numidia scripsit Augustinus anno CCCCI. ad Victorinum quemdam Episcopum (2), qui eum sibi honorem in eadem provincia vindicabat. ceterum in antiquis codicibus *Tagosensis* aut *Tagonensis* appellatur, quo nomine nullum in Numidia oppidum apud Geographos reperias.

POSTVMIANVS. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua, ut subscriptio ejus recitata est, ait (3), *Catholicae est unitatis*, Ecclesiam scilicet suam nulla Donatistarum labe infectam esse significans.

TIMOTHEVS. est hic ordine vicesimus in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem simul cum reliquis relegavit.

(1) *in Act. MM. sinc. p. 494. ex Mabill.*
(2) *epist. 59.*
(3) *Cognit. I. n. 133.*

DLVII. **TAGORENSIS PROV. PROCOS.**

Geminam in Africa *Tagoram* fuisse, ex Collatione Carthaginiensi manifestum est: adfuere enim Episcopi duo Catholici Tagorenses. atque alter e provincia Proconsulari advenisse dignoscitur, quod de eo interloquutus sit Fortunatianus Siccensis ex eadem provincia, itemque de adversario ejus Valentinianus Primiani Carthaginiensis Diaconus Donatista. Norisius vero in tabulis Peutingeri *Tachoram* invenit, quae haec ipsa, de qua quaerimus, jure haberi possit. est et vetus Epitaphium (1) *Cn. Vatinio L. F. Venanto. N. Teuchoeira ex. Af.* positum, qui fortasse ad Tagoram pertinebat. lingua enim militari multa perturbata scimus.

RESTITVTVS. hic anno CCCCXI. in Collatione Carthaginiensi chartis tuendis praepositus fuit: quod, subscriptione ejus recitata, testatus est Fortunatianus Siccensis, unus e septem Actoribus, quibus caussam suam Catholici Episcopi commiserant: ait enim (2), *Etiam ipse custos est tabularum.* nullum autem in Ecclesia Tagorensi Donatistam fuisse, confessus est Valentinianus Primiani Donatistae Diaconus, inquiens, *Non habemus.*

(1) Don. *Cl. VI. n.* 89. (2) *Cognit. I. n.* 143.

DLVIII. **TALAPTENSIS**

Provinciae Byzacenae *Talapta*, quae et *Talaptula*, in Notitia adscribitur, a qua distinguenda est *Telepte* nobile ejusdem provinciae oppidum. *Talapta* contra obscurior, nec a Geographis commemorata.

DATIANVS. erat hic Donatista, et cum gregalibus suis adfuit anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua vocatus (1) ait, *Mandavi et subscripsi.* appellatur quidem *Teleptensis*, sed scribae vitio: nam Episcopus Donatista Teleptensis erat *Bellicius*, qui ante eum citatus fuerat (2).

VINITOR. est hic ordine centesimus tertius inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum evocatos simul cum reliquis exsilio affecit.

STEPHANVS. subscripsit hic decimus tertius epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus novitates Monotheletarum (3).

(1) *Cognit. I. n.* 208.
(2) *ibid. n.* 198.
(3) apud. Hard. *Conc. T. III. p.* 739.

DLVIIII. **TAMADENSIS**

Pertinet fortasse *Tamada* ad Tingitaniam, in qua flumen *Tamuda* fuit a Plinio memoratum, quod Mela *Taludam* appellat. Notitia certe *Tamadam* Mauretaniae Caesariensi adtribuit, in qua, ut jam animadvertimus, Tingitaniae quoque Episcopi censebantur. nec aliud esse cre-

diderim oppidum *Tanudajense*, cujus mentio in Collatione fit post Siccesitanum in eadem provincia situm.

DONATVS. interfuit hic cum gregalibus suis Donatistis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi.* hic ille est, qui *Tanudajensis* appellatur: qui nisi huc spectat, quo referendus sit, nemo facile indicaverit.

ROMANVS. centesimus hic est in albo Episcoporum, quos e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem usque ad conventum profectos Rex Hunericus cum reliquo collegarum coetu relegavit. in exsilio defunctum Romanum adjecta mortis nota declarat.

(1) *Cognit. I. n.* 197.

DLX.

TAMAGRISTENSIS

Mauretaniae Sitifensis oppidum fuit *Tamagris*, ut Notitia indicat, nec aliud fortasse, quam *Thamarita* Ptolemaei in eodem tractu ultra Garam montem.

PRIMVLVS. adfuit hic anno CCCCXI. cum Catholicis Episcopis Collationi Carthaginiensi, in eaque, ut se *praesto esse* citatus (1) respondit, ex adverso processit Saturninus Donatista, qui ait, *Agnosco illum*; ac postea inter suos vocatus dixit (2), *Mandavi et subscripsi.*

CLEMENS. est hic ordine tricesimus in albo Episcoporum, qui e Mauretania Sitifensi Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici simul cum ceteris in exsilium pulsi sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 128. (2) *ibid. n.* 197.

DLXI.

TAMALLENSIS

Nomen oppido *Tamallen*: in provincia Byzacena extrema situm id erat, ubi regio deserta maxime fuit, meridiem versus. ibi tendebat *Praepositus Limitis Thamallensis*, primus e sedecim, qui *Comiti Africae* parebant, et Romanos fines tuebantur (1), barbarorum incursionibus oppositi. eo relegatus a Rege Hunerico est sanctissimus Episcopus Carthaginiensium Eugenius, qui in Notitia agmen ducit: sic enim incipit, *Eugenius Carthaginiensis Tamalleni*, id est *Tamallene*, sexto casu, nam et *Carthagini* scribebant pro *Carthagine*. in eodem tractu, sed citra deserta erat *Tamalluma*, ubi Arianus Episcopus Antonius diversabatur, *qui*, Victore Vitensi teste (2), *ut bestia insatiabilis, Catholicorum sitiens sanguinem, huc illucque ad rapiendum rugiens excurrebat.* idcirco, inquit idem Victor, *Impius Hunericus sciens Antonii ferocitatem, in ipsis eremi partibus voluit sanctum Eugenium relegari.*

GREGORIVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi cum Catholicis Episcopis, in qua citatus se *praesto esse* respondit (3). habebat

(1) *Not. Imp. Occ. Pancir. c.* 70.
(2) *Pers. Vand. lib. 1. c.* 11.
(3) *Cognit. I. n.* 128.

autem adversarium Lucium Donatistam, qui ait, *Agnosco illum*: ac deinde inter suos vocatus dixit (4), *Mandavi et subscripsi.*

(4) *ibid. n.* 208.

DLXII. TAMALLVMENSIS PROV. BYZAC.

Situm *Tamallumae* describit Victor Vitensis, ubi Antonii Episcopi Ariani ibidem commorantis crudelitatem perstringit (1): *Fuit iste*, inquit, *in quadam civitate*, (quam paullo post *Tamallumensem* appellat) *proxima eremo, quae Tripolitanae provinciae vicinatur.* rem firmant querelae Legatorum, quos e Concilio Juncensi ad Bonifacium Carthaginiensem misit Liberatus Episcopus primae Sedis provinciae Byzacenae: questi enim de Episcopo Girvitano sunt, qui ad provinciam Tripolitanam pertinebat, expostulantes, *ut plebes, quas Tamallumensibus invasisse videtur, admoneatur, ut restituat* (2). Notitia autem Imperii Occidentalis memorat *Praepositum Limitis Thamallomensis.*

HABETDEVS. est hic ordine quinquagesimus quintus in albo Episcoporum, qui e provincia Byzacena Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici cum reliquis collegis relegati sunt. sed ante exsilium multa idem passus fuerat ab Ariano Episcopo Antonio, quae apud Victorem fusius exposita reperies (3). Tamallene autem exsulasse videtur, ubi et Eugenius Carthaginiensis exsilium tolerabat. nam Victor his usus est verbis, postquam de Eugenio loquutus erat: *Alium autem nostrum Episcopum Habetdeum similiter relegatum, Tamallumensi civitate, in qua Antonius fuerat, quantum potuit infestare, res ipsa demonstrat.* certe in oppido ipso Tamalluma exsulare jussus non videtur, qui Regem sic adloquutus dicitur: *Quid quaeso jam cum projectis habetis? quid cum eis, quos exsilio relegastis, quotidie dimicatis? abstulistis substantias, ecclesiis, patria domibusque privastis. sola anima remansit, quam captivare contenditis* (4).

(1) *Pers. Vand. lib. r. c.* 11.
(2) apud Hard. *Conc. T. II p.* 1085.
(3) *Pers. Vand. lib. r. c.* 12. *et* 16.
(4) *ibid. c.* 16.

DLXIII. TAMALLVMENSIS PROV. SITIF.

Habuit et Mauretania Sitifensis oppidum *Tamallumam*, quod in Peutingeri tabula *Tamannuna Municipium et Castellum* appellari videtur.

RVFINVS. agmen hic ducit in albo Episcoporum provinciae Sitifensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum ceteris relegavit. itaque Primas provinciae suae Rufinus putandus est.

DLXIIII. TAMASCANIENSIS.

Ignotum oppidum *Tamascania*, nisi quod Notitia in Mauretania Sitifensi fuisse declarat, et in Peutingeri tabula cietur *Tamascani municipium*, quam ipsam Tamascaniam esse credibile est.

DONATVS. erat hic e secta cognomine, et cum gregalibus suis anno CCCCXI. Collationem Carthaginiensem celebravit, in qua citatus (1) ait, *Mandavi et subscripsi:* nec de Catholico Episcopo, quem adversarium haberet, ullam mentionem fecit.

HONORATVS. hunc Notitia tricesimum quartum recenset inter Episcopos Mauretaniae Sitifensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum convocatos cum reliquo collegarum coetu exsilio affecit. peregre autem defunctum Honoratum apposita mortis nota significat.

(1) *Cognit. I. n.* 198.

DLXV. TAMATENI

Civitatem *Tamatenum* novimus ex Actis veteris Concilii Lateranensis, unde etiam discimus ad provinciam Byzacenam pertinuisse. at silent de ea Geographi veteres, nec vestigium in antiquo scriptore ullum reperias.

THEODORVS. hic decimus sextus subscripsit epistolae, quae a Concilio Byzaceno missa est anno DCXXXXI. ad Constantinum Aug. Heraclii filium contra Monotheletas. appellatur autem in subscriptione *Episcopus sanctae Ecclesiae civitatis Tamateni* (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 779.

DLXVI. TAMAZVCENSIS

In Tingitania extrema habet Itinerarium Antonini *Thamusidam*, a qua nimium differt *Tamazuca* sive *Tamaza*, quam Notitia in Mauretania Caesariensi recenset. varia autem lectio nomen incertum facit, ut *Tamica* etiam esse possit, cujus Episcopus in Collatione Carthaginiensi occurrit.

DACIANVS. erat hic e grege Donatistarum, quibuscum anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, et citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi: adversarium ibi non habeo.* ceterum *Episcopus Tamicensis* dicitur.

LVCIVS. hic postremus est, sive centesimus vicesimus in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum a Rege Hunerico indictum se contulere: atque inde in exsilium cum ceteris pulsi sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 165.

DLXVII. TAMBAICENSIS

Oppidum *Tambeae* erat in provincia Byzacena, ut Notitia testatur. clara ibidem Martyrum certamina sub Rege Hunerico fuere, de quibus Victor Vitensis scribit (1).

SECVNDIANVS. sententiam hic dixit octogesimo loco in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo coegit anno CCLV. appellatur autem *Martyr* in exemplaribus recentioribus tantum: ut ejus tituli auctoritas non magna videatur.

(1) *Pers. Vand. lib. 1. c.* 5.

GEMELIVS, fuit hic e Donatistis Maximiani fautoribus, qui anno CCCLXXXXIII. Concilium Cabarsussitanum celebravere, in quo Primianus damnatus est; et epistolae idem subscripsit (2), quae tum ad omnes Africae Episcopos missa est.

SOPATER. adfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi. in ea quum citatus, se *praesto esse* respondisset, Faustinus Donatista ex adverso prodiit, qui ait (3), *Agnosco illum:* ac deinde inter suos vocatus (4), *Mandavi*, inquit, *et subscripsi.*

SERVVSDEI. hunc Notitia decimum tertium recenset inter Episcopos Byzacenos, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis exsilio affecit.

(2) Aug. *in ps. xxxvI. serm. II. n. 20.*
(3) *Cognit. I. n. 128.*
(4) *ibid. n. 198.*

DLXVIII. TAMOGADENSIS

Celebre Numidiae oppidum *Tamogade*, quae et *Tamugade:* in Itinerario Antonini post Lambesam cietur, et in Actis s. Mammarii apud Mabillonium (1) proxima ostenditur Vagae, Lambesae et Tigisi. Donatistarum eadem aliquamdiu quaedam veluti Regia fuit: quo dictum pertinet Augustini Donatistas gloriantes rogantesque inducentis (2), *Quid tibi videtur Bagai et Tamugade?* Donatistas autem Tamugadenses a Dulcitio Tribuno et Notario edictis duobus admonitos, ut resipiscerent, narrat idem Augustinus in epistola ad eundem (3). mentio Tamugadae fit in Codice Theodosiano, ibique lex Constantii Aug. secunda *de honorariis codicillis* accepta dicitur (4). quo loco Gotifredus male in Tingitania id oppidum esse scripsit, ratus idem esse Thamusidam et Tamugadem. hanc a Mauris solo aequatam scribit Procopius (5), quo tempore Solomon Praefectus Praetorio Africae bellum gerebat contra Iabdam regulum Maurorum Aurasium montem incolentium. eandem a nemine restitutam crediderim: nam de ea post Vandalica tempora mentionem injectam non reperio.

NOVATVS. interfuit hic Concilio Carthaginiensi anni CCLV. quod Cyprianus tertium de Baptismo convocavit, in eoque sententiam quarto loco dixit.

SEXTVS. pertinet hic ad annum CCCXX. ut ostendunt *Gesta purgationis Caeciliani*, sive judicium illud a Zenophilo Consulari Numidiae institutum, in quo quaesitum est de Silvano Cirtensi Traditore, qui Majorinum Carthagine contra Caecilianum ordinaverat. adfuit autem Sextus judicio illi ex Zenophili auctoritate: sic enim Acta incipiunt (6): *Constantino Maximo Aug. et Constantino juniore nobilissimo Caesare Cos. idibus Decembribus, Sexto Thamugadiensi inducto, et applicito Victore Gram-*

(1) *Analect. T. III.*
(2) *in ps. xxI. Enarr. II. n. 26.*
(3) *epist. 204. n. 3.*
(4) *Lib. vI. Tit. 22. l. 2.*
(5) Proc. *B. Vand. lib. 2. c. 13.*
(6) apud Baluz. *Misc. T. II.*

matico, adsistente etiam Nundinario Diacono, Zenophilus V. C. Consularis dixit: etc.

OPTATVS. hic ille est, qui de Gildonis tyranni nomine, qui, mortuo Theodosio magno, Africam occupavit, Gildonianus passim appellatur, fuitque istius veluti satelles; cujus etiam favore multa crudeliter fecit contra Catholicos, et inter Donatistas suos tamquam princeps dominatus est. agit saepe de eo Augustinus, et decennalem sub uno Optato totius Africae gemitum fuisse testatur (7). eundem, Gildone oppresso, quod de satellitio ejus fuisset, in carcere necatum scribit (8): quod contigit anno CCCLXXXXVIII. exinde tamen Donatistae natalitia ejus, id est diem, quo Pontificatum Tamogadensem auspicatus fuerat, celebrare pergebant, ut idem auctor est Augustinus, et Martyrem quoque appellabant (9).

FAVSTINIANVS. adfuit hic anno CCCCXI. cum Episcopis Catholicis Collationi Carthaginiensi, in qua citatus (10) se *praesto esse* respondit. habuit autem adversarium Donatistam Gaudentium, qui ait, *Agnosco illum.* hunc Donatistae unum e septem Actoribus designaverant (11), qui contra Catholicos disputaret: cujus et binae exstant epistolae ad Dulcitium Tribunum et Notarium (12), quas Augustinus duobus libris refutavit circa an. CCCCXX.

SECVNDVS. hunc Notitia septuagesimum septimum recenset inter Numidicos Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum a Rege Hunerico evocati, subinde ejusdem jussu cum reliquo collegarum coetu in exsilium ejecti sunt.

(7) *lib. I. contra Petil. c.* 24. *n.* 26.
(8) *ibid. lib. II. c.* 99. *n.* 209.
(9) *epist.* 108. *n.* 5. *et epist.* 76. *n.* 3.
(10) *Cognit. I. n.* 128.
(11) *ibid. n.* 148.
(12) Aug. *lib. II. Retract. c.* 59.

DLXVIII. TAPRVRENSIS

Notum provinciae Byzacenae oppidum *Taprura*, quamquam nomen varie effertur: nam et *Taphra* apud Melam et Plinium est, et in Itinerario Antonini *Taparura.* proximum erat Vsillae municipio et coloniae Thenis in littore Syrtis minoris.

LIMENIANVS. Carthaginem hic petierat anno CCCCXI. ut Collationi adesset. sed quo die ceteri Episcopi Catholici Mandato subscripsere, sontica, opinor, caussa impeditus, conventui non interfuit, et Vallitanum Episcopum rogavit, ut pro se subscriberet. itaque in Collatione haec recitata subscriptio est (1): *Qui supra pro Limeniano Episcopo plebis Tapruensis coram V. C. Tribuno et Notario Marcellino subscripsi, eum praesentem Carthagine mandasse.* tum addidit, *Catholica est:* idque confirmavit Habetdeus Primiani Donatistae Diaconus, qui ait, *Contra non habemus.*

(1) *Cognit. I. n.* 135.

DLXX.

TAPSITANVS

Illustre oppidum *Tapsus* sive *Thapsus* in provincia Byzacena, saepe ab Hirtio aliisque memoratum. Ruspinae proximum erat, nec longe a Lepti minore, idemque maritimum. multa sub eo oppida fuisse Caesaris aetate, indicat Hirtius, qui conventum Thapsitanorum commemorat: ita enim de Caesare scribit (1): *Tapsitanis HS XX. millia: conventui eorum HS XXX. millia multae nomine imponit.* sic et Hispaniae conventus praecipuis in urbibus fuere (2).

VIGILIVS. est hic ordine centesimus nonus et agmen claudit in albo Episcoporum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. e provincia Byzacena ad communem conventum Carthaginem evocatos, simul cum reliquis relegavit. Ecclesiam idem suam, quam praeclara confessione illustrarat, scriptis quoque insignem postea celebremque reddidit, pluribus in primis contra Arianos operibus editis, quae a Chiffletio cum ceteris vulgata sunt (3).

(1) *de Bello Afr. c.* 97.
(2) Plin. *Hist. N. lib. III. c.* 2. *et* 3.
(3) *Divione an.* 1664.

DLXXI.

TARAQVENSIS

Ex Actis veteris Concilii Lateranensis discimus, *Taraquam*, sive *Taracam*, ut Holstenius legit, in provincia Byzacena fuisse, in qua Notitia etiam *Tarazam* agnoscit, unum, opinor, idemque oppidum, de quo tamen, quodcumque ei nomen fuerit, Geographi silent.

DOMNINVS. est hic ordine tricesimus quartus inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum ceteris exsilio multavit.

STEPHANVS. subscripsit hic epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletas (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 739.

DLXXII.

TARASENSIS

Erat *Tarasa*, quae et *Tharassa*, in Numidia, ut ex Notitia discimus. ceterum Geographi indictam reliquere.

ZOSIMVS. sententiam hic dixit quinquagesimo sexto loco in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus anno CCLV. tertium de Baptismo convocavit.

CRESCONIVS. hunc Notitia quinquagesimum tertium numerat in albo Episcoporum Numidicorum, qui anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem a Rege Hunerico cum reliquis collegis relegati sunt.

DLXXIII.

TASACCVRENSIS

Mauretaniae Caesariensi adtribuitur *Tasaccura* in Notitia, quae ibidem in Antonini etiam Itinerario designatur, nomine leviter immutato: *Tasagora* enim dicitur.

POEQVARIVS. est hic ordine centesimus octavus in albo Episcoporum provinciae Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum se contulere, atque inde cum ceteris in exsilium ejecti sunt. peregre defunctum Poequarium nota mortis adjecta indicat.

DLXXIIII.

TAVRACINAE

Occurrit oppidi hujus nomen in Actis veteris Concilii Lateranensis, unde discimus ad provinciam Proconsularem pertinuisse. apud Geographos nulla ejus vestigia sunt.

CLARISSIMVS. subscripsit hic epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum contra Monotheletas (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 751.

DLXXV.

TEBERTINVS

Vicus, opinor, provinciae Byzacenae fuit *Teberta*, quae Episcopum suum ad Concilium Cabarsussitanum ejusdem provinciae misit. ceterum nulla apud veteres indicia sunt.

PERSEVERANTIVS. adfuit hic cum gregalibus Donatistis, qui Maximiano studebant, Concilio Cabarsussitano anni CCCLXXXXIII. damnatoque Primiano, subscripsit inter postremos epistolae, quam Maximianistae misere ad omnes Africae Episcopos (1).

( ) apud Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20.

DLXXVI.

TEBESTINVS

Non ultima Numidiae urbs fuit *Colonia Tebeste*, quae et *Theveste*, quam Itinerarium Antonini recenset inter Ammederam et Altabam. ab ea Carthaginem usque via ducebat, quam Hadrianus Aug. sternendam curaverat anno CXXII. per P. Metilium Secundum Legatum ejus. fundos ibidem fuisse, qui ad patrimonium Trajani Aug. spectabant, vetus Epitaphium indicat, in quo *M. Vlpius Augg. Lib.* dicitur *Proc. Africae Reg. Tevest.* (1). leges autem Constantini Aug. *de Appellationibus*, quae inscriptae sunt Petronio Probiano, Thebeste propositas ostendit Codex Theodosianus (2).

(1) Mur. *Thes. p.* 2008. *n.* 3. Don. *cl. r. n.* 87. (2) *lib. XI. tit.* 30. *L.* 5. *et* 6.

ibidem actum videtur Concilium Donatistarum, quod memorat Optatus (3), quamquam in editis exemplaribus legimus *apud Thenestinam civitatem.* illud vero extra controversiam, Martyrio defunctam Thebeste Crispinam civem Thagarensem anno CCCIIII. cujus Acta Mabillonio debemus (4): de qua et Martyrologium Romanum nonis Decembr. mentionem facit. nec minus certum, eadem in urbe Maximiliano adolescenti parem lauream obtigisse sub Dione Proconsule, anno CCLXXXXV. ut Acta ejus a multis edita ostendunt: quamquam Baronius in Martyrologio ad diem IIII. idus Martias, quo die Martyrium consummavit, pro *Maximiliano* retulit *Mamilianum*, et Romanis Martyribus adnumeravit.

LVCIVS. adfuit hic Concilio Carthaginiensi anni CCLV. quod a Cypriano tertium de Baptismo actum est, in eoque sententiam tricesimus primus dixit. biennio post claruit inter Confessores.

ROMVLVS. occurrit hic inter Patres Concilii Carthaginiensis sub Grato celebrati anno CCCXXXXVIIII. cujus nomen in praefatione cietur (5).

VRBICVS. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, quumque inter Catholicos citatus, se *praesto esse* respondisset (6), adversarius ejus Donatista Perseverantius dixit, *Agnosco illum:* idemque postea inter suos vocatus (7) ait, *Et mandavi et subscripsi.*

FELIX. hic ordine septuagesimus quintus est in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum evocatos, simul cum ceteris relegavit.

(3) *de schism. Donat. lib. II. c.* 18.
(4) Ruin. *Act. MM. sinc. p.* 494.
(5) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 685.
(6) *Cognit. I. n.* 121.
(7) *ibid. n.* 180.

DLXXVII.

TEGLATENSIS

Numidiae oppidum *Tegla* sive *Tegula*, ut ostendit Notitia: et eadem est, quae in Peutingeri tabulis *Teglata* dicitur. porro nomen fortasse impositum a figulorum officinis, qui *Tegularii* dicebantur.

DONATVS. erat hic Donatista, et cum gregalibus suis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit: in qua vocatus ait (1), *Mandavi et subscripsi.*

DONATIANVS. hunc Notitia sexagesimum nonum numerat inter Episcopos Numidiae, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici in exsilium cum reliquis collegis pulsi sunt. an hic fuerit Donatianus ille, quem Victor Vitensis (2) ab Hunerico, *impositis centum quinquaginta fustibus*, in exsilium iterum ejectum scribit, omnino incertum est. quatuor enim in Notitia Donatiani occurrunt, Eliensis, Veselitanus, Vzinadensis et hic noster.

(1) *Cognit. I. n.* 198.
(2) *Pers. Vand. lib. II. c.* 16.

DLXXVII.

TELENSIS

Oppidum *Tele* apud profanos scriptores ignotum, at in monumentis Ecclesiae Africanae satis illustre. erat in provincia Proconsulari, ut ex Notitia discimus.

NATALICVS. fuit hic e Donatistis Maximiani studiosis, qui anno CCCLXXXXIII. Primianum Carthaginiensem in Concilio Cabarsussitano damnavere: subscripsitque inter seniores epistolae, quae tum ad omnes Africae Episcopos missa est (1).

FELIX. erat hic e grege Donatistarum, cumque his anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, ac citatus ait (2), *Mandavi et subscripsi.* de Catholico autem Episcopo nulla facta mentio est.

DEVMHABET. est hic ordine decimus quartus in albo Episcoporum provinciae Proconsularis, qui anno CCCCLXXXIII. post conventum Carthaginiensem a Rege Hunerico cum reliquis collegis relegati sunt. eundem in Corsicam deportatum adjecta nota declarat.

BONIFACIVS. hic subscripsit epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (3).

(1) apud Aug. *in ps. xxxvI. serm. II. n. 20.*
(2) *Cogn. I. n. 208.*
(3) apud Hard. *Conc. T. III. p. 759.*

DLXXVIII.

TELEPTENSIS

Provinciae Byzacenae oppidum fuit *Telepte* in mediterraneis, idemque *Colonia*, ut in veteri inscriptione apud Maffejum appellatur (1). fuit autem natale solum Fulgentii Ruspensis. ibidem celebratum esse, quod Norisio non placet (2), Concilium anni CCCCXVIII. in quo recitatae epistolae sunt *venerabilis memoriae Syricii*, pro certo habeo. nam etsi *Tellense* aut *Tiellense* vel *Zellense* in aliquot codicibus id appellatur, sunt et codices, in quibus *Teleptense* dicitur: tum ei qui praefuit, fuit *Beatus pater primae sedis Episcopus Donatianus civitatis Teleptensis* (3): ut apud honoris sui sedem Episcopos congregasse putandus sit. actum autem Concilium traditur *in Ecclesia Apostolorum*, cui et legati provinciae Proconsularis adfuisse dicuntur. oppidum postea a Iustiniano Aug. munitum esse, auctor est Procopius (4). ipsum nomen apud vetustiores erat *Thelepte.*

IVLIANVS. sententiam hic dixit quinquagesimo septimo loco in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus anno CCLV. tertium de Baptismo convocavit.

(1) *Mus. Ver. p. 461. n. 3.*
(2) *Hist. Pelag. lib. I. c. 13.*
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p. 1235.* v. Ballerin *T. III. oper. s. Leonis p. 991. praeter praef. Iustelli p. 3*., et Constant. *p. 643.*
(4) *de aedif. lib. VI. c. 6.*

DONATIANVS. anno CCCCXI. Carthaginem se contulit Collationis caussa, in qua adversarium habuit Bellicium, qui eo vocato (5) ait, *Agnosco illum*, et subinde inter Donatistas citatus (6) dixit, *Mandavi et subscripsi.* anno CCCCXVIII. idem Donatianus post alia Concilia, quibus eum subscripsisse apparet (7), suum ipse vocavit Teleptem, de quo superius dictum est, quum provinciae suae Primatum obtineret.

FRVMENTIVS. est hic ordine octogesimus primus inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici cum reliquo collegarum coetu relegati fuere.

(5) *Cognit. I. n.* 121.
(6) *ibid. n.* 198.
(7) apud Hard. *ibid. p.* 1222.

DLXXX. TEMONIANENSIS

In provincia Byzacena fuisse *Temoniam* sive *Temuniam*, ostendit Notitia. sed de ea nihil Geographi tradidere.

CRESCONIVS I. interfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus (1), quum se *praesto esse* respondisset, de Ecclesia sua adjecit, *Ibi in eodem loco, ubi ago, non contra me habeo Episcopum.* idem autem esse videtur, cujus mentio fit in Codice Canonum Ecclesiae Africanae (2), atque adeo qui in Concilio Carthaginiensi Aurelianorum decimo sexto delectus est cum tribus aliis, ut vice Episcoporum Byzacenorum Carthagine fungeretur.

CRESCONIVS II. hunc Notitia nonagesimum septimum recenset inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. ad conventum evocatos simul cum aliis relegavit. peregre autem defunctum Cresconium nota ostendit, quae nomini apposita est.

VICTORINVS. hic subscripsit epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa fuit ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletas (3).

(1) *Cognit. I. n.* 126.
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 935.
(3) *ibid. T. III. p.* 73.

DLXXXI. TERNAMVSENSIS

Oppidum Mauretaniae Caesariensis erat *Ternamusa*, ut Notitia indicat: idemque fortasse est, quod in Antonini Itinerario appellatur *Tanaramusa Castra*, sive ut in codice veteri legit Surita, *Tarunamusa Castra*, inter Sufasar et Rusuccurum.

SARMENTIVS. erat hic Donatista, interfuitque cum gregalibus suis Collationi Carthaginiensi, in qua vocatus ait (1), *Et mandavi et subscripsi:* tum addidit, *Teneant gesta, quia in plebibus meis adversarium*

(1) *Cognit. I. n.* 180.

non habeo. ceterum hic ante Baluzium *Cernamusensis* aut *Cerramusensis* dicebatur, qui sane emendandi caussam habuit legitimam: nam *Ceramussa*, quae in Numidia erat, Catholicum Episcopum ciebat, eumque sine adversario ( ).

DONATVS. hunc Notitia tricesimum septimum numerat inter Episcopos, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem ivere, et inde jussu Regis Hunerici in exsilium ejecti sunt.

(2) *ibid. n.* 133. *et* 134.

DLXXXII. TETCITANVS

Oppidum *Tetcitam* provinciae Byzacenae adscribit Notitia, cetera ignotum, et a Geographis praetermissum: nisi forte huc pertinet *Limes Teuchitanus,* qui in Notitia Imperii Occidentis designatur sub Duce Tripolitanae provinciae: ut Praepositus ejus in finibus Byzacenae stationem habuisse dicendus sit. minus certe probabilis opinio est Pancirolii (1), qui nomen in Cyrenaica quaerit.

RVSTICVS. est hic ordine septuagesimus septimus in albo Episcoporum, qui e provincia Byzacena anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem conventus caussa petierunt, exsilioque ab Rege Hunerico cum ceteris collegis multati sunt.

(1) *in comm. Not. c.* 79. *p.* 166.

DLXXXIII. THENITANVS

Celebris provinciae Byzacenae colonia fuere *Thenae*. quae Ptolemaeo Θεαιναι sunt, aliis *Thena*. in veteri inscriptione apud Gruterum ( ) occurrunt *Decuriones et Coloni Coloniae Aeliae Augustae Mercurialis Thenitanorum.* situs oppidi ad mare prope promontorium Ammonis inter Usulam et Macomades. celebratum aliquando Tahenis Concilium, Ferrandus nos docet, qui tres ejus canones refert (2).

EVCRATIVS. exstat ad hunc scripta Cypriani epistola, quae ordine LXI. est. sententiam idem dixit vicesimus nonus in Concilio Carthaginiensi anni CCLV. quod Cyprianus tertium de Baptismo convocavit.

LATONIVS. interfuit hic anno CCCCXI. inter Catholicos Episcopos Collationi Carthaginiensi: in eaque, quum citatus se *praesto esse* respondisset (3), habuit ex adverso Securum Donatistam, qui ait, *Agnosco illum,* ac subinde inter suos vocatus dixit (4), *Hic sum: et mandavi et subscripsi.* mentio item occurrit ejusdem in Concilio Teleptensi.

PASCHASIVS. numerat hunc Notitia tricesimum tertium in albo Episcoporum, quos e provincia Byzacena ad Carthaginiensem conventum anno CCCCLXXXIIII. profectos, Rex Hunericus simul cum aliis exsilio affecit.

(1) *p.* 363 *n.* 3.
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1252.
(3) *Cognit. I. n.* 121.
(4) *ibid. n.* 201.

PONTIANVS, qui et *Ponticanus.* adfuit hic in Concilio Iuncensi cum Liberato Primate anno DXXV. ac subinde Carthaginem ad Bonifacium legatus est cum illius Concilii mandatis, quae in Concilio Carthaginiensi cum Restituto Legationis socio explicavit (5). ejusdem mentio fit in vita s. Fulgentii (6), eique beatissimus Fulgentius per tempus quietis apparuisse dicitur, et de successore suo certiorem fecisse, cujus eligendi caussa Pontianus Ruspam se conferebat.

FELIX. occurrit inter Patres Concilii Byzaceni, qui anno DCXXXXI. subscripsere epistolae, quae tum missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletas. aberrat tamen paullulum Felicis subscriptio: est enim hujusmodi (7): *Felix gratia Dei Episcopus sanctae Ecclesiae Catholicae civitatis Thenisiis, ut supra.* a scriba mendum esse, facile crediderim, qualia multa in illis subscriptionibus inesse exploratum est.

(5) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1085.
(6) *cap. ultimo n.* 75.
(7) apud Hard. *ibid. T. III. p.* 740.

DLXXXIIII.

THEVDALENSIS

Provinciae Proconsularis oppidum *Theudale*, ut a Ptolemaeo dicitur, sive *Theudalis*, ut a Plinio, Hipponi Diarrhyto *finitimum, immune, longius a littore* (1). in Notitia scribae vitio legitur *Eudalensis.*

VRBANVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, utque se *praesto esse* citatus (2) respondit, de Ecclesia sua adjecit, *Catholica unitas est:* quod Donatistae inficiari ausi non sunt.

HABETDEVS. memorat hunc Victor Vitensis (3) cum iis Episcopis, quos Gensericus circa annum CCCCLVII. relegavit. hujus cum sociis mentionem in Adonis Martyrologio reperies (4). hic vero in Italiam fortasse navigavit, primusque Lunensium Episcopus fuit, quemadmodum aliis alii in urbibus, quum exsules essent, pontificatum gesserunt. certe Habetdeum Lunenses honorant XIII. kal. Martias, ac Martyrem obiisse affirmant, ab Arianis necatum; eundemque Afrum natione Ferrarius aliique putaverunt (5). inter Episcopos autem, quos Hunericus in exsilium ejecit, non est eo nomine, qui in Italiam venisse dici possit. unus enim fuit Tamallumensis Habetdeus, qui Tamallene exsulasse videtur cum Eugenio Carthaginiensi.

VICTOR. numerat hunc Notitia quinquagesimum tertium, id est penultimum, in albo Episcoporum provinciae Proconsularis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem exsilio affecit. Habetdeo proximum successisse veri omnino simile est.

(1) Plin. *H. N. lib. V. c.* 4.
(2) *Cognit. I. n.* 126.
(3) *Pers. Vand. lib. I. c.* 7.
(4) *ad diem* 28. *Nov.*
(5) v. Bolland. *ad diem* 17. *Febr. p.* 15.

DLXXXV.

THEVZITANVS

Provinciae Byzacenae adscribit Notitia *Theuzam*, quae et *Theuda:* nam D et Z apud Afros invicem permutabantur, uti exemplis confirmat

Harduinus (1). *Theudense* oppidum inter libera memorat Plinius (2): nec dubium, id esse, de quo hic agimus.

DECIMVS. hunc Notitia decimum septimum recenset in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, jussu Regis Hunerici cum reliquis, qui convenerant, in exsilium pulsi sunt.

(1) *in not. ad Plin. p.* 248. *n.* 30. (2) *Hist. Nat. lib. v. c.* 4.

DLXXXVI.

THIABENSIS

Memorat *Thiavensem* Ecclesiam Augustinus in epistola ad Alypium Thagastensem (1), quae scripta fuit circa annum CCCCV. eamque maxime fovendam contendit, quod recens Catholicae paci accessisset. rogat autem veterem amicum, ut patiatur cedere Ecclesiae Thiabensi bona Honorati Presbyteri, qui ante Monachus fuerat in Monasterio Thagastensi. hoc mihi satis indicii est, ut credam, *Thiabem* in Numidia fuisse, ac fortasse inter Thagastem et Hipponem Regium. huc accedit Possidii auctoritas, qui ab Episcopo Thiabensi binas litteras Augustino missas scribit, quum jam Vandali impenderent, quibus rogabat (2), *Utrumnam, illis adventantibus, ex Ecclesiis Episcopis vel clericis recedendum esset, nec ne?* hoc vero facit, ut omnino rejiciam Ruinartii opinionem putantis, Ecclesiam Thiabensem esse, quae in Notitia *Tigabitana* dicitur, et in Mauretania Caesariensi erat. Vandali quippe, ut idem Possidius narrat (3), Mauretanias primum improvisi occuparunt, inde in alias provincias ac potissimum in Numidiam progressi, ipsum Hipponem Regium obsederunt. quare Episcopis Mauretaniae consulendi Augustini tempus defuit, Numidicis non item, quos clades illa serius oppressit. repudianda etiam Norisii sententia, qui Honoratum, de quo infra, Thabenensem Episcopum putat, sequutus veteres Possidii editiones (4): et eam urbem in ora maritima Mauretaniae Sitifensis quaerit, in qua sane Thabena fuit. sed ea nihil ad Honoratum: nec Episcopus ejus nobis hactenus notus est ullus.

HONORATVS. florebat hic circa annum CCCCXXVIII. quo tempore consilium Augustini requisivit, de quo modo dicebamus: cui Augustinus praeclaram illam epistolam misit, cujus summa est: Nec eos esse prohibendos, qui ad loca, si possunt, munita migrare desiderant; nec Episcopos ministerii sui vincula illa sacra, quibus eos ne Ecclesias deserant, Christi caritas alligavit, posse rumpere; atque adeo quamdiu ipsorum praesentia plebi necessaria est futura, eis nihil prorsus aliud relinqui, nisi ut se totos divinae voluntati committant, et spem suam in superno adjutorio collocent (5). porro Honoratus a Possidio *Sanctus Vir* appellatur,

(1) *epist.* 83. *n.* 1.
(2) *in vit. Aug. c.* 30.
(3) *ibid. c.* 28.
(4) *in Cens. Garn. T. III. p.* 1170.
(5) *in vit. Aug. lib. VIII. c.* 8. *n.* 7.

et ab Augustino item sic ei epistola inscribitur, *Sancto fratri et Coepiscopo Honorato* (6).

(6) *epist.* 228.

DLXXXVII.

THIBARIS

Provinciae Byzacenae *Thibarim* adtribuit Harduinus, ea, opinor, de caussa, quod Episcopus ejus inter alios Byzacenos in Concilio Carthaginiensi sententiam dixerit. at hujus oppidi indicium apud Geographos nullum reperio. exstat tamen Cypriani epistola LVI. ad Thibaritanos *De exhortatione martyrii.*

VINCENTIVS. adfuit hic Concilio Carthaginiensi anni CCLV. quod Cyprianus tertium de Baptismo vocavit. sententiam autem in eo suam protulit ordine tricesimus septimus.

VICTOR. Carthaginem hic se contulit Collationis caussa anno CCCCXI. in qua, ut subscriptio ejus recitata inter Catholicos est, *E diverso*, inquit (1), *est Victorianus Episcopus.* hic vero progressus ait, *Agnosco illum,* ac subinde inter Donatistas citatus (2) dixit, *Mandavi et subscripsi.*

(1) *Cognit. I. n.* 133. (2) *ibid. n.* 187.

DLXXXVIII.

THINISAE

Provinciae Proconsularis oppidum fuit *Thinisa*, quae Ptolemaeo *Thínissa* est, et in Notitia *Tinnisa.* Peutingeri tabula inter Vticam et Hipponem Diarrhytum designat. porro Thinisensem Martyrem honorat Martyrologium Romanum VIII. idus Nov. Felicem nomine, quem celebrat Augustinus enarratione in psalmum CXXVII. de anno tamen, quo morti destinatus est, nihil praefatus. hoc tantum nos docuit, alia enm morte obiisse, quam quae Martyrum propria esset. *Confessus est enim,* inquit (1), *dilatus est ad tormenta, alio die inventum est corpus ejus exanime.*

VENANTIVS. sententiam hic dixit quadragesimo nono loco in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus anno CCLV. tertium de Baptismo coegit. in recentioribus ejus Concilii exemplaribus *Confessor* appellatur.

COLONICVS. erat hic e grege Donatistarum, quibuscum adfuit Collationi Carthaginiensi anni CCCCXI. ac citatus (2) dixit: *Et mandavi et subscripsi, et traditores apud me non habeo.* ceterum hic *Tinistensis* dicitur, facili scribae errore.

DALMATIVS. hunc Notitia tricesimum secundum recenset inter Episcopos provinciae Proconsularis, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum, quem Rex Hunericus indixerat, Carthaginem profecti, ejusdem jussu in exsilium acti sunt. ac Dalmatius quidem, ut nota declarat, ex eorum numero fuit, quos Rex in insulam Corsicam deportari jussit.

(1) *ibid. n.* 6. (2) *Cognit. I. n.* 180.

DLXXXVIIII.

THVCCABORIS

Ad provinciam Proconsularem pertinuisse *Thuccabor*, ostendunt Acta veteris Concilii Lateranensis. si autem id oppidum est, ut quidam putant (1), quod in Itinerario Antonini appellatur *Tucca Terebinthina*, prope Assuras fuit, et Sufibus proximum, atque adeo non longe a finibus provinciae Byzacenae. at illud veri mihi similius est, Thuccabor esse, quod in lapide Sponiano pag. CLXXXXIIII. *Municipium Liberum* appellatur; unde illud quoque compertum, in excelso monte stetisse millia passuum novem a Tunete Occidentem versus: ambitumque ejus satis amplum fuisse, et publicis operibus insigne. THVGGA .... quidem legitur tantum, sed BOR vetustas delevisse videtur.

FORTVNATVS. Carthaginiense Concilium hic celebravit cum Cypriano, anno CCLV. in quo tertium de Baptismo actum est, in eoque sententiam suam dixit decimo septimo loco. idem epistolam subinde ab eodem accepisse creditur, quae inscribitur *De exhortatione martirii.*

MEGASIVS. erat hic e Donatistarum numero, qui anno CCCCXI. Carthaginem ad Collationem cum Catholicis convenere. in ea citatus ait (2), *Mandavi et subscripsi;* mentionem de Catholico Episcopo nullam fecit.

STEPHANVS. subscripsit hic epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (3).

(1) Cellar. *Geogr. lib. III. c. 4. n. 74.*
(2) *Cognit. I. n. 208.*
(3) apud Hard. *Conc. T. III. p. 750.*

DLXXXX.

THVCCENSIS

In Sitifensi provincia fuit oppidum *Thucca*, ut Notitia indicat. de eodem Plinius, situm ejus describens (1): *Oppidum Tucca impositum mari et flumini Ampsagae:* id est ad limitem ipsum Numidiae.

HONORATVS. sententiam hic dixit septuagesimo septimo loco in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus anno CCLV. tertium de Baptismo convocavit.

VZVLVS. est hic ordine tricesimus septimus inter Episcopos Mauretaniae Sitifensis, quos Rex Hunericus post conventum Carthaginiensem anno CCCCLXXXIIII. simul cum reliquis, quos acciverat, relegavit.

(1) *H. N. lib. V. c. 2.*

DLXXXXI.

THVGVSVBDITANVS

Nomen oppidi, quod in provincia Sitifensi fuit, apud veteres scriptores fere est *Tubusuptus*, in Notitia *Thugusuptus*. in mediterraneis situm demonstrat Plinius (1): *Intus*, inquit, *Colonia Augusta, quae item*

(1) *H. N. lib. V. c. 2.*

Succubar: item Tubusuptus: contiguum vero monti Ferrato dicit Ammianus (2), eumque Itinerarium Antonini inter Lesbi et Saldas designat. id oppidum esse, quod Tacitus (3) *Thubuscum* vocat, Lipsio visum et Cellario (4). *Limitis Tubusubditani* mentio fit in Notitia Imperii (5).

FLORENTINVS. erat hic Donatista, interque gregales suos anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi adfuit, ac citatus ait (6), *Mandavi et subscripsi:* nec de Catholico Episcopo quidquam addidit.

MAXIMVS. est hic octavus in albo Episcoporum Mauretaniae Sitifensis, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, jussu Regis Hunerici cum reliquo coetu in exsilium pulsi sunt.

(2) *lib. XXVIII. c.* 25.
(3) *Annal. lib. III. c.* 24.
(4) *Geogr. lib. III. c.* 6. *n.* 37.
(5) apud Pancir. *p.* 159.
(6) *Cognit. I. n.* 187.

DLXXXXII. TIBILITANVS

Numidiae oppidum *Tibilis* non longe ab Aquis Tibilitanis, ut Peutingeri tabula ostendit, interque Cirtam et Hipponem Regium fuit: quod et Augustinus indicat, vicinam Tibilim significans coloniae suae (1).

SIMPLICIVS Donatista. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et inter gregales suos citatus ait (2), *Mandavi et subscripsi: adversarium non habeo.* atque idem fortasse, mortuo Praejecto Episcopo, vicum etiam Aquarum Tibilitanarum occuparat: neque enim in Collatione vel Praejectus vel successor ejus cietur.

SIMPLICIVS Catholicus. est hic sexagesimus sextus in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum ceteris collegis relegavit.

(1) *epist.* 112. *n.* 1.
(2) *Cognit. I. n.* 197.

DLXXXXIII. TIBVRSICENSIVM NVMID.

Civitatem *Tibursicensem* sive *Tubursicensem* memorat non semel Augustinus, et Thagastensi proximam fuisse indicat (1). ejusdem mentio fit in codice Canonum Ecclesiae Africanae (2). eadem porro esse putatur *Thuburnica Colonia* Ptolemaei, et *Tuburnicense* oppidum Plinii: at veri esse similius censet Cellarius, hanc nostram esse (3), quae a Ptolemaeo Θεβερσικκα dicitur.

FORTVNIVS. praeerat hic Tibursicensibus sub finem saeculi quarti, addictus quidem Donatistis, sed ita, ut resipiscendi spem faceret. cum eo se disputasse tradit Augustinus (4), quum forte Cirtam pergens Tubursicum attigisset: eumque expertus, sic ad Tubursicenses quosdam scribit (5):

(1) *epist.* 44. *n.* 1. *et* 14.
(2) *C. n.* 100.
(3) *Geogr. lib. III. c.* 1. *n.* 21.
(4) *epist.* 44.
(5) *ibid. n.* 13.

Difficillime potestis invenire in Episcopis vestris tam utilem animum et voluntatem, quam in isto sene perspeximus.

MAVRENTIVS. occurrit hic primum in Concilio Carthaginiensi anni CCCCVII. in quo interloquutus est, ac judices petiit, qui controversiam ejus cum Senioribus a Nova Germaniae dirimerent (6). adfuit subinde Collationi Carthaginiensi, in qua, ut subscriptio ejus recitata est, ait (7), *E diverso Ianuarianum habeo:* qui progressus inquit, *Agnosco illum*, ac postea citatus dixit (8), *Mandavi et subscripsi.*

FRVMENTIVS. est hic vicesimus secundus inter Episcopos Numidicos, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem conventus caussa petiere, atque a Rege Hunerico cum reliquis collegis exsilio multati sunt.

(6) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 922.
(7) *Cognit. I. n.* 143.
(8) *ibid. n.* 202.

DLXXXXIIII. TIBVRSICENSIVM PROV. PROCOS.

Horum oppidum in veteri inscriptione apud Maffejum non uno cognomine ornatur: sic enim cietur (1), *Resp. Municipi Severiani Antoniniani Liberi Thibursicensium.....* desunt reliqua: sed non plus fortasse, quam *Burensium:* nam et in Collatione Episcopus ejus dicitur *Tubursicensis Burae;* tum ipse Augustinus eundem Episcopum appellat *a Tubursicubure.* rem confirmat alia inscriptio Africana apud eundem (2), in qua legimus, *Resp. Municipi Severiani Antoniniani Lib. Thib. Bure .... Patrono.* quid ea vox signaret, ignoro, sed certe oppidum a Tibursico Numidico distinguebat.

FELIX. pertinet hic ad annum CCCIII. quo anno, ut Acta ejus declarant, III. kal. Sept. Venusii in Apulia praeclarum martyrium fecit. postquam enim diu in vinculis fuerat, quod sacra volumina tradere noluisset, amandatus est ad Praefectum Praetorio, qui eum capite damnavit. in Actis apud Ruinartium dicitur Episcopus *Tibiurae*, quae Carthagini satis proxima ostenditur: ac memoratur ibidem Magnilianus Curator et Vincentius Celsinus Decurio *Civitatis Tibiurensium*, quod idem puto atque *Tibursicensium Burensium.* certe in tota provincia Proconsulari nullum est urbis nomen, quod magis accedat: nec vero contracta illa appellatio ab Africanorum ingenio abhorret. porro cum Felice in carcerem conjectos Aprum Presbyterum, Cyrum et Vitalem Lectores, in Actis traditur: at alios simul occubuisse, in Bedae Martyrologio legimus, qui fortasse post primos illos comprehensi fuerant.

SERVVS DEI. memorat hunc Augustinus in libris contra Cresconium, quos scripsisse fertur circa annum CCCCVI. *Episcopus*, inquit (3), *Catholicus a Thubursicubure Servus nomine, quum invasum a vestris locum repeteret, et utriusque partis procuratores Proconsulare praestolarentur*

(1) *Mus. Ver. p.* 458. *n.* 4.
(2) *ibid. p.* 461. *n.* 1.
(3) *lib. III. c.* 43. *n.* 47.

examen, repente sibi in oppido memorato vestris armatis irruentibus, vix vivus aufugit. tum de parente ejus addit: *A quibus pater ejus Presbyter, aetate ac moribus gravis, ea caede, qua vehementer afflictus est, post dies paucos excessit e vita.* porro quem Augustinus *Servum* tantum nomine appellat, is in Collatione Carthaginiensi, cui subinde interfuit, *Servus Dei* dicitur. hujus adversarius primum fuit Donatista ille Cyprianus, Augustino teste, *cum turpissima femina in lupanari deprehensus, et Primiano Carthaginis oblatus atque damnatus* (4): deinde quo tempore Collatio celebrata est, Donatus, qui, ut ipse citatus se *praesto esse* respondit, protinus ait, *Agnosco illum*, ac postea inter suos vocatus dixit (5), *Mandavi et subscripsi.*

REPARATVS. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius coëgit anno DXX (6).

VALERIVS. est hic duodecimus inter Patres Concilii Proconsularis, qui anno DCXXXXVI. gravissimam epistolam misere ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletarum errores (7).

(4) *contra litt. Petil. lib. III. c. 34.*
(5) *Cognit. I. n. 121. et 206.*
(6) apud Hard. *Conc. T. II. p. 1082.*
(7) *ibid. T. III. p. 749.*

DLXXXXV. **TIBVZABETENSIS**

Quo in angulo Africae esset *Tibuzabeta*, sive *Tibuzaba*, plane ignotum mihi est. vicum ignobilem fuisse pro certo habeo: nam in Collatione Carthaginiensi Episcopus ejus dicitur praeesse Ecclesiae *loci Tibuzabetensis.* Victor Tonnonensis (1) de Hunerico scribens, qui millia multa Catholicorum relegavit, plerosque exsulasse ait *Tibunnis, Macri et Nippis aliisque eremi partibus.* fortasse in illo tractu, ultra Numidiam, meridiem versus, ubi *Tibunnae* erant, erat et *Tibuzaba.*

MARTINIANVS. adfuit hic cum Donatistis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et citatus ait (2), *Mandavi et subscripsi:* solus autem sine adversario Catholico in illo nidulo suo dominabatur.

(1) *ad annum 479. in Chron.*
(2) *Cognit. I. n. 187.*

DLXXXXVI. **TICENSIS**

Provinciae Byzacenae oppidum fuere *Tices*, ut Notitia demonstrat. nomen quandoque *ακλιτον Ticibus* fuit, ut *Sufibus.* neque enim Afri Grammaticorum leges multum reverebantur.

GALLVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, interque Catholicos citatus (1) ait, *Praesto sum.* adversarium ejus Donatistam domi remansisse, indicavit illico Petilianus, *Non venit,* inquiens, *litteras misit.* nomen tamen Episcopi non addidit.

(1) *Cognit. I. n. 121.*

Quo tempore Rex Hunericus conventum Episcoporum indixit, vacabat Ticibus Cathedra, ut Notitia nos docet.

ROMVLVS. hic subscripsit epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus novitates Monotheletarum (2). octavus autem ordine est, ejusque subscriptio fuit hujusmodi: *Romulus humilis misericordia Domini Dei Episcopus sanctae Ecclesiae civitatis Ticibus, ut supra.*

(2) apud. Hard. *Conc. T. III. p.* 739.

DLXXXXVII. TICVALTENSIS

Erat *Ticualta*, quae et *Tiguala*, in provincia Byzacena, ut Notitia indicat: nulla tamen oppidi fama, nec ejus apud Geographos vestigia occurrunt.

GAIANVS. erat hic e Donatistis Maximiani fautoribus, eosque inter adfuit anno CCCLXXXXIII. Concilio Cabarsussitano, subscripsitque epistolae, qua omnes Africae Episcopi de Primiani damnatione certiores facti sunt (1).

ASMVNIVS, qui et *Somnius.* hic interfuit cum Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, cumque vocatus, se *praesto esse* respondisset (2), de Ecclesia sua addidit, *In diocese mea duo sunt, Gajanus et Privatus.* tum vero Gajanus, ut opinor, ille idem, de quo modo egimus, ait, *Agnosco illum.* at Alypius, qui erat e numero septem Actorum, quos sibi Catholici elegerant, Marcellinum Tribunum appellans, *Animadvertit,* inquit, *nobilitas tua etiam in nostrorum diocesi eos ordinasse Episcopos.* ad quae Marcellinus: *Talia ab utrisque partibus constat objecta; si haec vultis diligenter inquiri, ad hanc caussam superfluo venisse noscemur.* porro Gajanus inter suos vocatus (3) dixit, *Mandavi et subscripsi.* Privatus vero nusquam cietur.

MANGENTIVS. est hic ordine nonagesimus quintus in albo Episcoporum, qui e provincia Byzacena anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici in exsilium cum ceteris collegis acti sunt.

(1) apud Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20. (3) *ibid. n.* 187.
(2) *Cognit. I. n.* 126.

DLXXXXVIII. TIDIDITANVS

Memorat *Tisidium* Sallustius in Numidia (1), quod in Notitia est *Tididium*, unde oppidani Graeco more *Tididitae*, at Africano *Tididitani*, et in Collatione Carthaginiensi *Tiseditani* sunt; sive id promiscue placuerit, sive scribae in efferendo nomine aberraverint.

DONATVS. florebat hic sub Iuliano, et anno CCCLXII. aetatis suae annum agebat septuagesimum, teste Optato lib. II. c. XVIIII. qui eum

(1) *B. II. Jugurt. c.* 62.

multa a Donatistis perpessum esse, et ab Ecclesia etiam sua ejectum scribit. idem *Tysedim* appellat urbem, cui Donatus praeerat; sed codices variant, ut quid Optatus scripserit, non appareat: qui tamen eam in Numidia collocat.

LAMPADIVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et subscriptione ejus recitata, dixit (2), *E diverso est mihi Donatus:* hic vero accedens ait, *Agnosco illum*, atque citatus inter suos est (3), respondit, *Mandavi et subscripsi.*

ABVNDIVS. hunc Notitia vicesimum quartum recenset inter Episcopos Numidicos, qui anno CCCCLXXXIIII. a Rege Hunerico ad conventum Carthaginiensem evocati, subinde in exsilium cum reliquis ejecti sunt. peregre autem defunctum Abundium nota mortis adjecta ostendit.

(2) *Cognit. I. n.* 135. (3) *ibid. n.* 198.

DLXXXXVIIII. TIFILTENSIS

Ignotum cetera oppidum *Tifiltam*, in Mauretania Caesariensi fuisse, Notitia demonstrat.

DONATVS. est hic ordine decimus quintus in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem simul cum ceteris relegavit.

DC. TIGABITANVS

Oppidum Mauretaniae Caesariensis fuit *Tigava*, quam *Tigavas* Plinius appellat, *Municipium* in Itinerario Antonini dictum, inter Castellum Tingitanum et Oppidum Novum.

PRIMOSVS. praeerat hic Ecclesiae Tigabitanae, quo tempore actum est Concilium Carthaginiense XI. sub Aurelio, quod et octavum Africanum appellatur, id est anno CCCCVII. in eo quippe, ut constat ex canone nonagesimo septimo Codicis, requisitus est Primosus, protestatique esse dicuntur Mauri Caesarienses, eum *per Principales civitatis Thigavensis conventum litteris eorum fuisse, ut secundum Principalia scita plenario Concilio sui praesentiam aceret*, ac repertum non esse (1). idem porro ne in Collatione quidem Carthaginiensi apparuit, sive judicium etiamtum declinaret, sive jam e vivis excessisset.

PALLADIVS. fuit hic e numero Episcoporum, qui anno CCCCXVIII. Caesaream petiere, ut disputationi adessent, quam Augustinus instituturus erat cum Emerito Donatista (2): itaque cum aliis in exhedram processit, ut Augustinus testatur, et concionem illam honestavit.

CRESCES, id est *Crescens.* est hic sexagesimus octavus in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. a Rege Hunerico post conventum Carthaginiensem simul cum aliis collegis in exsilium acti sunt.

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 922. (2) *de gest. cum Emerito n.* 1.

DCI. TIGAMIBENENSIS

Ignotissimum oppidum *Tigamibena*, sed tamen ad Mauretaniam Caesariensem pertinuisse, Notitia testatur.

MAXENTIVS. numerat hunc Notitia tricesimum quartum inter Episcopos, qui e Mauretania Caesariensi an. CCCCLXXXIIII. Carthaginem a Rege Hunerico evocati, ut communi conventui adessent, subinde cum ceteris collegis in exsilium ejecti sunt. peregre autem defunctum Maxentium nota mortis adjecta indicat.

DCII. TIGILLABENSIS

Oppidum *Tigillabam* in Numidia agnoscit Notitia: sed nullam alibi mentionem ejus factam reperio, nisi in Collatione Carthaginiensi.

REGINVS. adfuit hic Carthagine anno CCCCXI. et Collationem cum Episcopis Catholicis celebravit. ut autem subscriptio ejus recitata est, de adversario suo dixit (1), *E diverso mihi est Donatus:* sed hic valetudinis caussa non aderat: itaque Flavianus Pauzerensis ait, *De itinere revertit Donatus, caussa aegritudinis.* quia vero Reginus paullo serius domo digressus, nondum Mandato, ut opinor, contra atque in subscriptione prolatum fuerat, revera subscripserat, inter viginti postremos accessit (2), et ait, *Mando et consentio.* nisi forte suspicari velis, non sine fraude factum esse, ut iterum censeretur. modo enim pronunciatum a Rufiniano scriba fuerat, Episcopos Donatistas esse ducentos septuaginta novem: at Catholicos ducentos sexaginta sex, *exceptis his, quos dicunt necdum subscripsisse.* hos Alypius viginti esse dixit, eosque inter processit Reginus: horum numero accedente, Catholicis supra Donatistarum censum accrevere septem. ceterum plures tum alios in Africa Episcopos Catholicos fuisse, qui non convenerant, testatum voluit Alypius: *Scriptum*, inquit (3), *sit, centum viginti esse absentes, quos aut infirmitas, aut aetas, aut certe necessitas detinuit.* contra quem Petilianus Donatista reposuit: *Scriptum sit, multo plures nostros absentes esse, etiam cathedras viduatas, quibus Episcopi ordinandi sunt.* ad haec porro Fortunatianus Catholicus, *Quia de viduatis Cathedris dixit sanctissimus Petilianus, nos quoque sexaginta quatuor vacuas habere, his gestis intimamus.* quae si constabant, Ecclesiae Catholicae in Africa tum erant CCCCL.

IVNIOR. est hic ordine tricesimus tertius in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum evocatos cum reliquis, quos acciverat, exsilio affecit.

(1) *Cognit. I. n.* 133.
(2) *ibid. n.* 215.
(3) *ibid. n.* 217.

DCIII.

TIGIMMENSIS

Provinciae Proconsularis oppidum fuisse *Tigimma*, discimus ex Actis veteris Concilii Lateranensis. obscurum tamen nomen est et a Geographis praetermissum.

ROGATIANVS. occurrit hic inter Catholicos Episcopos, qui an. CCCCXI. ad Collationem Carthaginiensem convenere. ut subscriptio ejus recitata est (1), ait, *E diverso mihi est Victorianus*: hic vero, *Agnosco*, inquit, *illum*: ac postea inter suos citatus dixit (2), *Mandavi et subscripsi.*

NABIGIVS. subscripsit hic inter postremos epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (3).

(1) *Cognit. I. n.* 133.
(2) *ibid. n.* 196.
(3) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 752.

DCIIII.

TIGISITANVS MAVR. CAES.

Inter Rusuccurum et Bidil municipium designatur in Itinerario Antonini *Tigisi*, quae Τιγίς est Ptolemaeo. obscurior tamen haec Tigisi Numidica, de qua infra dicemus.

SOLEMNIVS. contulit hic se anno CCCCXI. ad Collationem Carthaginiensem, sed aliquanto serius, quam ceteri: nisi potius alia ei caussa impedimento fuit, ne ipse subscriberet. certe nomen ejus citatum est (1) alia ratione: *Ego Restitutus Episcopus pro Solemnio collega meo plebis Tigisitanae, praesente V. C. Tribuno et Notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine.* atque hic Restitutus pro Mammillensi etiam ejusdem provinciae Episcopo subscripserat (2). Solemnius subinde ipse addidisse videtur, *E diverso est Paschasius;* hic sane accedens ait, *Agnosco illum:* qui etiam postea inter gregales suos vocatus ait, *Mandavi et subscripsi* (3). ipsum enim esse admittendum est, quamquam scribae errore *Dusitanus* appellatur: nam recurrere eundem ac citari de more, necesse fuit, qui cetera nusquam apparuisset.

PASSITANVS. hunc Notitia vicesimum septimum numerat in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, jussu Regis Hunerici relegati sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 135.
(2) *ibid. n. eod.*
(3) *Cognit. I. n.* 197.

DCV.

TIGISITANVS NVMID.

De *Tigisi* Numidica habes multa apud Procopium (1). sita erat circa Aurasium montem, austrum versus: proxima illi oppida Vaga, Lambese,

(1) *Bell. Vand. lib. II. c.* 13.

Tamugade, ut Acta sancti Martyris Mammarii Mabilloniana (2) demonstrant. Patronum *Tigisensium* memorat inscriptio apud Reinesium (3).

SECVNDVS. hic ille est, qui anno CCCV. quum Numidiae primatum obtineret, judicium Cirtae instituit de Episcopis, qui sub Diocletiano sacra volumina impie prodiderant, quo idem crimine aeque tenebatur. de quo, praeter Optatum (4), plura apud Augustinum (5) iuvenies. multa idem postea Carthagine molitus est adversus Caecilianum et omnes Catholicos, *temerario*, ut ait Augustinus (6), *Concilio, quamlibet numerosissimo.*

GAVDENTIVS. erat hic e grege Donatistarum, quibuscum an. CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interesse tamen non potuit, morbo in itinere correptus. quare quum citaretur, respondit pro eo Siguitanus ejusdem provinciae Episcopus his verbis (7): *Gaudentius collega noster, Episcopus loci Tigisitani, infirmitatis caussa in itinere remansit. pro eo subscripsi.* ad quae Fortunatianus Catholicus, Marcellinum appellans, *Testatum*, inquit, *sit Actis sublimitatis tuae ideo haec fieri, ut major videatur eorum numerus Episcoporum; quamvis nec sic Catholicis possit aequari.*

DOMNICOSVS. est hic ordine octogesimus nonus Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquo collegarum coetu in exsilium ejecit.

PAVLLINVS. Episcopum hunc ex Gregorii epistolis duabus novimus, quae scriptae putantur anno DCII. (8) in his saevitia ejus in Clerum et simoniaca labes arguitur, jubenturque Episcopi Victor et Columbus de tota ejus caussa cognoscere.

(2) *Analect. T. III.*
(3) *Cl. VI. n. 122.*
(4) *De schism. Donat. lib. I. c. 14.*
(5) *v. lib. III. contra Cresc. c. 27. et epist. 43.*
(6) *epist. 43. n. 6.*
(7) *Cognit. I. n. 209.*
(8) *lib. 12. epist. 28. et 29.*

DCVI. TIGNICENSIS

Finitimos Teglatensibus Tignicenses facit tabula Peutingeri, unde ad Numidiam pertinuisse discimus: nec ignobile oppidum haberi *Tignica* debet, quae in veteri inscriptione apud Maffejum *civitas* appellatur (1), eaque duarum partium, sive quod oppidum fluvius divideret, sive quod Tignicenses alii novi, alii veteres dicerentur. posita enim statua perhibetur *C. Memmio Felici Flamini Aug. Perp. Vtriusque Partis Civitatis Tignicensis* a C. Memmio Fortunato fratre, qui et ipse erat *Flam. Aug. Perp. Vtriusque Partis Civitatis Thignicensis.* eadem fortasse fuit, quae apud Ptolemaeum *Thigiba* pro *Thignica* effertur, et colonia Tibursicae proxima ostenditur.

AVFIDIVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in eaque, postquam subscriptio ejus recitata est, de adversario Donatista

(1) *Mus. Ver. p. 464. n. 4.*

dixit (2), *E diverso habeo Iulianum:* hic vero, *Agnosco*, inquit, *illum:* ac deinde inter suos citatus, ait (3), *Mandavi et subscripsi.*

(2) *Cognit. I. n.* 133. (3) *ibid. n.* 208.

DCVII.

THVCENSIS

Quo in angulo lateret *Tijuca*, ignoramus; nec, si germana lectio est, nomen ipsum alibi, quam in Collatione Carthaginiensi occurrit, ad quam Episcopi convenere non panci, qui neque decessores habuerant, nec successores deinde habuere: quod nempe tum primum ad hoc creati essent, ne adversarii numero pollerent: quibus deinde opus non fuit.

PASCHASIVS. interfuit hic cum Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua vocatus (1), ut se *praesto esse* respondit, de Ecclesia sua addidit, *Sed unitas est illic.*

(1) *Cognit. I. n* 126.

DCVIII.

TIMICITANVS

Oppidum *Timici*, ut Plinius vocat, sive *Timice* ut a Ptolemaeo dicitur, erat in Mauretania Caesariensi, non longe ab Arsenaria colonia, inter fluvios Cartennum et Mulucham. Legioni Aug. tertiae inter alia adtributum fuisse Ptolemaeus idem significat (1).

VICTOR. pertinet hic ad annum CCCCXI. quo Collationem Carthaginiensem cum Catholicis Episcopis celebravit. ut subscriptio ejus recitata est, dixit (2), *Habeo Optatum e diverso:* hic vero accedens ait, *Ipse est:* deinde inter Donatistas vocatus (3) respondit, *Mandavi et subscripsi.*

HONORATVS. numerat hunc Notitia sextum in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem evocatos, simul cum ceteris, qui ad conventum acciti fuerant, relegavit.

(1) *lib. iuI. c.* 3.
(2) *Cognit. I. n.* 135.
(3) *ibid. n.* 197.

DCVIIII.

TIMIDANENSIS

Nomen ab alio oppido ductum videtur, quod in provincia Proconsulari erat, et *Timida Regia* dicebatur. pertinebat autem ad Mauretaniam Caesariensem, ut ex Notitia discimus. sed de hoc apud Geographos nihil traditur.

SECVRVS. quinquagesimus septimus hic est Episcoporum, quos ad conventum Carthaginiensem anno CCCCLXXXIIII. profectos Rex Hunericus cum aliis relegavit.

DCX.

TIMIDAE REGIAE

Neglexere quidem id oppidum Geographi veteres; sed in Ecclesiae fastis obscurum non est. Martyres quippe caelo intulit, quorum memoria

in Kalendario Carthaginiensi ita consignatur: *II. kal. Iun. sanctorum Timidensium.* pertinebat autem ad provinciam Proconsularem, ut ex Episcopis ejus compertum habemus, et municipium erat (1).

FAVSTVS. sententiam hic dixit quinquagesimus octavus in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo coegit anno CCLV. in recentioribus exemplaribus *Confessor* appellatur.

BENENATVS. est hic quadragesimus in albo Episcoporum, qui e provincia Proconsulari Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici cum reliquo collegarum coetu in exsilium acti sunt: ac Benenatus quidem ex eorum numero est, quos Rex in Corsicam deportari jussit.

RESTITVTVS. Concilio hic interfuit, quod Bonifacius anno DXXV. Carthagine celebravit, ejusque subscriptio est hujusmodi (2): *Restitutus Episcopus plebis Timedensium Regiorum.*

FELIX. hic subscripsit epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa fuit ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (3).

(1) v. *in Ann. an.* 413. *n.* 4.
(2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.
(3) *ibid. T. III. p.* 749.

DCXI. TINGARIENSIS

Latet hic, ut opinor, *Tingis*, unde provinciae Tingitaniae nomen fuit: oppidum ultra columnas Herculis situm, quod Plinio *Tingi* est, *quondam ab Antaeo conditum, postea a Claudio Caesare, quum coloniam faceret, appellatum Traducta Iulia.* legit in exeso Melae codice Gronovius, *Atque unde nos sumus, Tingentera* (1): quid si scriptum erat *Tingara*, a *Tingis*, vel potius *Tingis altera?* porro Regis Hunerici aevo Cathedram Tingariensem morte vacuam Episcopus reliquerat, ut Notitia indicat, quae Episcopatum tantummodo recenset: nec alius praeterea occurrit.

At Martyrum duorum, qui eandem urbem illustrarunt, et nomina et Acta ad nos pervenere, quorum alter *Marcellus* Centurio, alter *Cassianus* militaris Exceptor fuit, uterque lauream adeptus anno CCLXXXXVIII. sub Anerlio Agricolano, qui Tingi vices agebat Praefectorum Praetorio. Acta utriusque apud Ruinartium habemus: et in Martyrologiis etiam celebratam eorum memoriam reperies, primi quidem III. kal. Novembr. alterius III. nonas Decembr.

Anno DCC.VII. magnam ibidem Christianorum caedem factam accepimus, quod Mahometis sectam aversati Saracenorum imperium detrectarent. caedis auctor Musa fuit Saracenus Tingitaniae Praetor, qui eo et magistros adduxit, qui Alcoranum docerent indigenas (2).

(1) Mel. Pompon. *lib. II. c.* 6. v. Bochart. *Geogr. sacr. lib. I. c.* 24. *p.* 476.
(2) Anonym. Andalus. *an. Heg.* 88.

DCXII. TIPASENSIS

Oppidum Numidiae *Tipasa* in Itinerario Antonini designatur inter Tagoram et Gazaufulam, nec Ptolemaeo ignotum est, aut in Peutingeri tabulis omissum, ut ut Plinius praeterierit.

RVSTICVS. est hic sexagesimus quintus e Numidicis Episcopis, qui ad conventum Carthaginiensem anno CCCCLXXXIIII. profecti, a Rege Hunerico cum reliquis exsilio multati sunt.

FIRMVS. hunc Episcopi Numidiae anno DXXV. ad Concilium Carthaginiense a Bonifacio iudictum cum quinque sociis legaverunt, cui et ordine quartus subscripsit (1). idem autem et ad Concilium Constantinopolitanum anni DLIII. jam grandis natu profectus esse videtur: quum prima ejus Collatio celebrata dicatur considente cum aliis *Firmo religiosissimo Episcopo Tipasensi Africanae provinciae* (2). minus certe credibile est, successorem ejus hic memorari, qui item *Firmus* diceretur.

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1081. (2) *ibid. T. III. p.* 51.

DCXIII. TIPASITANVS

In Mauretania quoque, quae Caesariensis dicebatur, *Tipasa* fuit, eaque Plinii aevo jam *Latio dato* insignis. in Itinerario Antonini recensetur inter Caesaream et Casas Calventii, et Colonia item appellatur. quot quantaque in hac urbe facinora admiserint Donatistae adversus Catholicos, quo tempore Iulianus Apostata imperium administrabat, sic ob oculos ponit Optatus (1): *Quid commemorem Tipasam Caesariensis Mauritaniae civitatem? ad quam de Numidia Vrbanus Formensis et Felix Idicrensis, duae faculae incensae livoribus cucurrerunt: quietorum et in pace positorum animos perturbantes: nonnullorum officialium et favore et furore juvante, et Athenio praeside praesente cum signis, Catholica frequentia exturbata et cruentata, de sedibus suis expulsa est: lacerati sunt viri, tractae sunt matronae, infantes necati sunt, abacti sunt partus.* nec minora Tipasenses pertulere sub Rege Hunerico: nisi quod bona pars, quum sibi Arianum Episcopum impositum viderent, in Hispaniam trajecerunt. at quibus fuga interclusa fuit, quum Arianorum et blandimenta et minas alacri animo et forti contempsissent, ira in eos Regis exarsit, qui, ut Victor Vitensis scribit (2), *Comitem quemdam cum iracundia dirigens, praecepit, ut in medio foro, congregata illuc omni provincia, linguas eis et manus dexteras radicitus abscidisset. quod quum factum fuisset, Spiritu Sancto praestante, ita loquuti sunt et loquuntur, quomodo antea loquebantur. sed si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc Constantinopolim, et ibi reperiet unum de illis subdiaconem Reparatum sermones politos sine ulla offensione loquentem. ob quam caussam venerabilis ni-*

(1) *de schism. Donat. lib. II. c.* 18. (2) *Pers. Vand. lib. V. c.* 6.

mium in palatio Zenonis Imperatoris habetur, et praecipue Regina mira cum reverentia veneratur.

REPARATVS. est hic ordine nonagesimus nonus in albo Episcoporum Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquo collegarum coetu relegavit. in ipso exsilio obiisse Reparatum nota mortis adscripta docet.

DCXIIII.

TISANIENSIS

Ignotum oppidum *Tisania*, nec a Geographis memoratum. in Numidia tamen fuisse facile crediderim, quod ei solitarius Episcopus, isque Donatista praefuerit: in ea enim provincia frequentes ex ea secta Episcopi fuere, in iis etiam locis constituti, ubi antea nemo pontificatum gesserat.

LIBERANTIVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, atque inter Donatistas citatus (1) ait, *Mandavi et subscripsi:* nec de adversario Catholico mentionem iniecit.

(1) *Cognit. I. n.* 206.

DCXV.

TISILITANVS

Provinciae Proconsulari adscribendum *Tisili* videtur: Episcopus enim ejus Concilio Carthaginiensi Bonifacii interfuit, cujus Episcopi ex eadem provincia fuere plerique omnes, praeter Legatos, quos reliquae provinciae submisere.

DONATVS. Carthaginem hic se anno CCCCXI. ad Collationem contulit, interque Catholicos citatus (1), se *praesto esse* respondit: tum de Ecclesia sua addidit, *Sed non habeo contra me alium Episcopum.* ad quae Petilianus Donatista, *Exivit,* inquit, *de corpore.*

FLORENTINVS. subscripsit hic inter postremos Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius coegit anno DXXV. (2)

( ) *Cognit. I. n.* 121.

(2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

DCXVI.

TITVLITANVS

Ecquod oppidum esset, quod *Titulum* appellabant, apud Geographos non invenio: at fuisse id in provincia Proconsulari, ex Notitia discimus.

CRESCONIVS. adfuit hic Catholicis cum Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in eaque quum se *praesto esse* vocatus respondisset (1), Victorem Donatistam ex adverso habuit, qui procedens ait, *Agnosco illum:* ac deinceps inter suos citatus (2), *Mandavi,* inquit, *et subscripsi.*

CRESCITVRVS. hunc Notitia quinquagesimum primum numerat inter Episcopos provinciae Proconsularis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum profecti, jussu Regis Hunerici in exsilium acti sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 126.

(2) *ibid. n.* 202.

DCXVII.

TIZIENSIS

Nihil de *Tizia* sive *Tigia* traditur a Geographis: neque enim huc trahi possunt *Thizibi* montes, qui ad provinciam Tripolitanam pertinebant. id quippe oppidum, qualecumque fuerit, in Byzacena fuit, ut ex Notitia compertum est.

APTVS. occurrit hic inter Catholicos Episcopos, qui anno CCCCXI. ad Collationem Carthaginiensem convenere. citatus autem (1) quum se *praesto esse* respondisset, adjecit, *Nec habui, nec habemus Episcopum Donatistam.* quod et Primianus Carthaginiensis Donatistarum Princeps confirmavit.

HONORATVS. est hic ordine sexagesimus quintus in albo Episcoporum, qui e provincia Byzacena anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem se contulere, ac subinde Regis Hunerici jussu cum ceteris relegati fuerunt.

(1) *Cognit. I. n.* 120.

DCXVIII.

TONNONENSIS

Provinciae Proconsularis oppidum fuit *Tonno*, quae et *Tenno* et *Tunno* scribitur, ignotum cetera, nisi illud Victor Chronici auctor illustre reddidisset: quem nonnulli *Tunnensem* appellant.

CRESCONIVS. est hic vicesimus primus Episcoporum provinciae Proconsularis, qui anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem a Rege Hunerico in exsilium cum reliquis ejecti sunt. peregre defunctum Cresconium nota mortis adjecta declarat.

OPTATVS. subscripsit hic inter postremos Concilio Carthaginiensi anni DXXV. quod a Bonifacio vocatum est (1).

VICTOR. de hoc Isidorus (2): *Hic*, inquit, *a principio Mundi usque ad primum Iustini junioris imperium brevem per Consules annuos bellicarum ecclesiasticarumque rerum nobilissimam promulgavit historiam laude et notatione illustrem, ac memoria dignissimam. hic pro defensione trium Capitulorum a Iustiniano Aug. exsilio in Aegyptum transportatur: inde rursus Constantinopolim vocatus, dum Iustiniano Imperatori et Euthychio Constantinopolitanae Vrbis Episcopo obtrectatoribus eorundem trium Capitulorum resisteret, rursus in monasterio ejusdem civitatis custodiendus mittitur, atque in eadem damnatione, ut dicunt, permanens moritur.* quod Isidorus ait, Victoris historiam *a principio Mundi* ductam, μνημονικον αμαρτημα est: ipse enim Victor initio testatur, se historiam prosequi, *ubi Prosper reliquit.* in ea et mortem Iustiniani consignavit: itaque vitam produxit ultra annum DLXV.

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082. (2) *de vir. illustr. c.* 38. v. *Annal. an.* 566. *n.* 4.

DCXVIIII. **TRISIPENSIS**

In provincia Proconsulari fuisse *Trisipem*, indicant Acta veteris Concilii Lateranensis. apud Geographos nulla oppidi hujus vestigia reperias. nam quae in Ptolemaeo occurrit *Trisidis*, ea in Tingitania erat.

VICTOR. hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, in qua citatus (1), se *praesto esse* respondit. aderat autem et adversarius ejus Donatista Felicianus, qui ait, *Agnosco illum*. ceterum hic deinde desideratus est.

FELIX. hic subscripsit epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas. in subscriptione vitii aliquid est: nam pro *Trisipensis* appellatur *Trisipelis* aut *Trisipellis* (2).

(1) *Cognit. I. n.* 128. (2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 751.

DCXX. **TROFINIANENSIS**

Nihil de *Trofiniano* exploratum habemus praeter provinciam, in qua censebatur: erat enim in Byzacena, ut Notitia nos edocet.

PROBANTIVS. interfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua postquam subscriptio ejus recitata est, ait (1), *Solus sum*. ceterum Valentinianus Primiani Donatistae Diaconus reposuit, *Presbyterum habet*, Donatistam scilicet; nam quo Episcopum inducere non poterant, Presbyterum submittere Donatistae tum solebant.

HILARINVS. hunc Notitia tricesimum quintum recenset in albo Episcoporum, qui e provincia Byzacena ad conventum Carthaginiensem anno CCCCLXXXIIII. profecti, Regis Hunerici jussu in exsilium acti sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 133.

DCXXI. **TVBIENSIS**

In provincia Sitifensi fuisse *Tubiam*, indicat canon quadragesimus octavus Codicis Africani. nam in Concilio Carthaginiensi anni CCCLXXXXVII. questi dicuntur Legati provinciae Sitifensis Honoratus et Vrbanus (1), Cresconium Villaregiensem, plebe sua derelicta, in Tubiensem invasisse Ecclesiam, e Numidia scilicet in proximam provinciam transgressum.

FELIX. Carthaginem hic anno CCCCXI. ad Collationem profectus, in ea, postquam subscriptio ejus recitata est, de Ecclesia sua dixit (2), *Catholica est sola*.

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 886. (2) *Cognit. I. n.* 133.

DCXXII. **TVBVLBACENSIS**

Provinciae Byzacenae adtribuit *Tubulbam* Notitia: at de ea silent Geographi.

IANVARIANVS. adfuit hic cum Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, utque subscriptio ejus recitata est, de Ecclesia sua dixit (1), *Vnitas est Catholica, non contra me habeo Episcopum in civitate mea.*

TERENTIANVS. hic septimus est in albo Episcoporum, qui anno CCCCLXXXIIII. e provincia Byzacena Carthaginem conventus caussa profecti, Regis Hunerici jussu relegati fuere.

(1) *Cognit. I. n.* 136.

DCXXII. TVBVNENSIS

Praeter Tubunam Numidicam agnoscenda est *Tubuna* in Mauretania Caesariensi, quae a Ptolemaeo etiam memorata fuit. hanc Notitia inter urbes recenset, quarum Cathedrae ibidem Episcopos non habebant, quum edictum illud a Rege Hunerico promulgatum est, quo omnes Episcopi undique Carthaginem convenire jubebantur. quod autem in tot aliis Africae oppidis commune est, neque priorum neque posteriorum Episcoporum nomina, qui huic praefuerint, ad nos usque pervenere.

DCXXIII. TVBVNIENSIS

Numidiae oppidum *Tubuna*, quae et *Thubunae*, non longe a Thagaste et Hippone Regio fuisse videtur: eodem siquidem convenere aliquando Alypius et Augustinus, ut cum Bonifacio Comite de novo vitae genere dissererent, quod ille amplexurus esse videbatur. *Soli*, inquit Augustinus ad Comitem scribens (1), *tecum eramus, ego et frater Alypius.* ac rursum (2): *si enim conjugem non haberes, dicerem tibi, quod et Tubunis diximus, ut in sanctitate continentiae viveres.* porro Tubunae tendebant milites sub dispositione viri spectabilis Comitis Africae Limitanei: nam in Notitia Imperii Occidentalis memoratur *Praepositus Limitis Tubuniensis.* lege vero infra quae de Cresconio dicemus Villaregiensi, quem alium a Cresconio hoc nostro fuisse statuendum est.

NEMESIANVS. sententiam hic dixit ordine quintus in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo vocavit anno CCLV. nec dubium est, ipsum esse, quem in epistolis suis saepe memorat Cyprianus (3), inter Episcopos Numidicos: cujus et epistolam habemus (4), quam suo et sociorum nomine in metallo constitutus ad Cyprianum scripsit. idem et in Kalendario Carthaginiensi locum postea habuit mense Decembri.

CRESCONIVS. adfuit hic cum Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua, ut se *praesto esse* respondit, ex adverso habuit

(1) *epist.* 220. *n.* 3.
(2) *ibid. n.* 12.
(3) *epist.* 60. 70. 77.
(4) *inter Cypr. epist.* 78. v. Boll. *T. III. Sept. p.* 483.

Protasiom (5), qui ait, *Agnosco illum.* atque hic ille est Protasius, quem Donatistae unum e septem Actoribus suis constituerunt (6).

REPARATVS. hic ordine septuagesimus secundus est in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis relegavit.

(5) *Cognit. I. n.* 121. (6) *ibid. n.* 148.

DCXXV. TVBVRBITANORVM MAIORVM

Geminam *Tuburbin* Plinii aevo fuisse, vix puto. hic enim unam ciet *Tuburbin coloniam* (1). quin et Cypriani temporibus nondum ea apposito distinguebatur. nec sub initia saeculi quarti discrimine etiamtum egebat, quemadmodum ex Concilio Arelatensi discimos. at in Collatione Carthaginiensi ac deinceps Tuburbitani occurrunt *Majores* et *Minores.* otrumque autem oppidum in provincia Proconsnlari fuisse extra controversiam est. atque hoc quidem, cui a vetustate etiam laus est, clarissimi quoque Martyris gloria commendat. is fuit *Servus Tuburbitanae civitatis majoris generosus et nobilis vir*, cojus martyrium describit Victor Vitensis (2): gravia multa sub Genserico, gravissima et maxima sob Hunerico perpessus. quamquam non hic primus Tuburbi Martyr fuit: exhibet enim Kalendarium Carthaginieose *III. kal. Aug. Sanctarum Tuburbitanarum et Septimiae* memoriam, quas quidam *Perpetuam* et *Felicitatem* eximias illas Africae Martyres esse putaverunt: alii contra *Maximam, Donatillam* ac *Secundam* fuisse, quae sane eodem die in Latinis Martyrologiis celebrantur. sed has Ado ad diem III. kal. Aug. Martyrio defunctas scribit *civitate Tuburbo Lucernariae*: de qua appellatione veteres nihil tradidere. in aliis Martyrologiis scriptum est *Apud Africam civitate Lucernaria* aut *Tuburbi Lucernariae* (3). nomen illi haesisse ab officina fictilium lucernarum, qoas inde Afri petereot, non ioepte credas. sic enim et Boseth *Amphoraria* dicta videtur.

SEDATVS. interfuit hic Coocilio Carthaginiensi anni CCLV. quod Cyprianus tertium de Baptismo vocavit, in quo et senteotiam dixit ordine decimus octavus.

FAVSTVS. occorrit hic inter Patres Africanos, qui ad Concilium Arelatense aooo CCCXIIII. profecti sunt, ejusque canones subscriptiooe sua confirmarunt (4). eundem esse, quem Augustinus (5) *Faustinum* appellat, perspicuum arbitror: Caeciliani enim Carthaginiensis designat tempora, quocum Faustus ad synodum Arelatensem se contulerat.

CYPRIANVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qoa, ut subscriptio ejos recitata est, de adversario Dooatista dixit (6),

(1) *H. N. lib. v. c.* 4.
(2) *Pers. Vand. lib. v. c.* 2.
(3) v. Boll. *T. vII Iul. p.* 146
(4) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 267.
(5) *ad Donat. post. Collat. c.* 22. *n.* 33.
(6) *Cognit. I. n.* 135.

E diverso est Rufinus: qui accedens ait, *Agnosco illum;* ac postea inter suos citatus respondit (7), *Mandavi et subscripsi.*

BENENATVS. hunc Notitia quinquagesimum secundum numerat in albo Episcoporum, quos e provincia Proconsulari accitos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthagine cum aliis in exsilium ejecit.

(7) *ibid. n.* 201.

DCXXVI. TVBVRBITANORVM MINORVM

In Itinerario Antonini cietur *Tuburbo Minus* inter Cluacariam et Cigisam, quam Carthago sequitur. apparet idem etiam in Peutingeri tabulis. Geographi priores unum tantum recensent.

VICTOR. Carthaginem hic quidem anno CCCCXI. petierat, ut Collationi adesset: sed quo die Collatio coepta haberi, sontica de caussa abfuisse videtur: Isaac enim Vtinensis ita pro eo subscripsisse dicitur (1): *Qui supra pro Victore Episcopo Tuburbitanorum minorum coram V. C. Tribuno et Notario Marcellino subscripsi, eum suprascripta mandasse praesentem Carthagine.* at non aberat adversarius ejus Donatista Maximinus, qui ait, *Agnosco illum:* ac deinde inter gregales citatus respondit, *Mandavi et subscripsi* (2).

(1) *Cognit. I. n.* 133. (2) *ibid. n.* 203.

DCXXVII. TVBVRNICENSIS

Acta veteris Concilii Lateranensis *Tuburnicam* in provincia Proconsulari fuisse testantur. itaque, nisi fines provinciarum postea mutatos statuas, alia fuit *Thuburnica colonia* Ptolemaei, sive Thuburnicense oppidum Plinii, quod Numidiae adtribuitur.

REPOSTVS. pertinet hic ad Cypriani tempora, qui de eo meminit in epistola LV. quam ad Cornelium Pont. Max. scripsit, at ellogio plane probroso: haec enim Cypriani verba sunt: *Qui non tantum in persequutione ipse cecidit, sed et maximam partem plebis suae sacrilega persuasione dejecit.* ceterum in Episcopatu designando variant codices, sic tamen, ut hujus urbis in nomine vestigia sint aliqua, alterius nulla. *Suturnicensis* et *Quaturnicensis* et *Uturnicensis* frequentius: in quibusdam *Vrgonensis Sutunurcensis, Suturgensis* legitur, quae quo referri possint, non apparet.

AENEAS. fuit hic e viginti Episcopis, qui anno CCCCXI. postremi Carthaginem pervenere, postquam ceteri Mandato subscripserant, quo Actores Catholicorum designati fuere. itaque inter eos accedens ait, *Mando et consentio* (1).

CRESCENS. hic subscripsit epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (2).

(1) *Cognit. I. n.* 215. (2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 749.

DCXXVII. **TVCCAE NVMID.**

Oppidum *Tuccam* in Numidia agnoscit Ptolemaeus inter Ampsagam et Rubricatum amnes, quod aliud a Thucca Sitifensi fuit, nec longe a Milevo.

SATVRNINVS. sententiam hic dixit in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus celebravit anno CCLV. tertium de Baptismo: quinquagesimus secundus ordine fuit, et in recentioribus exemplaribus *Confessor* appellatur.

SABINVS. adfuit hic cum Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, ac citatus (1) se *praesto esse* respondit. verum Adeodatus Milevitanus Actor Donatistarum sic de eo questus est: *In dioecesi mea est ordinatus; ex presbyterio meo est.* cui Sabinus: *Quum saepe a civibus meis peterer, ut eos in communionem Ecclesiae Catholicae suscepissem, rogaverunt eam, ut eis Episcopus daretur: petierunt me et ordinatus sum.* contra Adeodatus, *Quem*, inquit, *habuit decessorem? edicat, in cujus locum successit.* jamdiu nempe Tuccenses a Catholicis defecerant: nam ad ea Marcellinus V. C. interrogavit, *Constat, non ibi fuisse Catholicam?* eique Adeodatus respondit, *Non.* de hoc ipso obloquutus fuerat Petilianus: *Nam etiam*, ajebat (2), *in plebe praesentis sanctissimi collegae ac fratris mei Adeodati, id est in civitate Milevitana ita commissa res est, ut unum ibidem habeat adversarium, alterum in Tuccensi civitate, quae ad hujus scilicet plebem antiquitus pertinet, et ante biennium esse videtur constitutus.*

(1) *Cognit. I. n.* 130. (2) *ibid. n.* 65.

DCXXVIII. **TVCCAE PROV. PROCOS.**

Erat urbs *Tucca* ultra Hipponem Diarrhytum in Zeugitana mediterranea, nec longe a Cirna monte, si Ptolemaeum audias. in Concilio Cypriani *Thucca* aut *Tugga* dicitur, aliquot saltem in codicibus: quam lectionem binae apud Maffeium inscriptiones confirmant, unde etiam oppidi dignitas proditur: in altera enim *Civitas Thugga* (1), in altera *Municipium Liberum Thugga* (2) appellatur. aliud autem oppidum erat *Tucca Terebinthina*, quae in Antonini Itinerario occurrit, et ad fines Byzacenae provinciae sita ostenditur, ut alibi indicavimus (3). Castellum hoc nomine prope Bagam a Iustiniano conditum memorat Procopius (4).

HONORATVS. interfuit hic anno CCLV. Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus tertium de Baptismo coegit, sententiamque in eo suam protulit ordine septuagesimus septimus.

(1) *Mus. Ver. p.* 457. *n.* 6.
(2) *ibid. p.* 459. *n.* 1. *et* Spon. *Misc. p.* 194.
(3) *in Episc. Thuccabor.*
(4) *de aedif. Iust. lib. VI. c.* 5.

PASCHASIVS. erat hic e grege Donatistarum, quibuscum anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi praesens (5), ut citatus est, dixit, *Mandavi et subscripsi:* nec de Episcopo Catholico mentionem intulit.

VICTOR. hic subscripsit epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum contra Monotheletas (6). ceterum ut mendosae fere sunt eae subscriptiones, appellatur hic *Episcopus sanctae Ecclesiae Municipii Togiae.*

(5) *Cognit. I. n.* 187.

(6) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 749.

DCXXX. TVLANENSIS

Nihil a Geographis de *Tulana* traditur: oppidum fuisse provinciae Proconsularis, Notitia indicat.

PASCHASIVS. quinquagesimus quartus hic est, et agmen claudit, in albo Episcoporum, qui e provincia Proconsulari anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum profecti, jussu Regis Hunerici relegati fuere.

DCXXXI. TVNEIENSIS

Id oppidum est, unde hodie Tunetano barbarorum regno nomen est. nec olim ignobile erat: plerique enim veterum scriptorum meminere, Polybius, Strabo, Livius, qui *Tuneta* Graeco more appellat: nam Graecis in recto Τυνης est et Τυνις. stat in eodem sinu, in quo Carthago fuit: *Abest,* inquit Livius (1), *ab Carthagine XV. millia ferme passuum, locus cum operibus, tum suapte natura tutus, qui et ab Carthagine conspici, et praebere ipse prospectum cum ad urbem, tum ad circumfusum mare urbi posset.* muros Tunetis Diodorus quoque Siculus commemoravit (2). quae Ecclesiae Tunetanae prisca decora fuerint, ignoramus: at commemorare Martyrem possumus praeclara ibidem confessione defunctum, quum nulla illic Ecclesia jam esset. is fuit Alpinus quidam adolescens, nomine Antonius, quem Antoninus, qui postea Florentinorum Pontifex est renunciatus, inter sodales Dominicianos circa annum M.CCCC.XXXX. receperat. captum eum a piratis, quum e Sicilia Neapolim navigaret, et Tunete in carcerem conjectum traditur: ibi, quamquam Christianos socios invenerat, aegre eam molestiam tulisse; neque e custodia subinde eductum, sapientius captivitatis incommoda tolerasse: atque oblitum denique divinam legem religionemque suam, ad Mahometanorum sectam misero defecisse, uxoremque duxisse: quod in Actis ejus (3) contigisse dicitur III. kal. Apr. anno M.CCCC.LVIIII. sed idem anno insequenti, quum de Antonini Archiepiscopi, qui recens decesserat, sanctissimo exitu magnisque miraculis multa

(1) *lib. XXX. c.* 9.

(2) *lib. XX. c.* 33.

(3) *Edit. ab Orsio post Dissert. apol. pro Orthod. SS. MM. Perp. et Fel.* v. Boll. *T. VI. Aug. p.* 530.

ab Italicis mercatoribus accepisset, repente percolsos et ad sanam mentem revocatus, primum uxoreio rejecit, et scelus suum detestari coepit, ad omnia pietatis officia reversus mox et veteris professionis suae insignibus indutus, nt regem barbarum, qui aberat, Tuneta rediisse comperit, iovicto animo ad eum se contulit, et Christiannm se, ac mori paratum palam praedicavit. post talem confessionem carceri addictus, vexatus, caesus, omnia constantissime pertulit: ac demum sententia io eum dicta, IIII. id. Apr. anno M.CCCC.LX. lapidibus obrutus est.

Porro apnd eandem urbem Oliva etiam virgo Panormitana Martyrium fecisse dicitur, quae apud cives snos colitur IIII. id. Iunias. at incertum, qno illa saeculo, ne dum aono, palmam tulerit. a Saracenis necatam, fama est (4), qunm in Africam exsulatom venisset.

Deniqne in agro Tunetano ex morbo decessisse constat (5) Regem Galliae sanctissimum Ludovicnm ejus nominis nonum, quum indicto Saracenis bello, Carthagioem jam cepisset, an. M.CC.LXX.

LVCIANVS. Carthagioem hic petiit aono CCCCXI. Collationis caussa, in eaque, nt citatos (6), se *praesto esse* respondit, de Ecclesia sua adjecit, *Vnitas est illic.*

SEXTILIANVS. hnnc Patres Coocilii Proconsularis anno DLIII. ad Coocilium Constaotioopolitanum misere, ot Archiepiscopi Carthaginiensis vice fungeretur. itaqoe post Patriarchas et tres Archiepiscopos, Thessalonicensem, Caesareensem Cappadociae et Ephesinnm, ita subscripsit (7), *Sextilianus misericordia Dei Episcopus Ecclesiae Catholicae Tuniensis, agens vicem Primosi Archiepiscopi Iustinianae Carthaginis totiusque Concilii provinciae Proconsularis tam pro illo vel illis, quam pro me ipso, similiter.*

(4) v. Boll. *T. II. Iun. p.* 295.
(5) v. Boll. *T. V. Aug. p.* 615.
(6) *Cognit. I. n.* 128.
(7) apud Hard. *Conc. T. III p.* 201.

DCXXXII. TVNVDENSIS

Oppidum Numidiae *Thunusidense* a Plinio appellatnm, a Ptolemaeo *Thunusda* dicitor; at in Collatione Carthaginiensi Episcopus *Tunusudensis* et *Tunudensis* andit. apud Victorem Vitensem occurrit *Tinuzuda* (1), qnae in aliis codicibus effertur *Thunazuda*, *Tunuzada* et *Tumiruda*. in hoc oppido Catholicos ab Arianis foede vexatos idem scribit sub Genserico. id erat inter Hippooem et Tabracam.

IANVARIVS. ioterfuit hic aooo CCOCXI. Collatiooi Carthaginiensi, et in Catholicornm numero censns, quum se *praesto esse* respondisset, habuit ex adverso Victorianum Donatistam, qui accedens ait, *Agnosco illum* (2): idemque postea ioter soos citatus dixit (3), *Mandavi et subscripsi.*

(1) *Pers. Vand. lib. I. c.* 13.
(2) *Cognit. I. n.* 120.
(3) *ibid. n.* 201.

DCXXXIII. **TVNVGABENSIS**

Haec ne *Thunuba* est Ptolemaei ad Mampsarum montem in provincia Proconsnlari? favet huic opinioni, quod de oppidi hujus Episcopo Donatista in Collatione interloquutus sit Primianus Carthaginiensis.

NIVENTIVS. adfuit hic anno CCCCXI. cum Catholicis Episcopis Collationi Carthaginiensi, utque vocatus se *praesto esse* dixit (1), de Ecclesia idem sua adjecit, *Non ibi habeo contra me Episcopum.* ad haec Primianus, *Damnatus*, inquit, *est in caussa adulterii: tamen illic fuit usque ad annum praesentem.* at praeclari hujus e secta sua Episcopi nomen non enunciavit.

(1) *Cognit. I. n.* 129.

DCXXXIIII. **TVRDITANVS**

Oppidum provinciae Byzacenae antiquis scriptoribus cognitum fuit *Tusdrus*, saepe et *Tysdrus* (1) et *Tisdra* appellatum, quod demum et *Turdus* dici coepit. erat inter Leptim minorem et Usulam, ut Antonini Itinerarium demonstrat: idque Hirtius non magnum ostendit (2): quamquam subinde famam fecit Gordianus Aug. quem ibi milites Imperatorem salutaverunt (3). Concilium ibidem celebratum anno CCCCXVII. discimus ex synodo Teleptensi, et ex Ferrando, qui binos ejusdem canones profert (4).

HELPIDIVS. fuit hic e Donatistis Maximiani studiosis, qui Concilium Cabarsussitanum anno CCCLXXXXIII. contra Primianum Carthaginiensem celebravere: ac nomen ejus legitur in subscriptionibus epistolae, quam de Primiani damnatione ad omnes Africae Episcopos miserunt (5).

NAVIGIVS. adfuit hic cum Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, utque vocatus se *praesto esse* respondit (6), ab Honorato Donatista adversario ejus agnitus est: qui deinde (7) inter suos citatus ait, *Mandavi et subscripsi.*

BENERIVS. subscripsit hic inter primores epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa fuit ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus novitates Monotheletarum. subscriptio autem fuit hujusmodi (8): *Benerius humilis misericordia Dei Episcopus sanctae Ecclesiae civitatis Turditanae, ut supra.*

(1) Tertull. *ad Scapul. c.* 4.
(2) *de Bell. Afr. c.* 97.
(3) Capitol. *in Gordian. c.* 7.
(4) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1252.
(5) apud Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20.
(6) *Cognit. I. n.* 121.
(7) *ibid. n.* 206.
(8) apud Hard. *ibid. T. III. p.* 739.

DCXXXV. **TVRREBLANDINVS**

Obtinuisse apud Afros, ut suburbana divitum *Turres* appellarentur, indicat Livius, qui de Hannibale scribens Carthagine clam digresso, ut

ad Antiochum confugeret, *postero*, inquit (1), *die mane inter Achollam et Thapsum ad suam Turrim pervenit.* porro *Turris Blanda* in provincia Byzacena erat, ubi et Hannibal habuerat. notum id ex Notitia atque ex Actis veteris Concilii Lateranensis.

MAXIMINVS. erat hic e grege Donatistarum, quos inter an. CCCCXI. in Collatione Carthaginiensi citatus (2) ait, *Mandavi et subscripsi:* nec de Catholico Episcopo mentionem intulit.

PAVLLVS. hunc Notitia nonagesimum septimum recenset in albo Episcoporum, qui e provincia Byzacena anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici cum reliquo collegarum coetu relegati sunt. peregre defunctum Paullum adjecta mortis nota declarat.

DATIANVS. hic tertius subscripsit epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. ad Constantinum Aug. Heraclii filium missa est contra Monotheletas (3).

(1) *lib.* 33. *c.* 20. *n.* 48.
(2) *Cognit. I. n.* 208.
(3) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 739.

DCXXXVI.

TVRRENSIS PROV. BYZAC.

Vicum oppidumve *Turrim*, cognomine omisso, in provincia Byzacena agnoscit Notitia, cujus initium non aliud fortasse, quam turris fuerat, perfugium adversus barbaros, in quam se agrestes reciperent, si qua incursio fieret.

MAXIMIANVS. Carthaginem hic se anno CCCCXI. ad Collationem contulit, in eaque citatus, quum se *praesto esse* respondisset (1), addidit, *Sed non contra me habeo Episcopum.* ei autem maculam adspergere conatus est Adeodatus Donatista, qui *Noster*, inquit, *fuit.*

MENSIVS. est hic ordine vicesimus octavus inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum accitos, simul cum ceteris exsilio affecit.

(1) *Cognit. I. n.* 121.

DCXXXVII.

TVRRENSIS NVMID.

Memorat Itinerarium Antonini *Turrim Caesaris* in Numidia, nec longe a Cirta. at vero in Collatione nullum appositum legimus: sed tamen ad agrum Mustitanum pertinuisse indicatur.

SAMSVCIVS. hujus bis meminit Augustinus (1), et hominem non multarum litterarum, idoneum tamen ad disputandum contra Donatistas a se haberi declarat. *Est hic*, inquit (2), *frater et collega meus Samsucius Episcopus Turrensis Ecclesiae, qui nullas tales* (litteras) *didicit, quales iste dicitur formidare.* is erat Proculejanus Episcopus Donatista. *Ipse*

(1) *epist.* 34. *et* 83.
(2) *epist.* 34. *n.* 6.

adsit, agat cum illo: rogabo eum, et, ut confido, in nomine Christi facile mihi concedet, ut suscipiat in hac re vicem meam, et eum Dominus pro veritate certantem, quamvis sermone impolitum, tamen vera fide eruditum, sicut confidimus, adjuvabit. scribebat antem haec Augustinns anno CCCLXXXXVI. idemqne anno CCCCV. cum eodem se colloquutum, in altera epistola testatnr.

DONATVS. ciet hunc in Collatione Carthaginiensi anni CCCCXI. Victorianus Catholicus Episcopns plebis Mnstitanae, qui ait (3), *Habeo Felicianum Mustitanum et Donatum Turensem contra me.* ceternm Donatus ad Collationem venisse non videtur, aut certe nomen excidit.

(3) *Cognit. I. n.* 121.

DCXXXVIII. TVRRETAMALLIENSIS

In provincia Byzacena extrema fuit *Turris Tamalliensis*, quae et *Tamallumensis* appellatnr. in Itinerario Antonini Iter describitnr, *quod Limitem Tripolitanum per Tnrrem Tamalleni a Tacapis Leptim Magnam ducit.* nomen a proximo oppido Tamallene inditnm fnisse, non est ambigendum.

GAVDENTIVS. Carthaginem hic se contulit anno CCCXXXXVIII. ad Concilinm, qnod Gratus indixerat, in ejnsqne praefatione cum decem primis cietur (1).

SABRATIVS. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, habuitque in ea adversarium Donatistam nomine Inratam, qui, ut ipse se *praesto esse* vocatus respondit (2), ex adverso accedens ait, *Agnosco illum*, ac deinde inter suos citatus dixit (3), *Mandavi et subscripsi.*

PENTASIVS. occurrit hic inter postremos, qui subscripsere epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa fnit ad Constantinnm Ang. Heraclii filinm adversus Monotheletas (4). in oppidi appellatione vel scribae mendum inest, vel jam vulgo immutata fuerat: dicitur enim ille *Episcopus sanctae Ecclesiae Turrium Tamulus.*

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 685.
(2) *Cognit. I. n.* 126.
(3) *ibid. n.* 208.
(4) apud Hard. *ibid. T. III. p.* 740.

DCXXXVIIII. TVRRIS ALBAE

Vicum Nnmidiae fnisse *Turrim Albam*, indicio est Episcopus Donatista, qui solus illic pontificatum gerebat; tum similis per eam provinciam vicorum appellatio non infrequens.

VERIANVS. adfuit hic cnm Donatistis suis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et citatus (1) ait, *Mandavi et subscripsi*, nulla Episcopi Catholici, qui ei adversaretur, mentione facta.

(1) *Cognit. I. n.* 198.

DCXXXX. **TVRRIS ROTVNDAE**

Hunc quoque Numidiae vicum cum Harduino fuisse puto: eadem enim indicia sunt, quae modo commemorabam. et erat caussa, cur in eo tractu villae munita loca haberent, quod bona Numidarum pars barbarorum more viveret, et in Romanos fines saepe praedabunda effunderetur.

DONATVS. apparuit hic etiam anno CCCCXI. inter gregales Donatistas in Collatione Carthaginiensi, et vocatus dixit(1), *Mandavi et subscripsi.* nec Catholicus contra eum Episcopus adstitit.

(1) *Cognit. I. n.* 208.

DCXXXXI. **TVRRIVM AMMENIARVM**

Ignotum cetera oppidum, in Numidia situm ostendit Notitia. cognomen Punicum habendum est, quod ab *Amma* ductum videri possit; quae vox apud Syros *matrem* designat (1).

VICTOR. est hic ordine centesimus quintus in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquo collegarum coetu in exsilium ejecit.

(1) Bochart. *Phal. lib. I. c.* 7.

DCXXXXII. **TVRRIVM CONCORDIAE**

A fano Concordiae nomen oppido impositum credibile est, atque id ipsum illic conditum esse, quod ibidem foedus aliquod ictum esset. in Numidia fuisse Notitia indicat: Geographi neque has, neque ceteras Turres commemorant, una excepta *Turre Caesaris*, quam in Antonini Itinerario consignatam diximus. ceterum in Martyrologio Florentinii XIII. kal. Mart. legimus, *In Africa civitate Concorde Passio sanctorum Donati, Secundiani.* et in Corbejensi, *In Africa Civitate Concordiae Passio sanctorum Donati, Secundiani, Pamphili:* quos ego Martyres huic oppido potius adscribendos puto, quam coloniae Adrumetinae, quae *Concordia Vlpia Trajana* dicta est.

QVODVVLTDEVS. hunc Notitia octogesimum sextum recenset inter Numidicos Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, jussu Regis Hunerici cum ceteris relegati fuere.

DCXXXXIII. **TVRVDENSIS**

Numidiae *Turudam* facile adscribo, quod de ejus Episcopatu in Collatione interloquutus est Adeodatus Milevitanus. alia alibi indicia frustra quaeras.

VENVSTVS. interfuit hic cum Episcopis Catholicis an. CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, quumque citatus se *praesto esse* respondisset (1),

(1) *Cognit. I. n.* 126.

Adeodatus Actor Donatistarum ultro de Ecclesia Turudensi affirmavit, Catholicam esse, *Non ibi*, inquiens, *habemus.*

DCXXXXIIII. **TVRVZITENSIS**

Manet oppidi nomen *Turuza*, e quo sunt binae inscriptiones apud Maffejum (1). sed *Turzo* apud vetustiores appellatum videtur: sic enim a Ptolemaeo effertur, qui promontorio Mercurii proximum facit, atque adeo provinciae Proconsulari adscribit. in prima Maffeii inscriptione memoratur *Splendidissimus Ordo Turzetanorum*, quae verba florentis municipii speciem offerunt.

SEROTINVS. Carthaginem hic se anno CCCCXI. ad Collationem contulit, utque subscriptio ejus recitata est (2), testimonium de Ecclesia sua dixit his verbis, *Numquam habuit, nec habet.* ad haec vero Habetdeus Primiani Donatistae Diaconus, *Presbyter*, inquit, *est illic Cattus:* cui Serotinus, *Illic est, sed superfluo.*

(1) *Mus. Ver. p. 462. n. 2. et 5.* (2) *Cognit. I. n. 133.*

DCXXXXV. **TVSCAMIENSIS**

Mauretaniae Caesariensi *Tuscamiam* adtribuit Notitia: itaque nihil haec ad Tuscam amnem pertinet, qui procul Numidiam a provincia Proconsulari dividebat. si Halleri codici standum est, *Tuscania* dicebatur: sed neutrum nomen apud Geographos invenies.

MAXIMVS. est hic ordine centesimus decimus in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, jussu Regis Hunerici cum ceteris relegati sunt.

DCXXXXVI. **TVSVRITANVS**

Oppidum provinciae Byzacenae fuit *Tusurus*, quod Ptolemaeo est Τισουρος, in Notitia *Tizurus*, proximum Puteae. inscriptio nostra aetate prodiit Aquilejae, in qua Geminius Restuti filius dicitur *Natus ex civitate Tusuritana Africae Proconsularis* (1). at nihil id officit, sed tantum indicio est, inscriptionem ante Diocletiani aevum Geminii monumento incisam esse, quo tempore tractus Byzacenus ad provinciam Proconsularem spectabat. ad Ecclesiam autem hanc Arzuges quoque pertinuisse videntur, unde se Carthaginem contulisse testatus est Asselicus in Collatione prima Carthaginiensi (2), his usus verbis: *Sub testificatione omnipotentis Dei et Iesu Christi Salvatoris nostri dico, nos sic esse de Arzugibus profectos die tertia kal. Majarum.*

BENENATVS. fuit hic e Donatistis Maximiani studiosis, qui anno CCCLXXXXIII. in Concilio Cabarsussitano Primianum Carthaginiensem dam-

(1) *in Anthol. Rom. an. 1776. n. XVIII.* (2) *Cognit. I. n. 107.*

naverunt: quorum nomina legimus apud Augustinum (3) post synodicam epistolam, quae tum ad omnes Africae Episcopos missa est. ceterum vexata lectio rem facit minus certam. aliquot codices *Tiguritanum* vocant pro *Tizuritanum*, quidam *Tugutianensem*, cujus appellationis nulla alibi vestigia sunt.

ASSELICVS. adfuit hic cum Catholicis Episcopis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, eique se *praesto esse* dicenti contra adstitit Aptus Donatista, qui ait (4), *Agnosco illum:* ac deinde inter suos citatus (5) respondit, *Mandavi et subscripsi.*

FLORENTINVS. hunc Notitia quadragesimum octavum numerat inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem a Rege Hunerico in exsilium cum ceteris ejecti sunt.

(3) *in ps. XXXVI. serm. II. n. 20.*
(4) *Cognit. I. n. 120.*
(5) *ibid. n. 187.*

DCXXXXVII. TVZVDRVMENSIS

Memorat Plinius inter oppida civium Romanorum *Tynidrumense*, quod Ptolemaeo est Θουσδρομον, idque Numidiae adtribuitur. non aliud esse, quod deinde vulgus *Tuzudrumen* appellare coepit, veri, opinor, simile est.

OCTAVIANVS. hic subscripsit inter postremos Concilio Carthaginiensi, quod anno DXXV. a Bonifacio vocatum est (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

DCXXXXVIII. TYZICENSIS

Idem oppidum esse videtur *Tyzica*, atque *Thisica* Ptolemaei, quae in provincia Proconsulari censetur, sub Vtica et Hippone Diarrhyto: cui provinciae Augustinus item *Tyzicam* adscribit.

NOVELLVS. mentionem de hoc facit Augustinus in eo libro, quem ad Donatistas scripsit post Collationem (1): eumque Caeciliani Episcopi Carthaginiensis aequalem fuisse indicat: *An vero,* inquit, *Caeciliani caussa non praejudicat unitati Catholicae, quam tenemus, et cujus societate gaudemus, quum fuerit Caecilianus Carthaginiensis Episcopus, et praejudicat ei caussa Novelli Tyzicensis, Faustini Tuburbitani, quos nec accusandos postea, sicut Caecilianum Felicemque, putaverunt.* tum oppidi provinciam sic designat: *Quorum nomina, immo vero ipsarum, in quibus fuerunt, civitatum nomina, nec universae Africae nota sunt, aut fortasse nec universae Proconsulari provinciae.* quid culparent in his duobus Episcopis Donatistae, non explicat Augustinus: sed eos fortasse, ut Felicem Abtugnitanum, tamquam proditores sacrorum voluminum traducebant.

(1) *cap. XXII. n.* 38.

DCXXXXVIIII.

VADENSIS

Si nullum in Notitia mendum latet, gemina in Numidia *Vada* fuit; binos quippe *Vadenses* Episcopos recenset, eosdemque Numidicos. at alterutrum *Vagensem* fuisse puto: *Vagam* enim Plinius, non *Vadam* agnoscit geminam, ac primam in Numidia, alteram in regione Byzacena (1). *Vada* autem esse videtur, quae Straboni Ουατα est, et cum Thala aliisque Numidiae oppidis memoratur, quae Iubae bello conciderunt (2).

RVFINIANVS. septimus hic est inter Numidicos Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad communem conventum profecti, jussu Regis Hunerici cum reliquo collegarum coetu relegati fuere.

(1) *H. N. lib. v. c.* 4. (2) *lib. xvII. p.* 572.

DCL.

VADENTINIANENSIS

Provinciae Byzacenae *Vadentinianam* adtribuit Notitia, quae potius *Valentiniana* dicenda videtur, ut effertur in Actis veteris Concilii Lateranensis. nomen enim oppido a Valentiniano Aug. datum crediderim, eo, qui tertius dicitur: nam eum in primis Africanorum studiosum latae leges ostendunt.

ROGATIANVS. hunc Notitia octavum numerat in albo Episcoporum, qui e provincia Byzacena Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. conventus caussa petiere, atque inde a Rege Hunerico in exsilium pulsi sunt.

RODIBALDVS. hic ultimus subscripsit epistolae Concilii Byzaceni, quae anno DCXXXXI. missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium contra Monotheletas: appellaturque *Episcopus sanctae Ecclesiae Valentinianensis* (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 742.

DCLI.

VAGALITANVS

Oppidum *Vagal* occurrit in Itinerario Antonini inter Gadaum castra et Castellum Tingitanum, id est in Mauretania Caesariensi, cui et Notitia *Vagal* adtribuit.

MIGGIN. interfuit hic cum Donatistis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et citatus (1) respondit, *Mandavi et subscripsi.* de Catholico autem Episcopo nullum verbum fecit.

CLAVDIVS. est hic ordine vicesimus sextus inter Episcopos, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, jussu Regis Hunerici exsilio cum reliquis multati sunt.

(1) *Cognit. I. n.* 208.

DCLII.

VAGEATENSIS

Vicum Numidiae fuisse *Vageam*, satis indicat Alypius Thagastensis in Collatione Carthaginiensi, quemadmodum superius monuimus, quum de Episcopatu Iucundianensi ageremus. ac fortasse vicani illi *Vageatae* dicti sunt, quod in Vagae Numidicae agro essent, vel quod inde orti, simul alio deducti concessissent.

DONATVS. erat hic e secta cognomine, salusque Donatistis suis praeerat. Carthaginem autem anno CCCCXI. ad Collationem profectus, ut citatus est (1), ait, *Mandavi et subscripsi.* post quem Alypius Catholicus subjecit, *Scriptum sit, istos omnes in villis vel in fundis esse Episcopos ordinatos, non in aliquibus civitatibus.*

(1) *Cognit. I. n.* 180.

DCLIII.

VAGENSIS NVMID.

Inter maxima Nnmidiae oppida numeranda est *Vaga* Latini juris, cujus meminere veteres scriptores non sine laude. nam praeter Silium Pliniumque, eam Plutarchus (1) celebrat, *πολιν μεγαλην* appellans: et ante hunc Sallustius forum ejus (2) *rerum venalium totius regni maxume celebratum* dixerat, ipsam vero civitatem *magnam et opulentem;* quam tum *Vaccam* Latini appellabant. prope Cirtam fuisse, tradit Ptolemaeus, vel potius in Cirtesiorum regione, quam idem a Numidia nova distinguit. ex Actis Mammarii Martyris, quae Mabillonius vulgavit, proximas *Vagae* urbes fuisse discimus Lambesem, Tamugadim, Tigisim, Bosam, quae ultima, quum in provincia Proconsulari censeatur, indicio est, *Vagam* non adeo Cirtae proximam fuisse. Martyrum Vagensium consignata memoria est in Kalendario Carthaginiensi *III. kal. Nov.* ii vero esse putantur Mammarius et socii, qui sane apud *Vagensem Civitatem* comprehensi dicuntur.

AMPELIVS. Carthaginem hic anno CCCCXI. paullo serius, quam ceteri, ad Collationem se contulit: Mandato enim cum ceteris Episcopis Catholicis non subscripsisse constat; nam inter viginti postremos vocatus accessit (3), et ait, *Mando et consentio.* porro cum eodem et *Primulus,* Catholicus item Vagensium Episcopus, accedens dixit, *Mando et consentio.* is nempe Donatista Ampelii adversarius ante fuerat, sed jam errorem abjecerat; itaque ex praescripto, honore non amisso, alter ab Ampelio in ea Ecclesia erat, a quo etiam in Collatione his verbis laudatus est (4): *Perfectam unitatem ex conversione sua cognoscens, rectissimam fidem mecum frater meus Primulus loquitur Episcopus. Episcopus enim tunc fuit partis Donati: nunc conversus demonstrat cum plebe integram fidem ex sua conversione. unitas illic perfecta est, non solum in ipsa civitate, verum etiam in omnibus diocesibus.*

(1) *in Mario p.* 409.
(2) *in Iugur. c.* 47. *et.* 69.
(3) *Cognit. I. n.* 215.
(4) *ibid. n.* 176.

PROFICIVS. hunc Notitia centesimum decimum septimum recenset in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum ceteris exsilio affecit. peregre defunctum nota mortis apposita ostendit. hic porro est, quem Notitia *Vadensem* appellat, quum aut ipsum aut Rufinianum *Vagensem* esse necesse sit. praetuli autem Proficium, quod eum in Notitia cum iis Episcopis cieri viderem, qui minus a Cirta distabant.

ASCLEPIVS. de hoc Gennadius (5): *Asclepius Afer in Bajensi territorio vici non grandis Episcopus, scripsit adversum Arianos et modo adversum Donatistas scribere dicitur. in docendo autem ex tempore, grandi opinione celebratur.* scribebat haec Gennadius circa annum CCCCLXXXXV. enim vero huc referendum *Asclepium* duxi, quod tres saltem codices habeant *in Vagensi territorio;* Vici autem, cui praeerat, nomen ignotum sit.

(5) *de vir. illustr. c.* 73.

DCLIIII. VAGENSIS PROV. BYZAC.

Inter oppida Africae libera post Vlusubritanum in provincia Byzacena situm memorat Plinius *Vagense aliud,* quia prius Numidicam Vagam recensuerat (1), de qua modo diximus. id quoque oppidum Latini veteres *Vaccam* appellasse videntur. *Legati,* inquit Hirtius (2), *ex oppido Vacca, quod finitimum fuit Zettae, veniunt.* est autem *Zetta,* quae aliis *Zella,* Achollae in eadem provincia proxima.

CRESCENS. interfuit hic Concilio Carthaginiensi, quod Gratus vocavit anno CCCXXXXVIIII. et in ejus praefatione cietur inter decem primos, ac proximus Fortunatiano Capsitano, qui provinciae Primas tum fuisse videtur (3).

(1) *H. N. lib. v. c.* 4.
(2) *de Bell. Afric. c.* 74.
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 685.

DCLV. VAGRAVTENSIS

Nomen oppidi a Bagrada fluvio esse videtur, cujus caput in Numidia erat, ultra Tebestem. hnic sane provinciae *Vagrautam* adscribit Notitia.

MARCELLINVS. est hic octogesimus octavus in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum ceteris relegavit.

DCLVI. VALLITANVS

Provinciae Proconsulari *Vallos* adtribuit Itinerarium Antonini, et proxima iis oppida designat Unucam, Corevam, Tuburbin. in codice Theodosiano proposita *Vallis* dicitur lex septima (1) *de Jure fisci,* ex qua Gotofredus constare ait, Rationalem Summarum, cui inscripta lex est,

(1) *lib. x. Tit. I. l.* 7.

Vallis solitum degere, quo tempore Constantius Aug. legis auctor imperium administrabat.

BONIFACIVS Donatista. hic est, quem Donatistae e Cathedra Vallitana in Romanam illam suam promoverunt, et Victoris Garbensis successorem fecere, de quo superius actum est (2). meminit Bonifacii Optatus, inquiens (3), *Si et ipse interrogari posset, diceret, ubi sedit Victor Garbensis, a vestris jamdudum de Africa ad paucos erraticos missus*, se ibi sedisse, non autem in Sede Petri. quae pertinere videntur ad annum CCCXXX. aut huic proximos.

BONIFACIVS Catholicus. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in eaque, ut subscriptio ejus recitata est (4), de Ecclesia sua dixit, *Non habeo*, adversarium scilicet: reposuit autem Valentinianus Primiani Diaconus, *Defunctus est ante annos septem: Restitutus dictus est.*

RESTITVTVS. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius coëgit anno DXXV (5).

(2) *in Episcop. Garbensi.*
(3) *de schism. Donat. lib. II. c. 4.*
(4) *Cognit. I. n. 135.*
(5) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

DCLVII. VAMALLENSIS

Ignota Geographis aut neglecta *Vamalla*, quam tamen in Mauretania Sitifensi fuisse, Notitia indicat.

FLAVIANVS. ultimus hic est, sive quadragesimus secundus in albo Episcoporum, qui anno CCCCLXXXIIII. e Mauretania Sitifensi ad conventum Carthaginiensem profecti, jussu Regis Hunerici in exsilium cum reliquo collegarum coetu acti sunt.

DCLVIII. VANNIDENSIS

Erat *Vannida* in Mauretania Caesariensi, ut ex Notitia discimus: at nullum de ea vestigium apud Geographos.

ROGATIANVS. hunc Notitia quinquagesimum secundum numerat inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum ceteris relegavit. in ipso exsilio obiisse Rogatianum, nota mortis adjecta ostendit.

DCLVIIII. VARARITANVS

In Peutingeri tabulis tribuitur provinciae Byzacenae *Bararus Municipium*, et inter ejusdem tractus oppida occurrit apud Ptolemaeum *Cararus*, ubi fortasse legendum est *Bararus* sive *Vararus:* quod eidem provinciae Notitia adscribit. inde etiam appellatus videtur, qui sub Co-

mite Africae fioes tuebatur, *Praepositus Limitis Balaretani*, qui post *Thamallomensem* in eadem provincia recensetor (1).

IVLIANVS. septuagesimus hic est ex Episcopis proviociae Byzacenae, qui aono CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, jussu Regis Hunerici cum ceteris collegis inde in exsilium pulsi sunt.

(1) *in Not. Imp. Occ. Pancir. c.* 70.

DCLX. **VARDIMISSENSIS**

Pertinebat *Vardimissa* sive *Bartimisia* ad Mauretaniam Caesarieosem; id enim Notitia nos edocet. sed indicium ejus apud Geographos nullum est.

VICTOR. Carthaginem hic se anno CCCCXI. ad Collationem contulit, io eaque, postqnam subscriptio ejus recitata est, de Ecclesia sna dixit (1), *Catholica est.* ac testimonium ejus confirmavit Habetdeos Primiani Donatistae Diaconus, qui ait, *Non habemus.*

BVRCO. hooc Notitia quadragesimom quiutnm receoset inter Episcopos, qoi e Manretania Caesariensi anoo CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, Regis Hunerici jussu exsilio cum reliqois moltati sunt. peregre autem defuoctum Burconem apposita mortis nota declarat.

(1) *Cognit. I. n.* 135.

DCLXI. **VASSINASSENSIS**

Sic primos provinciae Byzacenae Episcopatus effertur in Notitia, nullo Episcopi nomine adjecto. oec litnra in codice Laudensi ulla est, teste Ruinartio, qoi vidit. at idem uescioquem Episcopum *Valerianum Bassianensem* ex Africa cieri ait Actione XV. Coocilii Chalcedonensis, quae nullas habet sobscriptiones. oec vero in ceteris nomen ejusmodi inveni: ut μνημονικον ἁμαρτημα esse putem.

DCLXII. **VATARBENSIS**

De vico oppidove *Vatarbensi* oihil exploratum est. *Vasbariam* et *Urbaram* io Mauretania Caesariensi memorat Ptolemaens inter amnes Malvam et Mulucham: sed oon hoc satis, ut alterutrum esse stntuamus, de quo hic quaerimus.

MARTIALIS. interfuit hic cum Donatistis aono CCCCXI. Collatiooi Carthagioiensi, in eaque (1), ut se *Mandasse et subscripsisse* citatus dixit, protious addidit, *Adversarium non habeo.*

(1) *Cognit. I. n.* 198.

DCLXIII. **VAZIENSIS**

Provinciae Proconsolaris oppidum *Vazua* fuit, quam Ptolemaeus oltra Cirnam mootem collocat in Zeugitana sive Proconsulari provincia medi-

terranea. ibidem militum praesidium fuisse, qui barbaros coercerent, declarat Notitia Imperii Occidentalis, in qua sub dispositione viri spectabilis Comitis Africae Limitanei numeratur *Praepositus Limitis Bazensis*, quem Afri *Vaziensem* dixisse videntur.

VICTOR. adfuit hic inter Catholicos anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua et adversarius quoque ejus Secundinus processit, citatoque Victore, ait, *Agnosco illum* (1); ac subinde inter suos vocatus respondit (2), *Mandavi et subscripsi.*

(1) *Cognit. I. n.* 126. (2) *ibid. n.* 198.

DCLXIIII. VBABENSIS

Haud ignotum Africae nomen *Vbaba*; sed quam Ptolemaeus memorat, in provincia Byzacena erat: haec contra in Mauretania Caesariensi, ut ex Notitia discimus.

INGENVVS. hunc Notitia septuagesimum primum numerat in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem petiere, ut conventui adessent, quem Rex Hunericus indixerat; atque inde, ejusdem jussu, in exsilium cum ceteris ejecti sunt.

DCLXV. VCITANVS

Oppida in Africa civium Romanorum *Vcitana duo* agnoscit Plinius (1) *majus et minus.* horum alterum *Vcibi* a Ptolemaeo dicitur, et in Numidia ultra Naraggaram, austrum versus, designatur: alterum ad provinciam Proconsularem pertinebat, ut Acta veteris Concilii Lateranensis ostendunt, quo de hic agimus. ipsum fortasse fuit, quod *Majus* dici solebat: nam in Collatione Carthaginiensi Donatista Salvianus affirmavit, *Vci majus* ad dioecesim spectare Senis Victoriani, quo nomine duo erant Donatistae Episcopi in provincia Proconsulari Pupitanus et Tigimmensis.

OCTAVIANVS. hic est, qui cum Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi praesens, subscriptione ejus recitata, de Ecclesia sua dixit (2), *Vnitatem habeo:* contra quem Salvianus Donatista, *Senis*, inquit, *Victoriani diocesis est, Presbyterum habet Ianuarium.*

GAIVS. hunc *Vzitensem* pro *Vcitensem* Notitia vocat, nec tamen ad Uzitam oppidum Byzacenae referri potest: eundem enim vicesimum quintum numerat in albo Episcoporum provinciae Proconsularis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum ceteris relegavit. peregre defunctum Gajum nota mortis adscripta ostendit.

TRIPOLIVS. subscripsit hic inter postremos epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (3).

(1) *H. N. lib. v. c.* 4.
(2) *Cognit. I. n.* 133.
(3) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 752.

DCLXVI.

VCVLENSIS

Erat *Vcula* in provincia Proconsulari, ut Acta veteris Concilii Lateranensis nos docent, eaque Carthagini proxima, siquidem sit, quae in Itinerario Antonini *Vnuca* dicitur.

CERICIVS. hic anno CCCCXI. Victori Vticensi, qui ad Collationem Carthaginiensem proficiscebatur, partes suas detulisse videtur: nam ipse Victor, quum pro se respondisset, sic rursum citatus est (1): *Qui supra pro Cericio Episcopo plebis Uculensis;* qui reposuit, *Praesto sum, omnis Catholica est:* cur autem abesset Cericius, non additur.

CRISCONIVS. occurrit hic inter Patres Concilii Proconsularis, qui anno DCXXXXVI. scripsere ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum contra Monotheletas (2).

(1) *Cognit. I. n.* 128. (2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 751.

DCLXVII.

VEGESELITANVS BYZAC.

Vicus aut oppidulum provinciae Byzacenae fuit *Vegesela*, sive, ut in Itinerario Antonini appellatur, *Vegersalla:* pertinebat enim ad coloniam Cilitanam, quemadmodum ex Collatione Carthaginiensi discimus.

PRIVATVS. interfuit hic anno CCCXXXXVIIII. cum Abundantio Adrumetino aliisque provinciae suae collegis Concilio Carthaginiensi, quod Gratus vocavit: in quo et auctor fuit canonis illius, *Non licere Clericum alienum ab aliquo suscipi sine litteris Episcopi sui: neque apud se retinere, nec laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia ejus Episcopi, de cujus plebe est* (1).

PRIVATIANVS. contulit hic se anno CCCCXI. ad Collationem Carthaginiensem, in qua, ut subscriptio ejus prolata est, adversarium ipse suum non Vegeselitanum, sed Cilitanum designavit: ait enim (2), *E diverso est mihi Donatus Cillitanus.* tum hic, *Diaconos*, inquit, *illic habeo, vicina plebs agit, diocesis mea est.* quum autem rogaret Privatianus, *Ubi conveniunt?* reposuit Donatus, *Et loca et memorias Martyrum tamen prohibuisti. Candidum non habui Presbyterum inde?* id est, ut opinor, *nonne Candidum Presbyterum meum tu ejecisti?*

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 686. (2) *Cognit. I. n.* 133.

DCLXVIII.

VEGESELITANVS NVMID.

Occurrit *Vegeselae* mentio in Actis pseudomartyris Marculi (1), quo Donatistarum Legati Marculus ipse et novem alii Macarium, quem Constans Aug. ad Africam pacandam miserat, convenisse dicuntur. ceterum *Possessio,* dicitur, *cui Vegeselae nomen,* unde vicum non magnum fuisse

(1) Mabill. *Analect. T. III. p.* 105.

liquet. plus aliquid Augustini aevo fuisse, indicat idem in epistola ad Quintianum (2): *Plebs,* inquit, *Vigesilitana vobiscum nobis in visceribus Christi carissima, si Episcopum in plenario Africae Concilio degradatum suscipere noluerit, sano capite faciet, et nec cogi potest, nec debet.* Episcopi nomen Augustinus non protulit.

REGINVS. hic esse putandus est, qui ei suffectus fuerit, quem Concilium pontificatu abire jusserat. Augustinus enim designat Concilium Carthaginiense anni CCCCI. Reginus vero Collationis caussa anno CCCCXI. Carthaginem petiit, esto adesse in communi illo conventu non potuerit: quod Bajanensis Episcopi subscriptio declarat, his verbis (3): *Valentinus Episcopus Vajanensis pro Consacerdote meo Regino Ecclesiae Vegeselitanae, qui hic apud Carthaginem infirmitatis caussa detinetur, praesente V. C. Tribuno et Notario Marcellino subscripsi.* rem eandem Alypius quoque Tagastensis Episcopus confirmans ait, *Male habet.* tum vero Habetdeus Primiani Donatistae Diaconus de adversario Regini mentionem intulit, inquiens, *Gavinus praesto est:* qui deinde inter suos citatus (4) dixit, *Mandavi et subscripsi.*

DONATIANVS. quinquagesimus nonus hic est in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. ad communem conventum accitos cum ceteris relegavit.

IANVARIVS. primus hic est post Bonifacium, qui Carthaginiensi Concilio anni DXXV. subscripsit (5): sive quod Primati suo proximus honore haberetur, sive quod pro Episcopo Masculitano primum ei subscribendum esset, qui unus e Legatis Numidiae erat, idemque ob senectutem impar scribendo, has illi partes mandarat: fuit autem subscriptio hujusmodi: *Ianuarius Episcopus plebis Vegeselitanae provinciae Numidiae his placitis in Concilio definitis, a cunctis nobis custodiendis, pro me et pro sancto Ianuario Masculitanae memoratae provinciae, eo quod merito senectutis subscribere non potuit, subscripsi.*

(2) *epist.* 64. *n.* 4.
(3) *Cognit. I. n.* 135.
(4) *ibid. n.* 187.
(5) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1081.

DCLXVIIII.

VELESITANVS

Habuit Numidia et *Velesam* oppidum, ut ex Notitia compertum est; quamquam apud Geographos veteres ignotum, et in una Peutingeri tabula *Velesi* legitur: nisi forte haec illa est Ecclesia, quam Augustinus *Gelizitanam* appellat (1), quae Bagajensi aut Tamogadensi Donatistarum regiis proxima fuisse putanda est. nam Donatistas quosdam adloquens Augustinus, et Acta commemorans veteris schismatis, *Quae omnia,* inquit, *dum excurrimus ad Ecclesiam Gelizitanam, inde ad vestrum oppidum reversuri, bidui non pleni intermissione venerunt, atque, ut nostis, quantum tempus admisit, uno die recitata sunt vobis.*

(1) Aug. *epist.* 43. *n.* 5.

IANVARIVS. est hic ordine octogesimus inter Episcopos Numidicos, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum a Rege Hunerico indictum profecti, exinde jussu ejus in exsilium cum ceteris collegis pulsi sunt.

DCLXX. VENSANENSIS

Nnmidiae adtribuit *Vensanam* Harduinus, de qna nnllum apud Geographos vestigium invenio. vicum ejus provinciae fuisse credibile est, quod unus ei praefuerit Episcopus Donatista, isquo cnm aliis ejusdem provinciae gregalibns Episcopis in Collatione censeatur. ibidem *Subsana* erat prope Hipponem (1).

FORTVNATIANVS. interfuit hic anno CCCCXI. cum Donatistis Collationi Carthaginiensi, in qna citatus (2) ait, *Mandavi et subscripsi:* nec de adversario Catholico mentionem fecit.

(1) Aug. *epist.* 63. (2) *Cognit. I. n.* 202.

DCLXXI. VERENSIS

Oppidnm provinciae Proconsularis, ut Notitia indicat, fuit *Veri*, sic enim effertur in Peutingeri tabnlis: idqne in monumentis Ecclesiae satis notnm, sed apnd profanos scriptores non item.

VITALIS. hic anno CCCXIIII. ad Concilium Arelatense cnm Caeciliano Carthaginiensi profectns, canones, qui tum conditi fuere, subscriptione sna cum ceteris confirmavit: in qna *Episcopus* dicitur *de civitate Verensium* (1).

VITALIS Donatista. cietnr hic in Collatione Carthaginiensi an. CCCCXI. in qua vocatus (2) respondit, *Mandavi et subscripsi*, nec adversarinm Catholicum nominavit. *Vcrensis* scribae vitio dicitur.

QVODVVLTDEVS. hic interfuit Concilio Carthaginiensi an. CCCCXVIII. sub Aurelio, eique inter postremos subscripsit (3).

EXITZIOSVS. hunc Notitia vicesimum sextum numerat inter Episcopos provinciae Proconsularis, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici in exsilinm cum reliquis acti sunt. fnit autem ex iis, qni in insulam Corsicam deportati fuere.

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 268. (3) apud Hard. *ibid. p.* 1251.
(2) *Cognit. I. n.* 208.

DCLXXII. VERRONENSIS

Vnicus vici hujns Episcopus Donatista inter alios Numidicos ejusdem sectae cietur: qnare indicium est non leve, ad eandem provinciam referendam *Verronam* esse.

AEMILIANVS. adfuit hic cum Donatistis suis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et citatus ait (1), *Mandavi et subscripsi*: nec adversarius ejus Catholicus Episcopus memoratus est.

(1) *Cognit. I. n.* 198.

DCLXXIII.

VESCERITANVS

Sitifensis Mauretaniae oppidum Ουεσκεθηρ recenset Ptolemaeus ultra ipsam Sitifim in austrum. id esse, de quo hic quaerimus, ac *Vescer* appellatum fuisse, vix ambigendum videtur.

OPTATVS. adfuit hic cum Catholicis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, habuitque in ea adversarium Donatistam Fortunatum, qui eo se *praesto esse* respondente processit, et ait (1), *Agnosco illum*, ac subinde inter suos citatus dixit (2), *Mandavi et subscripsi.* porro Optatus is esse videtur, ad quem scripsit Augustinus *de animae origine* (3). unus enim Optatus in tota Collatione occurrit Catholicus; epistola autem Augustini scripta fuit anno CCCCXVIII.

(1) *Cognit. I. n.* 120.
(2) *ibid. n.* 187.
(3) *epist.* 190.

DCLXXIIII.

VICENSIS

Provinciae Byzacenae oppidum fuit, quod Antoninus *Vicum Augusti* in Itinerario appellat, inter Adrumetum et Aquas Regias. idem in Concilio Cypriani *Vicus Caesaris* dicitur, et ex Collatione *Vicus* tantum quandoque nominatum videtur, quod ceteris antiquior esset.

IANVARIVS. sententiam hic dixit vicesimus tertius in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus anno CCLV. tertium de Baptismo convocavit.

PASCHASIVS. fuit hic e Donatistis Maximiani fautoribus, qui anno CCCLXXXXIII. in Concilio Cabarsussitano Primianum damnaverunt. appellatur autem in synodica epistola, quam nobis Augustinus servavit, *Paschasius a Vico Augusti Episcopus* (1).

ASTERIVS. hujus subscriptio in Collatione Carthaginiensi an. CCCCXI. ultima recitata est: post quam ait (2), *In ipso solo mecum alius Episcopus non est.* aderat autem Donatista Vrbanus, qui contra ignotum sibi Asterium esse affirmavit: *Deus*, inquit, *videt, quia non illum novi:* idemque postea inter suos citatus (3) respondit, *Mandavi et subscripsi.*

(1) *in ps. xxxvI. serm. II. n.* 20.
(2) *Cognit. I. n.* 143.
(3) *ibid. n.* 206.

DCLXXV.

VICOATERIENSIS

Oppidum item provinciae Byzacenae fuit *Vicus Aterii*, ut Notitia indicat. nomen a fundi domino esse videtur: Ateriorum enim gens Romana erat, ejusque saepe Gruterum (1) mentio fit. Episcopo autem Vicoateriensi parebat Monasterium *de Praecisu*, quamquam id procul esset, atque in media Ecclesia Leptis minoris: quemadmodum Petrus Abbas exposuit in eo libello, quem Bonifacio Carthaginiensi obtulit in synodo anni DXXV.

(1) *p.* 126. *et alibi saepe.*

contra Liberatum Primatem ejusdem provinciae (2), qui in monachorum perniciem multa moliri ferebatur.

ROGATIANVS. erat hic e grege Donatistarum, quibuscum an. CCCCXI. Collationi Carthaginiensi sine adversario Catholico interfuit, utquo citatus est (3), respondit, *Mandavi et subscripsi.*

PACATVS. hunc Notitia nonagesimum secundum numerat inter Episcopos provinciae Byzacenae, qui anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici cum reliquo collegarum coetu relegati sunt.

EBASIVS. subscripsit hic epistolae Concilii Byzaceni, quae an. DCXXXXI. missa fuit ad Constantinum Aug. Heraclii filium contra errores Monotheletarum (4).

(2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1087.
(3) *Cognit. I. n.* 198,
(4) apud Hard. *ibid. T. III. p.* 739.

DCLXXVI. VICOPACATENSIS

Numidiae adscribit Notitia *Vicum Pacis*, quo nomine alii alibi Vici fuere. de hoc tamen nihil ab antiquis traditum reperio. porro et *Pacensem* dictum fuisse, constat.

FLABIANVS. agmen hic claudit ordine centesimus vicesimus tertius in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum ceteris exsilio affecit.

FLORENTIANVS. adfuit hic anno DXXV. Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius vocarat, eodem a provincia sua legatus: quare eidem tertius a Bonifacio subscripsit (1). interloqnutus autem de litteris, quas a Primate suo attulerat, eum excusavit, quod eum, ne adesset, senectutis imbecillitas retardasset (2).

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1081.
(2) *ibid. p.* 1073.

DCLXXVII. VICOTVRENSIS

Provinciae Proconsulari *Vicum Turris* adscribit Harduinus, nec immerito: Episcopus enim ejus in Bonifacii Concilio cietur, in quo plerique omnes Episcopi, praeter Legatos provinciarum, indidem erant.

PASCHASIVS. occurrit hic inter Donatistas, qui Collationi Carthaginiensi anno CCCCXI. adfuere, sed *Turrensis* tantum appellatur (1). ceterum huc omnino revocandus est, quum reliqua oppida, quae *Turres* dicebantur, aut Donatistam Episcopum non habuerint, aut proprios singula tum submiserint, aliis nominibus designatos.

FELIX. subscripsit hic inter postremos Concilio Carthaginiensi anni DXXV. quod Bonifacius celebravit (2).

(1) *Cognit. I. n.* 197.
(2) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

DCLXXVII. VICTORIANENSIS

Fuit quidem in Mauretania Caesariensi oppidum *Victoria*, quod Ptolemaeus memorat: sed nihil illud ad *Victorianam*, de qua hic quaerimus. erat enim haec in provincia Byzacena, ut ex Notitia, itemque ex Concilio Constantinopolitano II. discimus. quare etiam a Victoriana villa distinguenda est, quam Augustinus ab Hippone Regio minus triginta passuum millibus abesse scribit (1).

SATVRNINVS. Carthaginem hic ad Concilium se contulit, quod Cyprianus tertium de Baptismo vocavit anno CCLV. in eoque sententiam suam pronunciavit ordine quinquagesimus primus.

GETVLICVS. fuit hic e Donatistis Maximiani studiosis, qui anno CCCLXXXXIII. in Concilio Cabarsussitano Primianum Carthaginiensem damnaverunt, ut ejus Concilii synodica ostendit (2).

RVFINIANVS. est hic ordine octogesimus octavus in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum accitos cum ceteris relegavit. hunc esse Rufinianum illum Episcopum, quem in proxima Siciliae insula degentem sanctus Fulgentius Aegyptum et veteres illas monachorum latebras cogitans, consuluit (3), opinio Ruinartii est veri plane similis.

POMPEIANVS. navigavit hic sub annum DLIII. Constantinopolim, ut Concilio oecumenico V. adesset: cui et subscripsit his verbis (4): *Pompejanus misericordia Dei Episcopus sanctae Ecclesiae Catholicae civitatis Victorianae provinciae Byzacenae, similiter.*

(1) *de C. D. lib. XXII. c.* 8. *n.* 7. (3) *in vit. s. Fulg. c.* 13.
(2) apud Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20. (4) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 203.

DCLXXVIII. VILLAMAGNENSIS PR. PROCOS.

Recenset Itinerarium Antonini *Villam Magnam* inter oppida regionis Syrticae ultra Tacapas, atque adeo in provincia Tripolitana. at haec, de qua agimus, in Proconsulari fuit, ut Acta veteris Concilii Lateranensis demonstrant: esto, de ea Geographi nihil tradiderint.

AVGENDVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et subscriptione ejus recitata, testimonium de Ecclesia sua dixit (1), *Catholica est tantum.* ad quae Primianus Donatista, *Ipse*, inquit, *est, qui jamdudum ad illam partem transiit.*

CYPRIANVS. subscripsit hic inter postremos epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (2).

(1) *Cognit. I. n.* 133. (2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 752.

DCLXXX. VILLAMAGNENSIS NVMID.

In Numidia potius, quam alibi vicum alterum fuisse, qui *Villa Magna* diceretur, indicat Episcopus Donatista inter alios gregales citatus in Collatione. bonum horum numerum vel in solo agro Hipponensi fuisse, testis est Augustinus, qui in epistola ad Ianuarium Donatistam Episcopum Casarum Nigrensium ait (1): *Ecce interim Episcopos vestros, qui sunt in regione Hipponensi, ubi a vestris tanta mala patimur, convenite.*

ROGATIANVS. hic anno CCCCXI. in Collatione Carthaginiensi citatus (2), *Mandavi*, inquit, *et subscripsi: adversarium non habeo.* itaque referri hic non potest ad Villam Magnam provinciae Proconsularis, cujus Ecclesiam Augendus Catholicam esse tantum testatus est: nec vero ad Tripolitanam, quae Episcopum numquam habuit.

(1) *epist.* 88. *n.* 10. (2) *Cognit. I. n.* 182.

DCLXXXI. VILLANOBENSIS

Nihil de *Villa Nova* apud Geographos: at eam in Mauretania Caesariensi fuisse, Notitia indicat.

BALENS, id est *Valens.* est hic ordine quadragesimus primus inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus an. CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum evocatos, inde cum reliquis in exsilium ejecit.

DCLXXXII. VILLAREGIENSIS

Villam Servilianam prope Hipponem Regium memorat Itinerarium Antonini: an eadem et *Regia* diceretur, ignoramus: sed illud ex Notitia exploratum habemus, *Villam Regiam* in eadem Numidia fuisse.

CRESCONIVS. de hoc querelae ad Concilium Carthaginiense adlatae sunt anno CCCLXXXXVII. his verbis (1): *Cresconius Villaregiensis Episcopus, plebe sua derelicta, Tubuniensem invasit Ecclesiam, et usque hodie commonitus, secundum quod statutum fuerat, relinquere eandem, quam invaserat, plebem contempsit. adversus istum quae pronunciata fuerant, confirmata quidem audivimus; sed petimus, secundum quod nobis mandatum est, ut dignemini dare fiduciam, quo jam, necessitate ipsa cogente, liberum sit nobis Rectorem provinciae, secundum statuta gloriosissimorum Principum, adversus illum adire: ut qui miti admonitioni sanctitatis vestrae adquiescere noluit, et emendare illicitum, auctoritate judiciaria protinus excludatur.* porro, quum id a Concilio permissum fuerit; responderunt enim *justum est, placet*, allum Cresconium esse arbitror, qui XIIII. post annis in Collatione Carthaginiensi *Tubuniensis* dicitur: praesertim quum et inter Canones Carthaginienses (2) quartus sit

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 964. (2) *ibid. p.* 970. *item in Cod. can.* 48.

hujusmodi: *Cresconius Villaregiensis Episcopus, qui Tubuniensis Ecclesiae cathedram tenuisse dicebatur, plebe sua, hoc est Villargiensis Ecclesine, jussus est esse contentus.*

CANDIDVS. de hoc Augustinus cum lande meminit in libris contra Cresconium (3): *Magnum*, inquit, *aliquid tibi dicere visus es, nominando Cnndidum Villaregiensem et Donntum Macomadiensem, qui ex vestris Episcopis etiam apud nos Episcopi fuerunt, et probata vita ad honorabilius senilis aetatis meritum pervenerunt: quasi sacramenta et invocatio nominis Dei, quae fit apud vos, ipsa inimica sit nobis: quum et in eis, qui extra Ecclesiam sunt, non sit omnino nisi Ecclesiae.* scribebat haec Augustinus circa annum CCCCVI. itaque cum Cresconio vixisse Candidum, credibile est; atque ea fortasse canssa fuit, cur ille Tubuniensem Ecclesiam appeteret: nimirum ut Candido Villaregiensem relinqueret.

FELIX. hic interfuit anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua citatus (4), postquam se *praesto esse* respondit, de Ecclesia sua addidit, *Non habeo contra me Episcopum: modo exivit de corpore.* at contra progressus Victor Donatista, *Constat*, inquit, *me modo fuisse ordinatum;* ac deinde inter suos vocatns (5) ait, *Mandavi et subscripsi.*

DONATVS. hunc Notitia sexagesimum secundum recenset in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis collegis relegavit.

(3) *lib. II. c. 10. n. 12.*
(4) *Cognit. I. n. 128.*
(5) *ibid. n. 208.*

DCLXXXIII. VILLAVICTORIANENSIS

Numidiae vicus Hipponensi in agro fuit *Villa Victoriana*, de qua Augustinus (1): *Victorinna dicitur Villa, nb Hippone Regio minus triginta millibus abest. Memoria Martyrum ibi est Mediolanensium Protasii et Gervasii.* ibidem porro Donatistae regni sui tempore, ut alibi alios, Episcopum constituerant.

SATVRNINVS. cietur hic inter alios e Numidia Donatistas, qui anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi adfuere; in eaque citatus (2), respondit, *Mandavi et subscripsi*, nulla Catholici Episcopi mentione facta. appellatur autem *Victorianensis* tantum, quemadmodum et Augustinus Restitutum ejusdem Villae Presbyterum, non appellata Villa, *Restitutum Victorianensem* vocat (3): qui quidem Restitutus male Episcopus a Ruinartio et Pinio habetur; nam idem Augustinus alio loco, rem eandem attingens, Presbyterum nominat (4): male etiam ab iisdem Episcopus putatur Victorianae, quae in provincia Byzacena erat; quum Augustinus scribat, Catholicos Hipponenses de Proculejano Episcopo Donatista ejusdem urbis

(1) *de C. D. lib. XXII. c. 8. n. 7.*
(2) *Cognit. I. n. 201.*
(3) *epist. 105. n. 3.*
(4) *epist. 88. n. 6.*

apud judices questos esse, quodvim, quae Restituto illata fuerat, dissimularet, impunitamque dimitteret.

DCLXXXIIII. **VISENSIS**

In vicorum numero haberi *Visum* non debet, quamquam unus tantum Episcopus, isque Donatista, notus est, qui ei aliquando praefuerit. memorat quippe Plinius inter oppida regionis Byzacenae (1) *Vagense aliud, Visense, Zamense:* quod ultimum Ptolemaeo *Zamamizon* est, aliud a Zama Numidica, siquidem id cum Harduino ad Byzacenam pertinere in Plinio statuas.

DATIVVS. adfuit hic cum Donatistis suis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in eaque de more citatus, ait (2), *Mandavi et subscripsi,* nec de Catholico Episcopo mentionem intulit.

(1) *H. N. lib. v. c.* 4. (2) *Cognit. I. n.* 197.

DCLXXXV. **VISICENSIS**

Oppidum provinciae Proconsularis fuit *Visica,* ut Acta veteris Concilii Lateranensis indicant, idque Taborae proximum, cujus Episcopus Donatista eam sibi paroeciam vindicabat. ceterum de utroque Geographi siluerunt.

FELIX. Carthaginem hic cum Episcopis Catholicis anno CCCCXI. ad Collationem se contulit, in qua, postquam citatus (1) se *praesto esse* respondit, de Ecclesia sua addidit, *Episcopum contra me non habeo.* ad quae Victor Episcopus Donatista civitatis Taborensis, *Proxime,* inquit, *recessit: ego ibi intervenio;* id est, Donatistae Visicenses in mea fide sunt.

VALENTINIANVS. hic epistolae subscripsit, quae anno DCXXXXVI. a Concilio Proconsulari missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (2).

(1) *Cognit. I. n.* 126. (2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 750.

DCLXXXVI. **VISSALSENSIS**

Ignotum quidem apud Geographos oppidum *Vissalsa,* verum ex Notitia liquet, in Mauretania Caesariensi censendum esse.

SATVRNINVS. hunc Notitia centesimum decimum tertium numerat inter Episcopos, qui e Mauretania a Rege Hunerico Carthaginem ad conventum acciti, anno CCCCLXXXIIII. cum reliquis collegis relegati fuere. in ipso exsilio obiisse Saturninum nota mortis adjecta ostendit.

DCLXXXVII. **VITENSIS**

Sive id oppidum fuerit, sive pagus, ut opinatus est Ruinartius (1), nam in codicibus Victoris Vitensis *patria* appellatur, apud Geographos quidem

(1) *in praef. ad Pers. Vand. n.* 5.

non occurrit, sed Episcopi sui et egregii scriptoris fama celebratur: postquam exploratum jam est, male a multis et contra veterum codicum auctoritatem pro *Vitensi Vticensem* esse factum. fuit autem tractus iste Vitensis in provincia Byzacena, ut Notitia nos edocet: qui mihi quidem a civitate *Vita* sic appellatus videtur, ut mox ostendam.

PAPINIANVS, qui et *Pampinius* et *Pampinianus.* memorat hunc Victor in historia sua (2), quam scribebat anno CCCCLXXXVI. eumque ante annos fere sexaginta vixisse significat, quo tempore Gensericus in Catholicos saeviebat. *Tunc*, inquit, *et nostrae Civitatis venerabilis Papinianus Antistes candentis ferri laminis toto adustus est corpore.* celebrant eundem Latina Martyrologia IIII. kal. Decembr. enimvero perspicuum est, Victoris decessorem in illis verbis designari, atque adeo *Vitam Civitatem* in provincia Byzacena fuisse. nam etsi *Civitas* quandoque a Latinis integra natio multos per pagos dispersa appellata est, a Caesare in primis et Tacito non semel; alius tamen in Victore sensus et usitata vocis illius eminet vis. auget etiam urbis hujus dignitatem vulgatum nuper nomisma Iustini et Sophies Augg. in quo VITA cietur infra effigies: ut jus civibus ejus percutiendae monetae fuisse videatur. edidit praeclarum nomisma Caronnius in historia sua, (Tab. v. n. XXXXI.) idque in Africa repertum constat.

VICTOR. est hic ordine quadragesimus quartus in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem relegavit. at Victori nota apposita legitur, *Non occurrit:* quae indicare videtur, ipsum sibi fuga consuluisse, sive is in Graeciam et Epirum navigarit, ut putabat Cotelerius (3), sive in Africae latebras se conjecerit, quae opinio fuit Ruinartii (4). an idem sit Victor ille provinciae Primas, de quo mentio est in vita sancti Fulgentii (5), non satis constat: quamquam id Chiffletio arrisit (6). in antiquis codicibus *Sanctus* passim dicitur, in Martyrologiis etiam X. kal. Sept. memoria ejus recolitur. verum et titulus ille Episcopis communis olim erat, et Martyrologiorum recentior adnotatio est: in quibus sane contra veterum scripta *Uticensis* nominatur. ceterum in praeclara ejus historia, qua tot illas Vandalici furoris clades et eximia Catholicorum exempla complexus est, mira quaedam hominis pietas et religio elucet.

(2) *Pers. Vand. lib. I. c.* 3.
(3) *Mon. Eccl. Gr. T. III. p.* 598.
(4) *in praef. ad Vict. n.* 8.
(5) *cap.* 16.
(6) *opusc. de Vict. cap.* 9. *v. Acta ss. Boll. T. IIII. Aug. p.* 628.

DCLXXXVIII.

VLLITANVS

Nomen oppidi *Vlulas* fuisse puto, quod in Concilio Cypriani occurrit: inde vulgo *Vllas* esse dictas, et *Vllitanos* cives, qui *Vlulitani* primitus audirent. eos Numidiae adtribuit Notitia, sed Geographi omittunt.

IRENAEVS. sententiam hic post alios Episcopos Numidicos ordine quinquagesimus quartus dixit in Concilio Cypriani, quod ab hoc tertium

de Baptismo vocatum Carthaginem est anno CCLV. idem in recentioribus ejus Concilii exemplaribus *Confessor* dicitur.

QVODVVLTDEVS. est hic ordine centesimus decimus quintus in albo Episcoporum Numidicorum, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, jussu Regis Hunerici relegati fuere.

DCLXXXVIIII. VNVRICOPOLITANVS

Provinciae Byzacenae *Unuricopolim* adtribuit Notitia. appellatio Hunericum conditorem enunciare videtur.

SERVITIVS. est hic centesimus septimus in albo Episcoporum, qui e provincia Byzacena anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, jussu Regis Hunerici in exsilium cum ceteris collegis pulsi sunt.

DCLXXXX. VNVZIBIRENSIS

Oppidum provinciae Byzacenae *Vnuzibiram* facit Notitia; idemque esse videtur, quod a Plinio *Vlusubritanum* dicitur, et a Ptolemaeo *Ulizibirra* appellatur: quamquam hic in finibus provinciae Proconsularis collocat.

MAXIMINVS. erat hic e grege Donatistarum, quibuscum anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, ac vocatus respondit (1), *Mandavi et subscripsi.* is tamen *Vzabirensis* cietur, quod scribae vitio vertendum duxerim.

CYPRIANVS. hunc Notitia quadragesimum primum recenset inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum ceteris exsilio affecit. at virtus Cypriani spectata ante exsilium fuerat, quum aliud Catholicorum agmen Mauris ab Rege eodem traditum ad deserta loca duceretur: nam ut Victor Vitensis scribit (2), *Aderat ibi tunc beatus Pontifex Cyprianus Vnizibirensis Episcopus, consolator egregius, qui singulos pio et paterno fovebat affectu, non sine fluminibus currentium lacrymarum: paratus pro fratribus animam ponere, et se ultroneum, si dimitteretur, talibus passionibus dare, qui totum quid habuit, egentibus fratribus in illa tunc necessitate expendit: quaerebat enim occasionem qualiter Confessoribus sociaretur, ipse animo et virtute Confessor: qui postea per multos agones et squalores carceris, ad exsilium, quod desiderabat cum exsultatione perrexit.* nomen Cypriani sacros in fastos relatum ostendunt Latina Martyrologia IIII. idus Octobr.

DONATVS. subscripsit hic epistolae, quam Patres Concilii Byzaceni anno DCXXXXI. misere ad Constantinum Aug. Heraclii filium adversus Monotheletas; appellaturque *Episcopus sanctae Ecclesiae Vniziverensis* (3).

(1) *Cognit. I. n.* 201.
(2) *Pers. Vand. lib. II. c.* 11.
(3) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 740.

DCLXXXXI. **VONCARIANENSIS**

Praeter *Boncariam* sive *Voncariam* habuit Mauretania Caesariensis, ut ex Notitia discimus, etiam *Voncarianum* villam, opinor, in illius oppidi agro sitam: de qua tamen, uti et de oppido *Boncaria* silent Geographi.

VICTOR. est hic centesimus primus inter Episcopos Mauretaniae Caesariensis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem usque ad conventum accitos cum reliquo collegarum agmine relegavit.

DCLXXXXII. **VRCITANVS**

In provincia Proconsulari fuit *Vrci*, ut Notitia indicat, quod *Vrici* etiam et *Vraci* scriptum invenias. Furnis proximum *Vrci* fuisse videtur, quod hujus Episcopus Furnis martyrium consummaverit. ceterum apud profanos scriptores id nominis non reperio.

MANSVETVS. hic est Martyr, qui sub Genserico, ut Victor (1) scribit, *In porta incensus est Furnitana. Vricitanus* autem ab eodem appellatur, et ad extrema Augustini tempora refertur, sive ad annum CCCCXXX. post quem laurea potitus est.

QVINTIANVS. hic est vicesimus in albo Episcoporum, qui e provincia Proconsulari Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. jussu Regis Hunerici cum ceteris convenere, ac deinde simul in exsilium acti sunt. ipse autem in Macedoniam usque profectus, Aedessae exulasse dicitur (2).

(1) *Pers. Vand. lib. I. c. 5.* (2) *ibid. c. 9.*

DCLXXXXIII. **VRVGITANVS**

Fuit *Vrugi* sive *Vrgi* in Numidia: nam in Collatione Carthaginiensi Urugitanus Episcopus inter Numidicos cietur; et Augustinus inter alios ex eadem Numidia commemorat Vrgeusem, cum Victorianensi uempe et Sinitensi et Calamensi.

MARCIANVS. erat hic Donatista, sed ante annum CCCCVIII. ad Catholicos abjecto errore confugit. de quo Augustinus eo anno scribens ad Donatistas (1), *Marcianus*, inquit, *Vrgensis Catholicam unitatem propria voluntate delegit. quare subdiaconum ejus, quum ipse fugisset, prope usque ad mortem caesum clerici vestri lapidibus obruerunt: quorum domus pro suo scelere eversae sunt.*

BONIFACIVS. hunc in Marciani locum, postquam ille ad Catholicos transiit, suffectum esse apparet. nam anno CCCCXI. cum Donatistis Collationi Carthaginiensi interfuit, et citatus ait (2), *Mandavi et subscripsi.*

(1) *epist.* 105. *n.* 3. (2) *Cognit. I. n.* 187.

DCLXXXXIIII.

VSINADENSIS

Mauretaniae Caesariensi *Vsinadam* adtribuit Notitia: quae fortasse ulterius quaerenda est, in Tingitania nempe, ubi promontorium *Vsadium* recenset Ptolemaeus; quamquam id in extremam Africam recedit.

DONATIANVS. hunc Notitia vicesimum nonum numerat in albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem a Rege Hunerico ad communem conventum evocati, ejusdem jussu paullo post in exsilium ejecti sunt.

DCLXXXXV.

VSVLENSIS

Notum provinciae Byzacenae oppidum *Vsula*, quae et *Vsilla* atque *Vsilabe* quandoque appellata est. erat inter Tusdrum et Thenas, ut Itinerarium Antonini ostendit, eademque in Peutingeri tabulis *Municipium* dicitur, et Ruspis proxima designatnr.

CASSIANVS. adfuit hic Concilio Carthaginiensi, quod Gratus coëgit anno CCCXXXXVIIII. in quo et auctor canonis illius fuit, *Vt unusquisque clericus vel laicus non communicet in aliena plebe, sine litteris Episcopi sui* (1).

THEODORVS. fuit hic e Donatistis Maximiani fautoribus, qui anno CCCLXXXXIII. in Concilio Cabarsussitano Primianum damnaverunt (2): idemque tamquam unus e duodecim Maximiani Ordinatoribus anno insequenti in Concilio Bagaitano a Primianistis damnatus est (3).

PRIVATVS. Carthaginem hic se cum Catholicis contulit anno CCCCXI. Collationis caussa, in eaque, ut citatus (4) se *praesto* esse respondit, de Ecclesia sua dixit, *Non contra me habeo Episcopum:* at Petilianus Donatista reposuit, *Presbyterum illic habet.*

VICTORINVS. est hic quinquagesimus quartus inter Episcopos provinciae Byzacenae, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis relegavit.

LAVRENTIVS. subscripsit hic epistolae, quae anno DCXXXXI. a Concilio Byzaceno missa est ad Constantinum Aug. Heraclii filium contra Monotheletas. ejus autem subscriptio eundem ante Concilium Lateranense Martini Pont. Max. in quo epistola illa prolata est, defunctum ostendere mihi videtur: est enim hujusmodi: *Beatus Laurentius Tarasus humilis Episcopus sanctae Ecclesiae civitatis Vsilabis, ut supra* (5). idem superius de Quaestorianensi Episcopo adnotavimus.

(1) apud Hard. *C. nc. T. I. p.* 686.
(2) apud Aug. *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 20.
(3) *ibid. contra* Cresc. *lib. III. c.* 4.
(4) *Cognit. I. n.* 126.
(5) apud Hard. *ibid. T. III. p.* 740.

DCLXXXXVI.

VTICENSIS

Ad Bagradam sita erat *Vtica*, Graecis Ἰτυκη, non longe a Carthagine: *Ambae* autem, inquit Mela (1), *inclitae, ambae a Phoenicibus conditae: illa fato Catonis insignis, haec suo.* Vticenses Augustus cives Romanos fecit (2): itaque *Municipium Iulium* in nummis ipsa urbs appellatur, quae in Peutingeri tabulis *Colonia* dicitur. magnitudine et dignitate secundam a Carthagine fuisse, auctor est Strabo (3): de qua item a C. Caesare (4) aliisque Latinis scriptoribus mentio fit. sed major illi gloria a trecentis Martyribus, qui *Massa candida* appellati sunt.

AVRELIVS. sententiam hic dixit quadragesimus primus in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus anno CCLV. tertium de Baptismo vocavit.

MAVRVS. pertinet hic ad annum CCCIII. et proximos. de eo in Actis purgationis Felicis Abtungitani fit mentio, tamquam de hospite et amico Ingentii Decurionis Ziquensium, qui falsam epistolam contra Felicem ediderat. ipse autem Maurus Episcopatum suum *redemisse* dicitur, et *falsum admisisse:* quibus, opinor, verbis *Libellaticus* proditur, quasi pecunia libellum a magistratibus impetrasset, in quo illi affirmarent, Maurum edictis Principum paruisse.

VICTOR. hic ad Concilium Arelatense anno CCCXIII. cum Caeciliano Carthaginiensi profectus est, et canones illic conditos una cum ceteris ratos habuit, ac subscriptione firmavit (5).

QVIETVS. Concilio Carthaginiensi hic interfuit, quod Gratus celebravit anno CCCXXXVIII. in cujus praefatione inter decem primos recensetur (6).

VICTOR II. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua adversarium habuit Gedudum Donatistam, qui, ut ipse citatus se *praesto esse* respondit (7), protinus ait, *Agnosco illum:* ac deinde inter suos vocatus dixit (8), *Mandavi et subscripsi.*

GALLONIANVS. ultimus hic subscripsit Concilio Carthaginiensi anni CCCCXVIII. quod XVII. est eorum, quae Aurelius celebravit (9).

FLORENTINVS. hunc Notitia vicesimum secundum recenset in albo Episcoporum, qui e provincia Proconsulari, anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem cum ceteris convenere, ac Regis Hunerici jussu relegati subinde sunt. ipsum autem in insulam Corsicam deportatum fuisse, adjecta nota declarat.

FAVSTINIANVS. occurrit hic inter Episcopos, qui subscripsere Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius celebravit anno DXXV (10).

(1) *lib. I. c.* 7.
(2) Dio *lib. XXXXVIII. p.* 401.
(3) *lib. XVII. p.* 572.
(4) *de Bell. Civ. lib. II. c.* 36. *etc.*
(5) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 267.
(6) *ibid. p.* 685.
(7) *Cognit. I. n.* 128.
(8) *ibid. n.* 187.
(9) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1252.
(10) *ibid. T. II. p.* 1082.

IVNILLVS, qui et Iuoilius. doctrinae hic laode florebat Primasii Adrumetini temporibus, cui opos soum dedicavit, id est circa aooum DLVI. hunc Fabricius Adrometinum ne faceret, an Vticensem, incertus erat, Labbeum sequutus, qoi ambiguum id habet. sed quod patrem io praefatione appellet Primasium, factum honoris caussa dixerim, quia tum ille Primatum provinciae soae obtioebat: ipse autem paucorum aonorom Episcopus esset.

FLAVIANVS. subscripsit hic inter postremos epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullom Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (11).

POTENTINVS. degebat hic in Hispania anno DC.LXXXIIII. (12) qoo actum est Concilium Toletanum XIIII. iu eas nempe oras confugisse videtur, quum Saraceni Africam iovaseruot, et illic coostituto domicilio exulasse.

Octingeotis amplius post annis Vticenses rursom Episcopi prodeoot, at omnes ornameotarii, quorum haec sunt nomina (13):

ACHARICVS an. M.D.XVIII. (*Act. Consist.*)
HENRICVS fil. Regis Aethiop. an. M.D.XVIII. (*Brev. Leonis X.*)
PETRVS Carmelus an. M.D.XVI. (*Act. Consist.*)
PETRVS de Campo ao. M.D.XVIII. (*mon. vatic. Bull. Iulii II. etc.*)
IOAN. BAPTISTA Hisp. an. M.D.XXXXII. (*Act. Consist. etc.*)
DOMINICVS Romerus an. M.D.XXXXIII. (*Act. sacr. Colleg. etc.*)
ANTONIVS Garsia an. M.D.LXIII. (*Act. Consist.*)
M. ANTONIVS Oradinus an. M.D.LXV. (*Act. Consist. etc.*)
IOAN. BAPTISTA Maremontius an. M.D.LXVII. (*Act. Consist. etc.*)
FELIX Ambrosinius an. M.D.LXXVIII. (*Act. Consist.*)
MALACHIAS de Aso an. M.D.LXXXXI. (*Act. Consist. etc.*)
IOANNES de Vgarte an. M.DC.VI. (*Act. Consist.*)
GARZIAS AEGIDIVS Manriqnes an. M.DC.XVIII. (*Act. Consist.*)
ALFONSVS Godines an. M.DC.XXVIIII. (*Act. Consist.*)
MARTINVS Bonaccina an. M.DC.XXXI. (*Act. Consist.*)
IOANNES de Arrogo an M.DC.LIIII. (*Act. Consist.*)
DIDACVS de Gallica an. M.DC.LVIII. (*Act. Consist.*)
IOANNES Riquelmes an. M.DC.LXVIII. (*Act. Consist.*)
MELCHIOR Escuda an. M.DC.LXXI. (*Act. Consist.*)
IOAN. DANIEL Gudenius an. M.DC.LXXX. (*Act. Consist. etc.*)
IOACHIMVS Suirmontius ao. M.DCC.I. (*Act. sac. Colleg.*)
STANISL. IOSEPHVS Ogius ao. M.DCC.XVIII. (*Act. sac. Colleg. etc.*)
FRANCISCVS Sanguesseus an. M.DCC.XXI. (*Act. sacr. Colleg.*)
IOAN. FRANC. ANTONIVS Sirgensteinius an. M.DCC.XXII. (*Act. sac. Colleg.*)
IOAN. EMMANVEL Rodrigoes Castanonius ao. M.DCC.XXXVIIII. (*Act. sac. Colleg. etc.*)

(11) *ibid. T. III. p.* 752.
(12) Mabill. *Ann. Ben. lib. XVII. n.* 42.
(13) *suppedit. Marinius vir opt.*

DCLXXXXVII. **VTIMMENSIS**

Provinciae Proconsulari *Vtimmam* adscribit Harduinus, sed quam sequutus auctoritatem, id fecerit, nescio: neque enim ejus oppidi vestigium apud veteres reperire licuit. aliis est *Utinuna.*

OCTAVIVS. interfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua postquam subscriptio ejus recitata est, ait (1), *E contrario mihi est Bonifacius.* hic vero accedens dixit, *Agnosco illum:* tum inter Donatistas citatus (2), respondit, *Mandavi et subscripsi.*

(1) *Cognit. I. n.* 133. (2) *ibid. n.* 198.

DCLXXXXVIII. **VTIMMIRENSIS**

Ignotum cetera oppidum *Vtimmiram*, ad provinciam Proconsularem pertinuisse, ex Notitia discimus.

SEVERVS. Carthaginem hic anno CCCCXI. cum Episcopis Catholicis ad Collationem profectus, in ea quum vocatus respondisset (1), *Praesto sum,* de Ecclesia sua dixit, *Vnitas est illic.* appellatur autem *Episcopus plebis Vtimari*, quod perinde esse, atque *Vtimmirensis* pro certo habeo.

REPARATVS. hunc Notitia decimum numerat in albo Episcoporum, qui e provincia Proconsulari Carthaginem anno CCCCLXXXIIII. ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici relegati sunt. Reparatum autem in Corsicam deportatum nota adjecta declarat.

(1) *Cognit. I. n.* 126.

DCLXXXXVIIII. **VTINENSIS**

Oppidum provinciae Proconsularis fuit *Vtina*, quae et *Vthina*, ad Bagradam fluvium sita. coloniam appellat Plinius: novit et Ptolemaeus. ceterum in fastis Ecclesiae nomen ejus illustrius, quam apud profanos scriptores. ab ipso Tertulliani aevo Episcopum habebat, quem ille jam Montani sectator de Monogamia scribens, pessimae notae fuisse indicat: nam capite XII. Catholicos perstringens, *Prospiciebat*, inquit, *Spiritus sanctus dicturos quosdam, omnia licent Episcopis, sicut ille vester Uthinensis nec Scantiniam timuit.*

FELIX. sententiam hic dixit vicesimus sextus in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus anno CCLV. tertium de Baptismo convocavit.

LAMPADIVS. hic cum Caeciliano Carthaginiensi ad Arelatense Concilium se contulit anno CCCXIIII. et canones illic sancitos subscriptione sua comprobavit (1).

ISAAC. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua postquam subscriptio ejus recitata est, adversarius quoque ejus Felicianus

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 267.

Donatista accessit et ait (2), *Agnosco illum:* idemque inter suos citatus respondit (3), *Mandavi et subscripsi.*

FELICISSIMVS. hic est, de quo in Episcopatu Sedelensi meotionem fecimus: qui huc etiam pertinet: oam Booifacii Carthaginiensis temporibus utramque Ecclesiam regebat: eaque de caussa in sobscriptiooe appellatur *Episcopus plebis Sedelensis, qui et Vtinensis.* ueque id mirum videri debet, qunm ea aetate vixerit, quae Vandalicas clades sobseqnuta est. quin suspicari licet sob Genserico vastatam Utinam fuisse, quippe quae Episcopum suum ad conveotum Carthaginiensem non submiserit. Vtineosem enim Episcopnm Notitia non recenset.

(2) *Cognit. I. n.* 133. (3) *ibid. n.* 187.

DCC. VTINICENSIS

Oppidom *Vtinica* sive *parva Vtina*, quae Ptolemaeò *Vticna* est, in eadem provincia, in qua *Vtina*, id est in Proconsulari fuit, sob promontorio Mercurii.

VALERIVS. interfuit hic cum Catholicis Episcopis aono CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in eaqne, nt citatns est, ait (1), *Praesto sum, Episcopum non habeo.* at Habetdeus Primiani Donatistae Diaconos reposnit, *Fuit illic, exivit de corpore.* ceterum nomen ipsum Donatistae Episcopi non edidit.

(1) *Cognit. I. n.* 126.

DCCI. VTMENSIS

Numidiae *Vtmam* facile adscripserim, qnod de ejus Episcopo in Collatione Petiliaoom Cirtensem ioterloquutum videam. sed oulla de ea meotio a Geographis facta est.

TIMIANVS. occurrit hic inter Catholicos Episcopos, qui anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi adfuere. ut autem se *praesto esse* respondit (1), Petilianos Dooatista dixit, *Habet Felicem, sed absens est.*

(1) *Cognit. I. n.* 126.

DCCII. VTZIPPARITANVS

Provinciae Proconsulari adscribitur *Vtzippara* in Notitia, eademqoe sine dubio est, quae in Peutingeri tabulis *Vzippira* appellatur.

MARIANVS. adfoit hic primum aono CCCCXI. Collatiooi Carthaginieosi, in qua citatos ait (1), *Praesto sum, numquam ibi habui alium.* deinde auoo CCCCXVIIII. rursus Carthaginem profectus Coocilio sobscripsit, quod Anrelios decimum octavnm in pontificatu suo celebravit (2).

AVGENTIVS. hunc Notitia quadragesimum sextum numerat inter Episcopos provinciae Proconsularis, quos Rex Hunericus aooo CCCCLXXXIIII.

(1) *Cognit. I. n.* 131. (2) apud *Hard. Conc. T. I. p.* 1251.

post conventum Carthaginiensem simul cum aliis relegavit. adscriptum autem est *In exsilium*, quae formula significare videtur, permissum esse Augentio, ut, ubi vellet, exsularet.

SEMENTIVS. hic subscripsit Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius coegit anno DXXV (3).

(3) *ibid. T. II. p.* 1082.

DCCIII. ## ZVALENSIS

Erat *Vzalis* coloniae Vticae vicina, ut nos Augustinus (1) docet: itaque ea ipsa est, quae a Ptolemaeo *Vzan* dicitur, et Vticae item atque Hipponi Diarrhyto proxima ostenditur in Zeugitana mediterranea. *Oppidum Latinum unum Vsalitanum* memorat Plinius, in quo *Uzalim* non agnoscit Harduinus (2): at perperam, opinor; neque enim alio loco *Vzalim* Plinius designavit. erat Vzali Memoria sancti Protomartyris Stephani ab Evodio Episcopo constituta, ejusdemque prodigiis celeberrima, de qua, praeter Augustinum, multa habet auctor librorum *de Miraculis s. Stephani*, qui olim Evodio ipsi Episcopo tribuebantur, in his et duo antiqui Martyres Vzalenses cientur, Felix et Gennadius, quorum sepulcrum in suburbio erat (3). eos Ecclesia Romana in Martyrologio suo celebrat XVII. kal. Iun.

SATVRNINVS. florebat hic circa annum CCCLXXXVIII. et *sanctus vir et beatae memoriae* appellatur ab Augustino, qui junior cum eo Carthagine adfuerat apud Innocentium Advocatum Vicariae praefecturae, diuturno morbo aegrotantem, ac simul preces Deo fuderat, quum jam ille novae sectionis periculo exanimatus, diem funeris sui advenisse existimaret: quod contra fuit; divino enim beneficio, antequam ferrum medicus admoveret, quae secanda erat fistula, cicatricem induxerat, ipse sanus postridie repertus: quemadmodum ipse Augustinus fuse narrat in libro XXII. de Civitate Dei cap. VIII. proximus autem Saturnino successisse videtur

EVODIVS. aequalis hic Augustini fuit, ad quem etiam epistola ejus exstat (4). inter Catholicos Episcopos, qui Collationi adfuere, non memoratur, credo, quod Legationis caussa abesset. nam Petilianus eum et Theasium appellat (5) *Praecursores et navigatores* Catholicorum *furiaeque suae Legatos, qui expetant sanguinem, expetant proscriptiones, incutiant metus, pericula ingerant, homines per provincias diversas occidant.* grave nempe Donatistis erat, imploratum adversus ipsos a Catholicis Augustorum auxilium: cujus rei caussa anno CCCCIIII. iidem a Concilio Carthaginiensi ad Honorium missi fuerant, commonitorio iis dato, quod adhuc in Codice Canonum Ecclesiae Africanae legimus (6). porro Evodii adversarius Felix Donatista a Collatione non abfuit, et inter suos citatus respondit (7), *Mandavi et subscripsi.*

(1) *de C. D. lib. XXII. c.* 8. *n.* 21.
(2) *ad Plin. lib. V. c.* 5. *n.* 17. apud Reines. *cl VII. n.* 11. Vzali *legitur.*
(3) *lib. I. c.* 2.
(4) *inter epist. Aug. n.* 158.
(5) *Cognit. III. n.* 141.
(6) *can.* 93.
(7) *Cognit. I. n.* 204.

SACCONIVS. hic septimus est ex Episcopis provinciae Proconsularis, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis relegavit. ipsum autem in insulam Corsicam deportatum esse, nota apposita declarat. inde vero aufugisse, et Constantinopolim navigasse, indicat Felicis Pontificis maximi epistola ad eum missa, de qua dicemus in Annalibus ad an. CCCCLXXXV. in ea virum appellat *Scripturis refertum et Catholica institutione pollentem.*

MVSTVLVS. subscripsit hic Concilio Carthaginiensi, quod Bonifacius coëgit anno DXXV (8).

VICTORIANVS. hic interfuit anno DCXXXXVIIII. Concilio Lateranensi, quod Martinus Pontifex maximus celebravit contra Monotheletas, eique ultimus subscripsit (9).

(8) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082. (9) *ibid. T. III. p.* 933.

DCCIIII.

VZITENSIS

Provinciae Byzacenae oppidum *Vzita* fuit, sub Adrumeto apud Ptolemaeum recensita. nomen Bochartus Punicum facit ab olea ductum (1): in cujus sane vicinia olivetum memorat Hirtius (2). idem oppidum *Vzitarense* etiam dictum, quod nomen Afri a patrio casu *Vzitanum* deducebant.

PAVLLVS. adfuit hic anno CCCCXI. cum Catholicis Episcopis Collationi Carthaginiensi, in eaque citatus (3) respondit, *Praesto sum, non habeo ex illa parte.* sed Habetdeus Diaconus Primiani Donatistae adjecit, *Exivit de corpore*, nomen ipsum defuncti Episcopi non adjecit.

(1) *Geogr. Chan. lib. I. c.* 24. (3) *Cognit. I. n.* 128.
(2) *B. Afr. c. XX. n.* 50.

DCCV.

ZABENSIS MAVR. SITIF.

Oppidum *Zaba* quod Notitia Mauretaniae Sitifensi adscribit, id esse videtur, quod in Itinerario Antonini *Sabi* dicitur, inter Macri et Aras. si secus est, non oppidum, sed tractus ejus provinciae fuit vicis distinctus sub uno Episcopo. nam Zaben regionem, cujus caput Sitifis esset, Procopius libro II. de Bello Vandalico designat.

FELIX. memorat hunc Optatus tamquam unum ex antesignanis Donatistarum, qui Iuliano illo Apostata rerum potito, Catholicos crudelissime vexaverunt. *Nonne*, inquit (1), *de numero vestro fuerunt Felix Zabensis et Ianuarius Flumenpiscensis, et ceteri, qui tota celeritate concurrerunt ad castellum Lemellense?* et quae deinceps. pertinent autem haec ad annum CCCLXII. aut proximum.

POSSESSOR. est hic ordine quadragesimus in albo Episcoporum, qui e Mauretania Sitifensi anno CCCCLXXXIIII. Carthaginem ad conventum profecti, jussu Regis Hunerici cum reliquis in exsilium pulsi sunt.

(1) *de schism. Donat. lib. II. c.* 18.

DCCVI.

ZABENSIS NVMID.

Habuit et Numidia *Zabam*, quemadmodum Notitia indicat, sed quam Geographi praeterierunt. prope hanc tetendisse arbitror milites, qui Limitem Africae tuebantur. occurrit enim in Notitia Imperii Occidentalis sub Comite Africae *Praepositus Limitis Zabensis*.

LVCIVS. erat hic e grege Donatistarum, quibuscum anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi interfuit, ac de more vocatus respondit (1). *Mandavi et subscripsi*, nulla Catholici Episcopi mentione facta, quod in Numidia frequens est, in qua Donatistae ea aetate plurimum poterant.

CRESCONIVS. hunc Notitia septuagesimum recenset in albo Episcoporum Numidicorum, quos Rex Hunericus anno CCCCLXXXIIII. post conventum Carthaginiensem cum reliquis relegavit.

(1) *Cognit. I. n.* 198.

DCCVII.

ZALLATENSIS

Quae affine huic nomen habent oppida Africana, Zalapa et Sala, ea extra fines provinciae Sitifensis sunt, cui *Zallam* adscribit Notitia. ipse mons Zalacus in Caesariensi Mauretania erat.

ARGENTIVS. vicesimus hic est inter Episcopos Mauretaniae Sitifensis, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, jussu Regis Hunerici in exsilium cum reliquo collegarum coetu acti sunt.

DCCVIII.

ZAMENSIS

Nobilis Numidiae urbs *Zama* fuit ab ipsis Regum Africanorum temporibus, quam veteres scriptores rerum Romanarum plerique omnes commemorant. haec cognomento *Regia* dicebatur: quippe altera erat *Zama* inter Adrumetum et Carthaginem, unde praemissos speculatores ab Hannibale scribit Livius (1), quum Scipio castra haberet ad Tuneta, ille ab Adrumeto Zamam pervenisset, quinque dierum iter ab Carthagine dissitam. porro Zamam Regiam designat Hirtius (2) ubi de Rege Iuba agens, *Ad oppidum*, inquit, *Zamam, ubi ipse domicilium, conjuges liberosque habebat, quo ex cuncto regno omnem pecuniam carissimasque res comportaverat, quodque inito bello operibus maximis munierat, accedit*. eadem urbs ab Hadriano Aug. colonia facta: atque exinde appellari coepit *Colonia Aelia Hadriana Augusta Zama Regia* (3). in extrema Numidia positam indicat Cornelius Nepos (4), qui Adrumetum a Zama abesse tradit *circiter millia passum trecenta*.

(1) *lib. XXX. c.* 23. *n.* 29.
(2) *de B. Afr. c. XXXVI. n.* 91. v. Reines. *cl. VI. n.* 122.
(3) Grut. *p.* 364. *n.* 1.
(4) *in Hannibale c.* 6.

MARCELLVS. sententiam hic dixit quinquagesimus tertius in Concilio Carthaginiensi, quod Cyprianus anno CCLV. tertium de Baptismo vocavit.

DIALOGVS. hic interfuit anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, et adversarium in ea habuit Donatistam Montanum, qui, ut ipse citatus se adesse respondit, adjecit (5), *Agnosco illum.* nec tamen Montanus, ut ceteri Donatistae, rursum occurrit, de more citatus: nomen equidem excidisse potius crediderim, quam eum a suis praetermissum, quos in censu illo nimium diligentes fuisse constat.

(5) *Cognit. I. n.* 121.

DCCVIIII. ## ZARADTENSIS

Inter Lamasbam et Perdices fuit *Zarad*, ut Itinerarium Antonini demonstrat, in Numidia nempe, cui oppidum hoc Notitia etiam adscribit. cives porro etiam *Zaraitenses* dicti, quemadmodum ex Collatione liquet, aut certe *Zarathenses:* nam oppidum apud Apulejum audit *Zarath:* apud quem lepida ejus est commemoratio in Apologia, adversus Aemilianum indigenam: *Cur ergo,* inquit, *illa protuli? ut mihi tu, Aemiliane, minus postea succenseas: potiusque ut veniam impertias, si per negligentiam forte non eligi illud tuum Atticum Zarath, ut in eo nascerer.*

CRESCONIVS. Carthaginem hic se contulit anno CCCCXI. ad Collationem in qua, ut citatus se *praesto esse* dixit (1), ex adverso Rogatus Donatista ait, *Agnosco illum.* at quum hic inter suos vocatus (2), *Mandavi,* inquit, *et subscripsi,* Cresconius de Rogato adjecit, *Diaconus Catholicus erat, et rebaptizatus est.* quae aegre ferens Adeodatus Actor Donatistarum, *Serva*, ait, *partibus quae* competunt.

ADEODATVS. est hic centesimus vicesimus inter Numidicos Episcopos, qui anno CCCCLXXXIIII. ad conventum Carthaginiensem profecti, subinde Regis Hunerici jussu cum reliquo collegarum agmine relegati sunt. fuit autem Adeodatus ex eorum numero, qui Ecclesias suas non revisere. eum quippe in ipso exsilio defunctum adjecta mortis nota declarat.

(1) *Cognit. I. n.* 128. (2) *ibid. n.* 203.

DCCX. ## ZARNENSIS

Ignotum oppidum *Zarna*, nisi quod Acta veteris Concilii Lateranensis in provincia Proconsulari fuisse testantur. ipse autem Episcopatus serius institutus videtur, Africa nempe a Iustiniano recepta: nam ante ea tempora mentionem ejus fieri non video.

VITALIS. subscripsit hic epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa est ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum adversus Monotheletas (1).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 749.

DCCXI.

ZELLENSIS

Ruspinae et Thapso in tractu Byzaceno proximam facit *Zellam* Strabo, qui et liberam civitatem fuisse scribit (1). eadem autem ab Hirtio *Zetta* dici creditur, quod hanc in iisdem finibus recenseat (2). quae vero de Concilio Zellensi feruntur, veri mihi similius est, ea ad Teleptensem coloniam pertinere, ut loco adnotavimus.

DONATIANVS. occurrit hic inter Catholicos Episcopos, qui anno CCCCXI. Carthaginem ad Collationem convenere. in ea, postquam subscriptio ejus recitata est, ait (3), *E diverso habeo Natalicum:* qui accedens, *Agnosco*, inquit, *illum:* ac deinde inter Donatistas citatus (4) dixit, *Mandavi et subscripsi.*

(1) *lib. XVII. p.* 572.
(2) *de B. Afr. c. XXVII. n.* 74.
(3) *Cognit. I. n.* 135.
(4) *ibid. n.* 163.

DCCXII.

ZEMTENSIS

Fuit *Zempta*, quae et *Zenta* in provincia Proconsulari, ut Acta veteris Concilii Lateranensis nos docent. apud Geographos tamen ignotum nomen est.

MAIORINVS. adfuit hic anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, utque subscriptio ejus prolata est, de Ecclesia sua dixit (1), *Catholica est, nec habuit nec habet*, Episcopum scilicet Donatistam.

FLORENTIVS. hic subscripsit epistolae Concilii Proconsularis, quae anno DCXXXXVI. missa fuit ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum contra Monotheletas (2).

(1) *Cognit. I. n.* 133.
(2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 751.

DCCXIII.

ZERTENSIS

Praeter Cirtam admittenda in Numidia etiam *Zerta;* utraque enim in Collatione cietur, utraque Donatistam Episcopum habuit, illa Petilianum, haec Gaudentium. tum *Concilium Zertense* actum constat anno CCCCXII. unde Episcopi, quos inter Augustinus fuit, ad Donatistas praeclaram epistolam misere (1). eodem ipsos Donatistas postea convenisse censet Harduinus (2), ac de eo conventu loqui Augustinum contra Gaudentium, ubi ait (3), *In ipso Concilio statuistis, ut qui nobis inviti communicaverunt, Episcoporum vel Presbyterorum, tantum si sacrificium non obtulerint, aut in populo non tractaverint, ad veniam pertineant, et in suis honoribus recipiantur.*

GAVDENTIVS. interfuit hic cum Donatistis anno CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in eaque citatus respondit (4), *Mandavi et subscripsi:*

(1) *inter epist. Aug. n.* 141.
(2) *in Synopsi Conc. ad an.* 414.
(3) *lib. I. c.* 37. *n.* 48.
(4) *Cognit. I. n.* 187.

adversarium non habeo. at Aurelins Catholicns Episcopus Macomadieusinm reposuit, *Est ibi Presbyter Catholicorum.* ille contra, *Non habeo,* inquit, *adversarium in plebe mea,* id est Episcopum Catholicum.

DCCXIIII.

ZVCABIARITANVS

Nota Mauretaniae Caesariensis urbs *Zucabar,* quae et *Succabar* atque *Sugabar* appellata. *Intus,* inquit Plinius (1), *Colonia Augusta, quae item Succabar.* Ammiaous Marcellinus *Municipium Sugabarritanum* vocat *Transcellensi monti accline* (2): quem λοφον χαριτων, sive *collem Gratiarum* dixerat Herodotus, uodo Cinyphos fluvios in mare devolvitur. in fragmeoto veteris inscriptionis apod Maffejum legitur *Civitas Zuchara..... fecit et dedicavit* (3): additque Maffejns prostare haec *in magni templi muro monti imposito,* qnem Transcellensem esse, credere possis.

MAXIMIANVS. adfuit hic cum Catholicis Episcopis an. CCCCXI. Collationi Carthaginiensi, in qua, nt subscriptio ejus recitata est, ait (4), *E diverso habeo Germanum:* hic vero accedens dixit, *Agnosco illum.* ac idem deinceps ioter Dooatistas citatus respondit (5), *Et Mundavi et subscripsi.*

STEPHANVS. hunc Notitia vicesimom numerat iu albo Episcoporum, qui e Mauretania Caesariensi Carthaginem conventus caussa petiere anoo CCCCLXXXIIII. ac subinde jussu Regis Hunerici in exsilium cum ceteris ejecti sunt.

(1) *H. N. lib. v. c.* 2.
(2) *lib. xxviiI. c.* 26. v. Bochart. *Geogr. sacr. lib. I. c.* 24. *p.* 487.
(3) *Mus. Ver. p.* 466. *n.* 8.
(4) *Cognit. I. n.* 135.
(5) *ibid. n.* 182.

DCCXV.

ZVRENSIS

Oppidum provinciae Proconsnlaris fuit *Zura,* idqne fortasse in agro ipso Carthaginieosi: qnum io Collatione Diaconns Primiani Carthaginieosis in hujus Dioecesi esse clamarit. fuisse ibidem Episcopum Catholicum, qno tempore Gensericus saevire in Catholicos coepit, testis est Victor Vitensis, piam anom commemorans (1) sanctos Coofessores in exsilinm comitantem, quae filia erat *quondam Zurritanae civitatis Episcopi. Cui nos,* inquit Victor, *et quare ita abjecte ambulas, vel qua ratione de tam longo itinere huc pergere demonstraris? quae respondit, cum hoc parvulo servo vestro ad exsilium pergo, ne inveniat eum solum inimicus, et a via veritatis revocet ad mortem.* erat autem parvulus ille nepos ejus: qnem sanctissima anus sic hortabatur: *Curre, domine meus: vides universos Sanctos quomodo pergunt, et festinant hilares ad coronam?*

PAVLLINVS. vir bonos at rudis litterarum Episcopus hic fuit, qui qnum anno CCCCXI. ad Collatiooem Carthagiuiensem se contulisset, Abo-

(1) *Pers. Vand. lib. II. c.* 9.

rensem Trifolium rogavit, ut pro se subscriberet, qui sic officium peregit (2): *Qui supra pro Paullino Zurensi praesente, litteras nesciente, coram V. C. Marcellino Tribuno et Notario suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini.* tum ipse Paullinus accessit, et de Ecclesia sua dixit, *Catholica est.* ad quae Habetdeus Primiani Donatistae Diaconus subjecit, *Presbyter est illic noster, Diocesis est nostra.*

(2) *Cognit. I. n.* 133.

APPENDIX

Habes Episcopatus Africae Romanae quindecim et septingentos, nec tamen omnes, opinor, qui aliquando illic fuerint: esto, his simul fuisse plures vix putem. cur autem desiderari in hoc censu nostro Episcopatus alios non paucos existimem, illud in caussa est, quod hic notae urbes, quas sine Episcopo fuisse nemo dixerit, non eminent: vel etiam quod nomina Episcoporum magno numero apud veteres passim occurrunt, de quorum nos sede nihil accepimus. porro quia inutile foret, horum appellationes proferre, quibus certum locum adscribere non possumus; urbes reliquas saltem enumerabo, in quibus Episcopos item aliquando exstitisse, jure omnes crediderint: quae sunt hujusmodi,

AEGAEA, cujus meminit Ptolemaeus in Mauretania Caesar.

AEGIMVRVS insula, quae, ut ait Livius lib. XXX. c. XXIIII. *sinum ab alto claudit, in quo sita Carthago est.*

AGBIENSIVM Municipium in provincia Proconsulari Maff. *M. V. p.* 459. n. 6.

ALMOENA sub Mercurii promontorio apud Ptolemaeum.

APHRODISIVM Colonia Numidiae Ptolemaeo.

AQVAE CALIDAE in Mauret. Caes. Colonia Ptolemaeo.

ARSENARIA Antonino et Ptolemaeo Colonia Mauret. Caes.

ASCVRVM oppidum Tingitaniae, de quo Hirtius *B. Afr. c. XXIII.*

ASSVRVS Numidiae Ptolemaeo.

BIDIL Municipium Mauret. Caes. Antonino et Ptolemaeo.

BOCANVM HEMERVM oppidum Tingitaniae, in cujus vestigiis urbs Marrochium condita fertur, ubi sequiore aevo Martyr occubuit de familia Franciscana Hispaniensi Ioannes a Prado appellatus, cujus nomen in Martyrologio Romano reperies VIIII. kal. Iun. sunt et Marrochienses Episcopi noti decem:

LVPVS an. M.CC.XXXXVI. (Wading. *T. III. p. 150.*)
BLANCVS an. M.CC.LXXX. (*idem T. V. p. 209.*)
RODERICVS an. M.CC.LXXXVIII. (*idem ibid.*)
ALFONSVS circa an. M.CCC. (*idem ibid. p. 225.*)
ANGELVS circa an. M.CCCC. (*idem T. VIIII. p. 274.*)
DIDACVS de Xericio an. M.CCCC.V. (*idem ibid.*)
AIDOMARVS de Aureliano an. M.CCCC.XIII. (*idem ibid. p. 556.*)
PETRVS circa an. M.CCCC.XXX. (*idem T. X. p. 215.*)
BARPTOLEMAEVS an. M.CCCC.XXXIII. (*idem ibid.*)
ALFONSVS Pernas ao. M.CCCC.XXXXVIIII. (*idem T. XII. p. 56.*)

CASTRA GERMANORVM in Maoret. Caes. Ptolemaeo prope Gunugum.
CIVILITANVM MVNICIPIVM AELIVM HADRIANVM io proviocia Byzacena. Grut. *p. 362. n. 1.*
CLVACARIA inter Hipponem Regium et Carthaginem in Itiner. Anton.
COREVA in prov. Procons. prope Musti. Anton. et Tab. Peutiog.
CORNELIANA CASTRA prope Uticam. Caes. *lib. II. B. Civ. c. XXIIII.*
CVLCVA Colonia Numidiae Ptolemaeo.
DRACONTIA insula Ptolemaeo supra Hipponem Diarrhytum.
FAVSTIANENSIS CIVITAS io prov. Byzaceoa. Grut. *p. 363. n. 1.*
GILVA Colonia Mauret. Caes. in Itiner. Anton.
LISSA Plinio, Exilissa Ptolemaeo in Maur. Tiogit.
LIXOS Colonia Plioio Tingitaniae.
PORTVS MAGNVS Plinio civium Romauorum oppidum in Maur. Caes.
QVINA Colonia Ptolemaeo in prov. Procons.
RYSSADIRVM Colonia Antonino cum portu et promontorio cognomine.
SALA Vrbs in Tingit. quae nomen retinere putatur.
SEPTA in Tingit. ad fretum Gaditaoom Procopio.
Hic an. M.CC.XXI. martyrium fecerunt Daniel et socii sex e familia Franciscana, quae eos ex Leonis X. P. M. decreto Martyrum hooorihus quotannis colit. (Wading. *T. II. p. 28. et 29.*)
SIGA Municipium Antonioo, Colonia Ptolemaeo in Maur. Caes.
TAPHRVRA Urbs oobilis prov. Procoos. Antonino.
TEGEA in prov. Procons. Hirtio *c. LXXVIII.*
THALA Sallustio oppidum Numidiae magnum et opulentum.
THEMETRA *Civitas ex Africa* in Tab. aeoea apud Maffejum (*Hist. Diplom. p. 38. et Mus. Ver. p. 189.*)
THIMILIGA Urbs Africae cum Senatu (*apud eundem ibid.*)
VOLVBILIS Urbs Melae inter parvas opulentissima in Tingitania haec esse creditur, quae hodie *Fez* appellatur. datus huic Episcopus
AGNELLVS a Gregorio VIIII. P. M. circa an. M. CC. XXX. (Wading. *T. II. p. 351.*)
ZILIA Melae Colonia Tingitaniae, quae Plinio *Zilis.*

Vicos plurimos et oppidula his adnumerare licebat: quae coosulto omisi. etsi enim apud Afros ne vici quidem aliquando Episcopis caruere;

id tamen non obtinuit, nisi Donatistarum tempore, quum haereticis Catholici opponendi essent, ne factio illa latius dominaretur. at illud etiam animadvertendum est, quum harum urbium memoria ex vetustis scriptoribus eruta sit, fieri subinde potuisse, ut earum quaedam aevo Christiano deletae nusquam essent. enimvero aliae fortasse stabant, sed nomen sibi sumpserant novum: nonnullae superstitionem veterem mordicus retinebant, nec Episcopum apud se esse patiebantur. sed illud omnino extra controversiam, Conciliorum subscriptiones a scribis librariis saepe omissas esse: ad ipsa Concilia non omnes semper Episcopos convenisse: monumenta demum vel clarissimarum Ecclesiarum vetustate absumpta desiderari: ita factum est, ut non omnia ad nos urbium, quae Episcopos habuere, nomina pervenirent: Episcoporum ipsorum appellationes partim perirent, partim solitariae transmitterentur. quare his contentus, quae dare licuit, nemo nos urgeat· satis quippe contulimus, qui non mediocri diligentia in unum congessimus, quae multis in locis sine usu dispersa jacebant.

APPELLATIONES EPISCOPATVVM

INCERTAE VEL IMMVTATAE

Abderitanus, *vide* Abziritensis
Abitensis *v.* Abiddensis
Abutucensis *v.* Aptucensis
Accaritanus *v.* Aggaritanus
Achollitanus *v.* Acolitanus
Adsinnadensis *v.* Adsinnadensis
Agbiensis *v.* Ambiensis
Aggyensis *v.* Agensis
Albensis *v.* Aquae Albensis
Altoburiensis *v.* Altiburiensis
Alutinensis *v.* Abidinensis
Amaccurensis *v.* Bamaccorensis
Ammederensis *v.* Amaderensis
Amphorensis *v.* Amporensis
Amurdasensis *v.* Amudarsensis
Anburensis *v.* Amporensis
Ancusensis *v.* Auguiensis
Apisianensis *v.* Apissanensis
Aptugnensis *v.* Abtugnensis
Aquensis *v.* Magarmelitanus
Aquitanus *v.* Aquensis Mauret.
Arzuritanus *v.* Arsuritanus
Auguritanus *v.* Augurensis
Avaritianensis *v.* Abaritanus
Avissensis *v.* Abissensis
Avittensis *v.* Abiddensis
Autumnitanus *v.* Abtugnensis
Azurensis *v.* Ajurensis
Babbensis *v.* Obbensis
Bahannensis *v.* Banensis
Ballitanus *v.* Vallitanus
Banasensis *v.* Banzarensis
Bavagalianensis *v.* Bulelianensis
Bauriciensis *v.* Babrensis
Bazitensis *v.* Girumarcelli
Bitinensis *v.* Abitinensis
Bittanensis *v.* Pittauensis
Boanensis *v.* Banensis
Bobbensis *v.* Obbensis
Bucconiensis *v.* Bocconiensis
Burcensis *v.* Burugiatensis
Carcabensis *v.* Carcabianensis
Casularum *v.* Carianensis
Cebaradefensis *v.* Cabarsussitanus
Cebarsussitanus *v.* Cabarsussitanus
Cercinitanus *v.* Circinitanus
Cernamusensis *v.* Ternamusensis
Cicissitanus *v.* Cicsitanus
Clupeensis *v.* Clypiensis
Cobensis *v.* Covensis
Collopsitanus *v.* Cullitanus
Colossitanus *v.* Culcitanensis
Costantiniensis *v.* Cirtensis
Culsitanus *v.* Culcitanensis
Culusitanus *v.* Culcitanensis
Cunculianensis *v.* Cencnlianensis
Damatcorensis *v.* Bamaccorensis
Equizetensis *v.* Equizotensis
Ferontonianensis *v.* Forontonianensis
Fornitanus *v.* Furnitanus
Frotonianensis *v.* Frontonianensis
Gelizitanus *v.* Velesitanus
Gernisii *v.* Segermitanus
Gillitanus *v.* Cilitanus
Gratianensis *v.* Gattianensis
Gummensis *v.* Gummitanus
Gurgitensis *v.* Gurgaitensis
Hadrumetinus *v.* Adrumetinus
Hilarensis *v.* Hiltensis
Iabaritanus *v.* Castelli Iabaritani
Iddiditanus *v.* Miditanus
Inucensis *v.* Inucensis
Iubeclidiensis *v.* Inbaltianensis
Iufitensis *v.* Giutrambacariensis

EPISCOPI

ECCLESIARVM AFRICANARVM

Abundantius Adrumetinus
Abundius Tibilitanus
Abus Ficensis
Adelfius Mactaritanus
Adelfius Mataritanus
Adelphius Tabaltanensis
Adeodatus Abbir majoris
Adeodatus Bazaritanus
Adeodatus Belalitensis
Adeodatus Beucenueusis
Adeodatus Fesseitanus
Adeodatus Idassensis
Adeodatus Milevitanus Donat.
Adeodatus Nobabarbarensis
Adeodatus Pederodianensis
Adeodatus Praecausensis
Adeudatus Privatensis
Adeodatus Satafensis prov. Sitif.
Adeodatus Simidicensis
Adeodatus Simittensis
Adeodatus Sistrouianensis
Adeodatus Zaradtensis
Aemilianus Aggeritanus
Aemilianus Araditanus
Aemilianus Bennefensis
Aemilianus Casasmedianensis Donat.
Aemilianus Culcitanensis
Aemilianus Verronensis
Aemilius Asuoremixtensis
Aemilius Mediensis
Aeneas Tuburnicensis
Agrippinus Carthaginiensis
Albinus Octabensis pr. Byzac.
Alypius Tagastensis
Ambibius Pisitensis
Ampelius Neapolitanus pr. Procos. Donat.
Ampelius Vagensis pr. Numid.
Anastasius Aquae Nobensis
Anastasius Beneventensis
Annibonius Abbir Germanicianae
Annibonius Bajesitanus
Annibonius Robautensis Donat.
Antacius Medianensis
Antigonus Madaurensis
Antonianus Drnensis Donat.
Antonianus Lamsortensis Donat.
Antonianus Mustitanus pr. Numid.
Antonius Carpitanus
Antonius Fussalensis
Antonius Mutugenensis
Apocorius Caesareensis
Apronianus Mazacensis
Aptus Tiziensis
Aptus Tusuritanus Donat.
Arator Catulensis
Argentius Lamiggigensis alter
Argentius Zallatensis
Argutus Tabudensis Donat.
Asclepius Vagensis pr. Numid.
Asmunius Ticualtensis
Aspidius Tacaratensis
Asselicus Tusuritanus
Asterius Vicensis
Athenius Circinitanus
Aufidius Suristensis
Aufidius Tignicensis
Augendus Arensis
Augendus Villamagnensis pr. Procns.
Augentius Gazaufalensis
Augentius Utzipparitanus
Augustalis Abitinensis
Augustalis Altiburiensis Donat.
Augustinus Hipponis Regiensis

Avitus Lamasnensis
Aurelius Adrumetinus
Aurelius Carthaginiensis
Aurelius Clypiensis
Aurelius Cullitanus
Aurelius Feradimajensis
Aurelius Macomadiensis
Aurelins Numnolitanus
Aurelius Uticensis
Avus Altabensis
Avus Horreensis
Anxilius Gnnugitanns
Auxilins Murconensis
Aymnius Auzuagensis I.
Balens Villanobensis
Barbarianus Crepedulensis
Barbarus Hierpinianensis
Basilins Altibnriensis
Bassus Carpitanus
Bebianns Dusensis Donat.
Bejanus Bajanensis Donat.
Bellicius Teleptensis Donat.
Benantius Oppidonobensis
Benenatns Casarum Silvanae Donat.
Benenatus Casensis Bastalensis Donat.
Benenatus Curbitanns
Benenatus Giutrambacariensis
Benenatus Hospitensis
Benenatus Lambiritanus
Benenatus Mazacensis
Benenatus Mesarfaltensis Donat.
Benenatus Milevitanns
Benenatus Naraggaritanus
Benenatus I. Simittensis
Benenatus II. Simittensis
Benenatus Timidae Regiae
Benenatus Tuburbitanorum majorum Donat.
Benenatns Tusuritanus Donat.
Benerius Turditanus
Bonifacius Arsuritanus
Bonifacius Bollitanus
Bonifacius Bulelianensis
Bonifacius Carthaginieusis
Bonifacius Cataquensis
Bonifacius Cenensis
Bonifacius Filacensis
Bonifacius Fortianensis
Bonifacius Frontonianensis
Bonifacius Gattianensis
Bonifacius Maragniensis
Bonifacius Mascliancnsis
Bonifacius Maximiensis
Bonifacius Membresitanns
Bonifacius Pappianensis
Bonifacins Rnsgoniensis
Bonifacins Sicilibbensis
Bonifacins Telensis
Bonifacius Vallitanus
Bonifacins Vallitanns Donat.
Bonifacius Urugitanus Donat.
Bonifacius Utimmensis Donat.
Burcaton Gemellensis Donat.
Burco Vardimissensis
Caecilianns Carthaginiensis
Caecilius Balianensis
Caecilius Biltensis
Caecilius Minensis
Calipides Leptimagnensis
Calipotius Bazaritanus Donat.
Campanus Bidensis
Campanus Cincaritanns Donat.
Candidianus Catrensis
Candidus Abbir Germanicianae
Candidus Dicensis
Candidus Nobasinensis
Candidus Siccensis
Candidus Villaregiensis
Candorius Aggaritanns Donat.
Candorius Mullitanns
Capreolus Carthaginiensis
Carcadins Maxulitanus
Cardelus Lamiggigensis alter
Carissimus Gisipensis
Carpophorus Carthaginiensis
Cartherns Lamfuensis Donat.
Cassianus Bamaccorensis
Cassianus Usulensis

Cassius Macomadiensis
Cassosns Ausanensis
Castorins Bagajensis
Castus Cellensis pr. Byzac. Donat.
Castus Siccensis
Catulinus Gittensis
Celer Capsensis pr. Numid. Donat.
Cericius Uculensis
Clarentius Tabracensis Donat.
Clarissimus Tauracinae
Clarus Masculitanus
Claudius Vagalitauus
Clemens Caesareensis
Clemens Tamagristensis
Clementinus Neapolitanus pr. Proc.
Colonicus Thinisae Donat.
Columbus Maximianensis
Columbus Naratcatensis
Comparator Mactaritanus Donat.
Coucordius Culnlitanus
Constantinus Altibnriensis
Constantinns Eliensis
Constantinus Taborensis
Coustautius Cerbalitanus
Constantius Gegitanus
Constantius Rusubiccariensis Donat.
Coronius Meglapolitanus
Crescens Aqnensis pr. Caesar.
Crescens Cicsitanns
Crescens Cirtensis
Crescens Clypiensis
Crescens Cuiculitanus
Crescens Icositanus Donat.
Crescens Tuburnicensis
Crescens Vagensis pr. Byzac.
Crescentianus Amaderensis Donat.
Crescentianns Arenensis
Crescentianus Germaniensis
Crescentianus Murrensis Donat.
Crescentilianus Lambiritanus Donat.
Crescentius Tacarateusis
Cresces Buffadensis
Cresces Satafensis pr. Caesar.
Cresces Sestensis
Cresces Tigabitanus
Crescis Cefalensis
Cresciturus I. Bosetensis
Cresciturus II. Bosetensis
Cresciturus Cellensis pr. Sitif.
Cresciturus Titulitanus
Cresconius Advocatensis Donat.
Cresconius Amporensis
Cresconius Aquensis Numid. Donat.
Cresconius Ausngabrensis Douat.
Cresconius Bajesitauus Donat.
Cresconius Banzarensis Donat.
Cresconins Binensis
Cresconius Caesariensis Numid. Don.
Cresconins Castelli Siuiteusis Donat.
Cresconins Centenariensis
Cresconius Centuriensis Donat.
Cresconius Cibalianensis Donat.
Cresconius Cniculitanus
Cresconius Horreae Aninicensis Don.
Cresconius Iactarensis
Cresconius Legiensis Donat.
Cresconius Musertitanns
Cresconius Mustitanus pr. Procos. Donat.
Cresconius Oensis
Cresconius Pudentianensis Donat.
Cresconius Rusncensis
Cresconins Selemselitanus Donat.
Cresconins Siguitensis Donat.
Cresconius Simingitanus
Cresconins Taciae Montanensis Don.
Cresconius Tarasensis
Cresconius I. Temonianensis
Cresconius II. Temonianensis
Cresconius Titulitanus
Cresconius Titulitanns Donat.
Cresconius Tonnonensis
Cresconius Tubuniensis
Cresconius Villaregiensis
Cresconius Zabensis Numid.
Cresconius Zaradtensis
Criscentinus Leptiminensis
Crisconius Uculensis

Crispinus Calamensis Donat.
Crispinus Tabadcarensis
Crispulus Bollitanus
Cultasius Mataritanus
Cyprianus Bonustensis
Cyprianus Carthaginiensis
Cyprianus Cellensis pr. Procos.
Cyprianus Siccennensis Donat.
Cyprianus Tadduensis
Cyprianus Tibursicensis pr. Procos. Donat.
Cyprianus Tuburbitanorum majorum
Cyprianus Villamagnensis pr. Procos.
Cyprianus Unuzibirensis
Cyriacus Carthaginiensis
Cyrus Carthaginiensis
Dacianus Tamazucensis Donat.
Dalmatius Thinisae
Datianus Camicetensis Donat.
Datianus Legensis
Datianus Talaptensis Donat.
Datianus Turreblandinus
Dativns Badiensis
Dativus Novapetrensis Donat.
Dativus Visensis Donat.
David Tadamatensis
Decimus Theuzitanus
Demetrius Leptiminensis
Deogratias Carthaginiensis
Deumhabet Telensis
Deuterius Caesareensis
Deuterius Macrianensis pr. Caesar. Donat.
Deuterius Siminensis
Dialogus Zamensis
Dioga Leptimagnensis
Dominicus Absasallensis
Dominicus Bullensium Regiorum
Dominicus Carthaginiensis
Domitianus Igilgilitanus
Domnicosus Tigisitanus Numid.
Domnicus Caesariensis Numid.
Domninus Moxoritanus
Domninus Taraqueusis
Donatianus Bagajensis Donat.
Donatianus Capsensis Byzac. Donat.
Donatianus Carcabianensis Donat.
Donatianus Eliensis
Donatianus Lamzellensis Donat.
Donatianus Montonsis
Donatianus Numnulitanus
Donatianus Tabraconsis
Donatianus Teglatensis
Donatianus Teleptensis
Donatianus Vegeselitanus Donat.
Donatianus Usinadensis
Donatianus Zellensis
Donatulus Capsensis Byzac.
Donatus Aggaritanus
Donatus Amporensis
Donatus Ancusensis Donat.
Donatus Apissanensis Donat.
Donatus Arensis Byzac. Donat.
Donatus Ausucurrensis
Donatus Auzagerensis Donat.
Donatus Bagajensis Donat.
Donatus Bamaccorensis Donat.
Donatus Banensis
Donatus Belianensis Donat.
Donatus Bocconiensis Donat.
Donatus Boncariensis
Donatus Botrianensis Donat.
Donatus Buritanus
Donatus Buzensis Donat.
Donatus Cabarsussitanus Donat.
Donatus Calamensis
Donatus Carthaginiensis
Donatus Carthaginiensis schismat.
Donatus Casarum Nigrensium Don.
Donatus Celerinousis Donat.
Donatus Cibalianensis
Donatus Cilitanus Donat.
Donatus Cresimensis Donat.
Donatus Fissanensis Donat.
Donatus Frontensis
Donatus Giggensis Donat.
Donatus Gilbensis
Donatus Cirbensis pr. Procos.

Donatus Hermianensis
Donatus Hipponis Diarrhyti
Donatus Horreensis
Donatus Limmicensis
Donatus Lugurensis
Donatus Macomadiensis
Donatus Madaurensis Donat.
Donatus Masclianensis Donat.
Donatus Maximianensis
Donatus Medianeusium Zabnniorum Donat.
Donatus Merferebitanus
Donatus Nobicensis
Donatus Panatoriensis
Donatus Rufinianensis
Donatus Rusticianensis
Donatus Sabratensis Donat.
Donatus Sajensis
Donatus Samurdatensis Donat.
Donatus Satafeusis pr. Caesar.
Donatus Scillitanus Donat.
Donatus Silensis
Donatus Sitifensis
Donatus Subbaritanus
Donatus Sucardensis Donat.
Donatus Tamadensis Donat.
Donatus Tamascaniensis Donat.
Donatus Teglatensis Donat.
Donatus Ternamusensis.
Donatus Tibursicensis pr. Procos. Donat.
Donatus Tididitanus Donat.
Donatus Tigillabensis Donat.
Donatus Tililtensis
Donatus Tisilitanus
Donatus Turrensis Numid. Donat.
Donatus Turris Rotundae Donat.
Donatus Vageatensis Donat.
Donatus Unuzibirensis
Dulcitius Tacapitanus
Dumvirialis Bamaccorensis
Ebasius Vicoateriensis
Elpidephorus Cuiculitanus
Emeritus Caesareeusis Donat.
Emeritus Macrensis
Emptacius Siccesitanus
Eparchius Siccensis
Epictetus Assuritanus
Epigonius Bullensium Regiorum
Equitius Hipponis Diarrhyti
Evangelus Assuritanus
Evasius Girbensis pr. Procos. Don.
Eubodius Miditanus
Eucratius Thenitanus
Eugenius Amaderensis
Eugenius Carthaginiensis
Eunomius Marazanensis
Evodius Uzalensis
Eusebius Iubaltianensis
Eusebius Obbensis
Eusebius Susicaziensis
Eustratius Sufetanus
Exitziosus Verensis
Facundus Hermianensis
Faustinianus Carpitanus
Faustinianus Tamogadensis
Faustinianus Uticensis
Faustinus Binensis Donat.
Faustinus Girbensis pr. Tripol.
Faustinus Hipponis Regiensis Don.
Faustinus Naraggaritanus Donat.
Faustinus Nationensis Donat.
Faustinus Sillitanus
Faustinus Tambajensis Donat.
Faustus Buronitanus
Faustus Castrorum Seberianorum
Faustus Praesidiensis
Faustus Timidae Regiae
Faustus Tuburbitanorum majorum
Felicianus Aquae Nobensis Donat.
Felicianus Biltensis. Donat.
Felicianus Cufrutensis
Felicianus Feraditanae minoris
Felicianus Girutarasi
Felicianus Idensis
Felicianus Metensis
Felicianus Mustitanus Numid. Don.
Felicianus Ruspensis

Felicianus Trisipensis Donat.
Felicianus Utioensis Donat.
Felicissimus Obbensis Donat.
Felicissimus Sedelensis
Felicissimus Utinensis
Felix Abaritanus
Felix I. Abbir majoris
Felix II. Abbir majoris
Felix Aborensis
Felix I. Abtugnensis
Felix II. Abtugoensis
Felix Adquesireosis
Felix Adrometinus
Felix Ambiensis
Felix Aquisirensis
Felix Bagajensis
Felix Bajaoensis
Felix Bamaccoreosis
Felix Berceritanus
Felix Boncariensis Donat.
Felix Bosetensis Dooat.
Felix Bulleosis
Felix Buliensium Regiorum Donat.
Felix Buslaceous
Felix Canapitanus
Felix Carpitanus
Felix Casarum Nigrensium
Felix Castellanus pr. Sitif.
Felix Crepedulensis
Felix Curbitanus
Felix Ficensis
Felix Flenucletensis
Felix Forontonianeosis
Felix Garbensis
Felix Garbeosis Donat.
Felix Gibbeosis
Felix Gurgaitensis
Felix Hierpinianensis
Felix Hizirzadensis
Felix Iactareosis
Felix Idicrensis Donat.
Felix Lambesensis Dooat.
Felix Lamsortensis
Felix Macrianensis pr. Caesar.
Felix Magarmelitanus Donat.
Felix Manazenensium Regiorum Don.
Felix Marazeosis
Felix Matharensis
Felix Maxiteosis
Felix Maxulitanus Donat.
Felix Moptensis Donat.
Felix Muzuensis
Felix Nobasiuensis Donat.
Felix Nobasparseosis
Felix Nobensis I.
Felix Pariensis
Felix Pisitensis Donat.
Felix Putiensis Numid. Donat.
Felix Rotariensis
Felix Rusubiritanus
Felix I. Segermitanus
Felix II. Segermitaous
Felix Selemselitaous
Felix Serteitaous
Felix Suavensis
Felix Summensis Donat.
Felix Tacapitanus Donat.
Felix Tagariatanus Donat.
Felix Tebestinus
Felix Teleosis Donat.
Felix Theoitanus
Felix Tiborsiceosium pr. Procos.
Felix Timidae Regiae
Felix Trisipensis
Felix Tobiensis
Felix Vicoturrensis
Felix Villaregieosis
Felix Visicensis
Felix Utiuensis
Felix Utmensis Donat.
Felix Uzaleosis Donat.
Felix Zabeosis pr. Sitif. Donat.
Ferox Macrianensis pr. Byzac.
Festus Satafensis pr. Sitif.
Fidentios Cefalensis
Fidentius Cefalensis Donat.
Fidentius Cullitanus
Fidentius Diaoensis Donat.

Fidentius Gypsariensis Donat.
Fideutius Hipponis Regii
Filtiosns Aggeritanus
Firmianus Ceuturionensis
Firmns Tagastensis
Firmns Tipaseusis
Flabianus Bulelianeusis
Flabianus Vicopacateusis
Flavianus Pauzerensis Donat.
Flaviauns Vamallensis
Flavianus Uticensis
Flavosus Cicsitanus Donat.
Florentianus Midilensis
Florentianus Vicopacatensis
Floreutinus Furnitanus Donat.
Florentinus Hipponis Diarrhyti
Florentinus Thugusubditanus Dou.
Floreutinus Tusnritanus
Floreutinus Uticensis
Florentius Adrumetiuus Douat.
Florentius Ceuteuariensis
Floreutius Egugeusis
Florentius Lamsortensis
Florentius Nobagermauiensis
Florentius Seminensis
Florentius Zemtensis
Florianus Putiziensis
Fluminius Tabudensis
Fortis Agensis
Fortis Caputcillensis
Fortis Cediensis Donat.
Fortunatiauus Araditanus
Fortuuatianus Assuritanus
Fortuuatianus Capseusis Byzac.
Fortunatianus Cilitanns
Fortunatianus Metensis Douat.
Fortunatianus Naratcatensis
Fortunatianus Neapolitauus pr. Proc.
Fortunatianns Senemsaleusis Donat.
Fortunatianus Siccensis
Fortunatianus Tagarbaleusis
Fortuuatianns Vensanensis Donat.
Fortunatus Abbenzensis
Fortnnatus Bajesitauus
Fortunatus Caesareeusis
Fortùnatus Capseusis Numid.
Fortunatus Carthaginiensis schism.
Fortunatus Casensis Calamensis
Fortunatns Cirteusis
Fortnnatus Dionysianensis Donat.
Fortunatus Mozotcoritanus
Fortunatus Pupitauus
Fortuuatus Rusuccurrensis
Fortunatus Thuccaboris
Fortunatus Vesceritauus Donat.
Fortunius Carthagiuiensis
Fortunius Celleusis pr. Byzac.
Fortunius Ofitanus
Fortunius Regianensis
Fortuuins Tibursicensis Numid. Don.
Fructnosus Abziritensis
Frnctuosus Binensis
Frumentius Teleptensis
Fulgentius Bagajeusis
Fulgentius Ruspensis
Fundanus Abitinensis
Fnscinullus Elieusis
Gajanus Ticualtensis Donat.
Gajus Adsiuvadensis
Gajus Tacapitanus
Gajus Ucitanus
Gallouianus Uticeusis
Gallus Ticensis
Gamalius Bagajensis Douat.
Gaudentius Niguznbitanus Donat.
Gaudentius Putiensis Numid.
Gaudeutius Tamogadensis Donat.
Gaudentius Tigisitanus Numid. Don.
Gandentius Tnrretamalliensis
Gaudentius Zertensis Donat.
Gaudiosus Abitinensis
Gaudiosus Pappianeusis
Gavinus Vegeselitanus Numid. Don.
Gedalius Hospitensis
Geliauus Reperitanus
Gemellus Tambajensis Donat.
Geminius Clypieusis Donat.
Geminius Furnitanus

Geneclins Carthaginiensis
Generosus Cirtensis Donat.
Gennadius Membresitanus
Gentilis Cubdeusis
Germanus Ciumtuturbii
Germauus Gypsariensis
Germanus Peradamiensis
Germauus Zucabaritanus Donat.
Geta Iubaltianensis
Getulicus Victorianeusis Douat.
Gildo Lamzellensis
Gloriuus Iuncensis pr. Caesar.
Gloriosns Migirpensis Donat.
Gorgouius Liberaliensis
Gratianus Metensis
Gratus Carthaginiensis
Gregorius Tamalleusis
Gududus Ancusensis
Gulosus Beneventeusis
Gulosus Pupitanus.
Gnutasius Bennefensis Donat.
Habetdeus Aurnsulianensis Donat.
Habetdeus Marazanensis Donat.
Habetdeus Tamallnmensis pr. Byzac.
Habetdeus Theudaleusis
Heliodorus Cufrntensis
Helpidius Aquensis pr. Caesar.
Helpidius Turditanns Donat.
Heraclius Hipponis Regiensis
Hilariauus Hiltensis
Hilarinus Horreae Caelieusis
Hilariuns Trofiuianensis
Hilarus Bofetanus
Hilarus Sulianensis Donat.
Hirundinus Missucnsis
Honoratus Abiddensis
Honoratus Adquesirensis Donat.
Honoratus Castellanus Numid.
Honoratus Aquisirensis Donat.
Honoratus Antouinus Cirtensis
Honoratus Fatensis
Honoratus Iommitcnsis Donat.
Honoratus Larensis Donat.
Honoratus Macriancnsis pr. Byzac.
Honoratns Matharensis
Honoratus Sicilibbensis Donat.
Houoratus Tagaratensis
Honoratus Tagariatanus
Honoratus Tamascaniensis
Honoratus Thiabensis
Honoratus Thuccensis
Honoratus Timicitanus
Honoratus Tiziensis
Honoratus Tuccae pr. Procos.
Honoratus Turditanus Donat.
Honorius Aquae Albensis pr. Sitif.
Honorins Bartanensis Donat.
Houorius Beuepotensis
Honorius Cellensis pr. Byzac.
Honorius Milevitanus
Honorius Oppenensis
Hortensianus Lareusis
Horteusius Autenteusis
Hortnlanus Bennefensis
Iacobus Lemclefensis
Iader Midilensis
Iambus Germanicianensis
Ianuarianus Auzuageusis I.
Ianuarianus Casarum Nigrensium Donat.
Ianuarianus Masclianensis
Ianuarianus Tibursicensis Numid. Donat.
Ianuarianus Tubulbacensis
Ianuarius Aptucensis
Ianuarius Aptucensis Donat.
Iauuarius Aqnae Albensis pr. Byzac. Donat.
Ianuarius Aquensis pr. Caesar.
Iannarius Aquensis pr. Caesar. Don.
Ianuarius Banensis
Ianuarius Betagbarensis
Ianuarius Casasmedianensis
Ianuarius Cenculianensis
Ianuarius Centuriensis
Ianuarius Centurionensis Donat.
Ianuarius Flumenpiscensis Donat.
Ianuarius Gattianensis

Iannarius Ganrianensis
Ianuarins Gisipensis
Iannarius Horreae Caeliensis Donat.
Ianuarins Iactarensis
Ianuarius Lamasuensis Donat.
Ianuarius Lambesensis
Ianuarius Legensis
Iannarins Libertinensis
Ianuarins Libertinensis Donat.
Iannarius Masclianensis
Iannarius Mustitanus pr. Procos.
Iannarius Mnzncensis
Ianuarius Narensis Donat.
Iannarins Nasbincensis
Iannarius Numidensis Donat.
Ianuarius Tagastensis
Ianuarius Tunudensis
Iannarius Valesitanus
Ianuarins Vegeselitanus Nnmid.
Ianuarius Vicensis
Idaxius Muzucensis Donat.
Idonius Rnsaditanus
Ingenuns Vbabensis
Innocentius Adrumetinus
Innocentius Germaniensis
Innocentins Guzabetanus Donat.
Innocentins Lamiggigensis I.
Innocentius Muzncensis
Innoceutius Tabaltanensis Donat.
Inventinns Maronanensis
Ioannes Bulleriensis
Ioannes Calibiensis
Ioannes Gummitanns
Ioannes Mibiarcensis
Ioannes Neapolitanus pr. Procos.
Iocundus Sufetulensis
Iona Labdensis
Irenaeus Ullitanus
Isaac Utinensis
Iulianus Bazaritanus
Iulianus Duassenemsalitanus
Iulianus Girumarcelli
Inlianus Midilensis Donat.
Iuliauns Ruspensis
Iulianus Tabaltanensis
Iulianus Teleptensis
Iulianus Tignicensis Donat.
Iulianus Vararitanus
Iulius Magarmelitanns
Innianus Siminensis
Iunillus Vticensis
Iunior Rusiccadiensis Donat.
Iunior Tigillabensis
Iunius Neapolitanns pr. Tripol.
Inrata Tnrretamalliensis Donat.
Iustns Acufidensis
Iustus Formensis ad Idicram Donat.
Instus Nicibensis Donat.
Laetns Neptitanus
Lampadius Tididitanus
Lampadius Utinensis
Laodicius Clypiensis
Latinus Muliensis Donat.
Latonius Thenitanns
Laurentins Icositanns
Laurentius Usulensis
Leo Moptensis
Leo Oppinensis
Leo Sabratensis
Leontius Burceusis
Leontius Decorianensis
Leontius Hipponis Regiensis
Leontius Musertitanus
Leontins Praesidiensis Donat.
Leontius Rusticianensis Donat.
Leporius Augnrensis
Liberalis Milidieusis Donat.
Liberalis Nasaitensis Donat.
Liberantins Tisaniensis Donat.
Liberatus Amudarsensis
Liberatus Aqnensium Regiornm
Liberatus Mullitanus
Libosus Agrensis
Licentins Iactarensis
Licteus Gemellensis
Limenianus Taprurensis
Litorius Suavensis
Longinus Pamariensis

Lucianus Burugiatensis Donat.
Lucianus Carthaginiensis
Lucianus Girensis
Lucianus Maurianensis
Lucianus Mesarfeltensis
Lucianus Rucumensis
Lucianus Succubensis
Lucianus Tunejensis
Lucidus Cartennitanus
Lucidus Girumarcelli
Lucillus Castelli Sinitensis
Lucius Ausafensis
Lucius Castrorum Galbae
Lucius Itensis
Lucius Maturbensis
Lucius Membresitanus
Lucius Olivensis
Lucius Tagaratensis
Lucius Tamallensis Donat.
Lucius Tamazucensis
Lucius Tebestinus
Lucius Zabensis Numid. Donat.
Lucrus Nigrensium majorum
Lucullus Hospitensis Donat.
Lupianus Tagamutensis
Macrobius Hipponis Regiensis Don.
Maddanius Murconensis
Magnus Abtugnensis
Majorinus Carthaginiensis schism.
Majorinus Zemtensis
Majus Amudarsensis
Malchus Masclianensis
Mangentius Ticualtensis
Maunucius Duassenemsalitanus
Mansuetus Afufeniensis
Mansuetus Urcitanus
Marcellinus Mullitanus Donat.
Marcellinus Tabaltanensis
Marcellus Mattianensis
Marcellus Zamensis
Marcianus Assabensis Donat.
Marcianus Cabarsussitanus Donat.
Marcianus Eminentianensis Donat.
Marcianus Idicrensis
Marcianus Sitifensis Donat.
Marcianus Tabadcarensis Donat.
Marcianus Urugitanus
Marcus Mactaritanus
Marcus Midicensis Donat.
Marianus Municipensis
Marianus Hipponis Diarrhyti
Marianus Rufiuianensis
Marianus Utzipparitanus
Marinianus Oensis Donat.
Marinus Aquarum Tibilitanarum
Marinus Taborensis
Martialis Columpnatensis
Martialis Girensis
Martialis Idicrensis Donat.
Martialis Pertusensis Donat.
Martialis Vatarbensis Donat.
Martianus Murustagensis
Martianus Sublectinus Donat.
Martinianus Tibuzabetensis Donat.
Martinus Siccesitanus
Mattasius Castelli Iabaritani
Maurentius Tibursicensis Numid.
Maxentius Tigamibenensis
Maximianus Aquensium Regiorum
Maximianus I. Bagajensis
Maximianus II. Bagajensis
Maximianus Bennefensis Donat.
Maximianus Erumminensis Donat.
Maximianus Hermianensis Donat.
Maximianus Pudentianensis
Maximianus Serteitanus Donat.
Maximianus Stabatensis Donat.
Maximianus Turrensis pr. Byzac.
Maximianus Zucabaritanus
Maximinus Castelli Sinitensis
Maximinus Enerensis
Maximinus Naraggaritanus
Maximinus Sufetanus
Maximinus Tuburbitanorum minorum Donat.
Maximinus Turreblandinus Donat.
Maximinus Unuzibirensis Donat.
Maximus Abitinensis Donat.

Maximus Canianensis Donat.
Maximus Carthaginiensis schism.
Maximus Coviensis
Maximus Gummitanus
Maximus Lamfuensis
Maximus Lamiggigensis I.
Maximus Macrensis Donat.
Maximus Pitianensis Donat.
Maximus Rucumensis
Maximus Sillitanus
Maximus Suensis
Maximus Thugusubditanus
Megalius Calamensis
Megasius Thuccaboris Donat.
Melior Fussalensis
Mellosus Bulleriensis
Mellosus Gisipensis
Memmianus I. Pudentianensis
Memmianus II. Pudentianensis
Mensius Alamiliarensis
Mensius Turrensis pr. Byzac.
Mensurius Carthaginiensis
Mensurius Medefessitanus
Messianus Seleucianensis Donat.
Metcun Rusuccurrensis
Metus Taciae Montanensis
Milicus Tagamutensis
Miggin Edistianensis Donat.
Miggin Vagalitanus Donat.
Migginus Elfantariensis Donat.
Mingin Nobensis II.
Missor Formensis
Moecopius Hierpinianensis
Momillus Girbensis pr. Procos.
Montanus Augurensis
Montanus Cedamusensis
Montanus Cemerinianensis Donat.
Montanus Zamensis Donat.
Muranus Bollitanus
Musonius Byzacenus gemin.
Mustulus Cabarsussitanus
Mustulus Uzalensis
Nabigius Tigimmensis
Nabor Centurionensis
Nados Sabratensis
Natalicus Telensis Donat.
Natalicus Zellensis Donat.
Natalis Oensis
Navigius Turditanus
Nemesianus Tubuniensis
Nestorius Malianensis Donat.
Nicasius Culcitanensis
Nicetius Castelli minoritani
Nicomedes Segermitanus
Ninellus Rusuccurrensis
Ninus Tabaltanensis
Niventius Tunugabensis
Novatus Sitifensis
Novatus Tamogadensis
Novellus Tyzicensis
Numerianus Rusgoniensis
Numidius Iuncensis pr. Byzac.
Numidius I. Maxulitanus
Numidius II. Maxulitanus
Octavianus Ressianensis
Octavianus Tuzudrumensis
Octavianus Ucitanus
Octavius Utimmensis
Onesimus Fidolomensis
Optantius Casensis Calanensis
Optatus Autentensis
Optatus Carthaginiensis
Optatus I. Milevitanus
Optatus II. Milevitanus
Optatus Rusuccurrensis Donat.
Optatus Tamogadensis Donat.
Optatus Timicitanus Donat.
Optatus Tonnonensis
Optatus Vesceritanus
Pacatus Equizotensis
Pacatus Vicoateriensis
Palatinus Bosetensis
Palladius Bacanariensis
Palladius Idicrensis
Palladius Tigabitanus
Palmatius Hipponis Diarrhyti
Pancratius Badiensis Donat.
Pancratius Balianensis Donat.

Pannonius Bitensis
Pannonius Pupitanus
Papinianus Vitensis
Pardalius Macomadiensis
Pariator Hiltensis
Pariator Scillitanus
Parmenianus Carthaginiensis Donat.
Pascentius Cataquensis
Pascentius Octabensis Numid.
Paschasius Anguiensis
Paschasius Decorianensis
Paschasius Gunelensis
Paschasius Mammillensis
Paschasius Membresitanus
Paschasius Migirpensis
Paschasius Salditanus
Paschasius Septimunicensis
Paschasius Thenitanus
Paschasius Tigisitanus pr. Caesar. Donat.
Paschasius Tijucensis
Paschasius Tuccae pr. Procos. Don.
Paschasius Tulanensis
Paschasius Vicensis Donat.
Paschasius Vicoturrensis Donat.
Passinatus Masuccabensis
Passitanus Tigisitanus pr. Caesar.
Pastinatus Pupitanus
Patera Catabitanus
Patronianus Senemsalensis
Paullinus Regianensis
Paullinus Rubicariensis
Paullinus Tigisitanus
Paullinus Zurensis
Paullus Cataquensis
Paullus Cirtensis
Paullus Flumenzeritanus
Paullus Nibensis
Paullus Obbensis
Paullus Siccensis Donat.
Paullus Sinnariensis
Paullus Tabucensis
Paullus Turreblandinus
Paullus Uzitensis
Pelagianus Lupercianensis
Pelagius Panatoriensis Donat.
Pentadius Carpitanus
Pentasius Turretamalliensis
Peregrinus Assuritanus
Peregrinus Curbitanus
Peregrinus Materianensis
Peregrinus Muliensis
Peregrinus Pudentianensis
Peregrinus Sufetanus Donat.
Perseverantius Tebertinus Donat.
Perseverantius Tebestinus Donat.
Petilianus Cirtensis Donat.
Petrus Bahrensis
Petrus Castellanus pr. Caesar.
Petrus Culcitanensis
Petrus Hipponis Diarrhyti
Petrus Madensis
Petrus Oboritanus
Placentius Madaurensis
Placidus Mizigitanus
Plutianus Masclianensis Donat.
Philologus Adrumetinus
Pirasius Nationensis
Poequarius Tasaccurensis
Pollianus Milevitanus
Polycarpus Adrumetinus
Pompejanus Sucardensis
Pompejanus Victorianensis
Pompejus Sabratensis
Pomponius Dionysianensis
Pomponius Macrianensis pr. Byzac. Donat.
Pontianus Thenitanus
Ponticanus Furnensis ad Idicram
Pontius Lamfuensis
Porphyrius Bullensis
Possessor Zabensis pr. Sitif.
Possidius Calamensis
Possidius Maximiensis
Possidonius Sillitanus Donat.
Postumianus Tagorensis Numid.
Potentinus Vticensis
Potentius Bladiensis

Praefectianus Abaradirensis
Praejectus Aquarum Tibilitanarum
Praesidius Sufetulensis
Praetextatus Assuritanus Donat.
Praetextatus Sicilibbensis
Primasius Adrumetinus
Primianus Carthaginiensis Donat.
Primianus Gurgaitensis
Primilianus Lucimagnensis Donat.
Primosus Carthaginiensis
Primosus Lemelefensis
Primosus Tigabitanus
Primulianus Mandassumitanus Don.
Primulus Tamagristensis
Primulus Vagensis Numid.
Primus Caprensis
Primus Migirpensis
Priscus Quidiensis
Privatianus Sufetuleusis
Privatianus Vegeselitanus pr. Byzac.
Privatus Anzuagensis 11. Donat.
Privatus Sufetulanus
Privatus Vegeselitanus pr. Byzac.
Privatus Usulensis
Probantius Trofinianensis
Probus Taciae Montanensis
Proculejanus Hipponis Regiensis Donat.
Proculus Girbensis pr. Tripol. Don.
Proculus Giutsitensis Salarius
Proculus Serrensis
Proficentius Macomadiensis Rustician. Donat.
Proficius Selencianensis
Proficius Sublectinus
Proficius Vagensis Numid.
Profuturus Cirtensis Donat.
Protasius Tubuniensis Donat.
Publianus Bazarididacensis
Publianus Carthaginiensis
Publicius Gratianopolitanus
Pudentianus Cuiculitanus
Pudentius Madaurensis
Purpurius Limatensis
Pusillus Lamasnensis
Quadratianus Sicilibbensis Donat.
Quadratus Gegitanus
Quietus Uticensis
Quintasius Bajanensis Donat.
Quintasius Capsensis pr. Byzac. Don.
Quintasius Mutecitanus
Quintianus Carianensis
Quintianus Lacus dulcis Donat.
Quintianus Larensis
Quintianus Urcitanus
Quintus Acolitanus
Quintus Agensis
Quintus Burugiatensis
Quintus Tabuniensis
Quintus Tagaratensis Donat.
Quobulus Caeciritanus
Quodvultdeus Bollitanus Donat.
Quodvultdeus Bullamensis
Quodvultdeus Caelianensis
Quodvultdeus Calamensis
Quodvultdeus Carthaginiensis
Quodvultdeus Centuriensis
Quodvultdeus Cessitanus Donat.
Quodvultdeus Durensis
Quodvultdeus Girbensis pr. Procos.
Quodvultdeus Neptitanus Donat.
Quodvultdeus Respectensis
Quodvultdeus Summulensis
Quodvultdeus Tablensis
Quodvultdeus Turrium Concordiae
Quodvultdeus Verensis
Quodvultdeus Ullitanus
Recargentius Lamiggigensis 11. Don.
Redemptus Canapitanus
Redemptus Gisipensis
Redemptus Neapolitanus pr. Procos.
Redux Nobalicianensis
Reginus Tigillabensis
Reginus Vegeselitanus Numid.
Reparatus Abitinensis
Reparatus Aquensis pr. Caesar. Don.
Reparatus Bitensis
Reparatus Bulturiensis

Reparatus Carthaginiensis
Reparatus Castelli Tatroporteusis
Reparatus Cessitanus
Reparatus Girumonteusis
Reparatus Meglapolitanns
Reparatus Pappianensis
Reparatus Siteusis
Reparatus Sufasaritauns
Reparatus Tibursicensis pr. Procos.
Reparatus Tipasitanus
Reparatus Tubuniensis
Reparatus Utimmirensis
Restitutianus Sululitanns
Restitutus Acolitanus
Restitutus Aquae Albeusis pr. Byzac.
Restitutus Aquiabensis
Restitutus Bilteusis
Restitutus Carthaginiensis
Restitutus Cilibieusis
Restitutus Cincaritanus
Restitutus Drusillianeusis Donat.
Restitutus Flumenpiscensis Donat.
Restitutus Laritanus Donat.
Restitutus Membresitanus Donat.
Restitutus Milevitanus
Restitutus Muzucensis
Restitutus Nobasineusis
Restitutus Sebargeusis
Restitutus Segermitanus Donat.
Restitutus Simingitanus
Restitutus Tagamutensis
Restitutus Tagorensis pr. Procos.
Restitutus Timidae Regiae
Restitutus Vallitanus
Restutus Florianensis
Restutus Iubaltiauensis
Restutus Lapidieusis
Restutus Macrianensis pr. Caesar.
Restutus Segermitanus
Rodibaldus Valentinianensis
Rogatianus Idassensis Donat.
Rogatianus Nobensis I.
Rogatianus Tigimmeusis
Rogatianus Vadentinianensis
Rogatianus Vannidensis
Rogatianus Vicoateriensis Donat.
Rogatianus Villamagnensis Numid. Donat.
Rogatus Assnritanus Donat.
Rogatus Cartennitanus Donat.
Rogatus Gaguaritanus
Rogatus Partheniensis
Rogatus Perdicensis Donat.
Rogatus Sereddelitanus
Rogatus Zaradtensis Donat.
Romanus Leptimineusis
Romanus Lesvitanus
Romanus Meglapolitanus
Romanus Molicunzeusis
Romanus Sufasaritanus
Romanus Tamadensis
Romulus Tebestiuus
Romulus Ticeusis
Rufinianus Bonustensis
Rufinianus Muzueusis
Rufinianus Vadeusis
Rufinianus Victorianeusis
Rufinus Drusillianensis
Rufinus Labdensis Donat.
Rufinus Taciae Montanensis
Rufinus Tamallumensis pr. Sitif.
Rufinus Tuburbitanorum majorum Donat.
Rufus Carthaginiensis
Rufus Lamzellensis
Rufus Sfasferiensis
Rusticianus Mataritanus Donat.
Rusticianus Tabracensis
Rusticus Cartennitanns
Rusticus Tetcitanus
Rusticus Tipasensis
Sabinianus Gummitanus
Sabinicus Octabiensis
Sabinus Tuccae Numid.
Sabratius Turretamalliensis
Sacconius Uzalensis
Safargius Lamfuensis
Sallustius Febianensis

Sallustius Macomadiensis Donat.
Sallustius Sertensis Donat.
Salo Fallabensis
Salviaons Gazanfaleusis
Salviaons Leptimagnensis Donat.
Salvius Ausafensis Donat.
Salvius Membresitanus Donat.
Samsucius Turrensis Numid.
Sarmentius Ternamusensis Donat.
Satius Sicilibbensis
Satorninus Abitineusis
Saturuinus Gaudiabensis Donat.
Saturninus Marazaneusis
Saturninus Sertensis
Saturninus Sociensis
Saturninus Tamagristensis Donat.
Saturniuus Tuccae Numid.
Satorniuus Victoriaueusis
Satorninus Villavictorianensis Don.
Saturninus Vissalensis
Satorninus Uzaleusis
Saturnus Sitensis Donat.
Saturus Abtugnensis
Saturus Byzaceuus Donat.
Satorus Hirenensis
Saturus Ilizirzadensis Donat.
Secundianus Hermianensis
Secundianus Priscianensis
Secundinus Aurusnlianensis Donat.
Secundinus Carpitanus
Secuudinus Cediensis
Secundinus Garrianensis
Secundinus Iucundianensis
Secundinus Lamasuensis
Secundinus Minensis
Secuudiuus Tambajensis
Secundinus Vaziensis
Secundus Arensis pr. Procos. Donat.
Secundus Magarmelitanus
Secundus Maurianensis
Secnudus Ruspitensis
Secundus Tagasensis
Secundus Tamogadensis
Secundus Tigisitanus Numid.
Securus Thenitanus Donat.
Securus Timidauensis
Sedatus Tuburbitanorum majorum
Segetius Mullitauus
Sementius Utzipparitanus
Serbandus Putiensis pr. Byzac.
Serenianus Mammillensis Donat.
Serenianus Miditanus
Serotinus Turnzitensis
Servandus Casarum Favensium Don.
Servaudus Hipponis Regiensis
Servatus Amporensis Donat.
Servilius Tacapitanus
Servitius Uunricopolitanus
Servius Arsuritanus
Servus Belesasensis
Servus Medefessitanus
Servusdei Honoriopolitanus
Servusdei Missuensis
Servusdei Tambajeusis
Servusdei Tibursicensis pr. Procos.
Severianus Ceramussensis
Severinus Castellanus pr. Caesar. Donat.
Severus Milevitanus
Severus Sitifeusis
Severus Utimmireusis
Sextilianus Tunejensis
Sextilius Assabensis
Sextus Tamogadensis
Silvanus Cariauensis
Silvanus Cirtensis Donat.
Silvanus Macriauensis pr. Caesar.
Silvanus Perdicensis
Silvanus Summensis
Simeon Furnitanus
Simplicius Carcabiensis
Simplicius Tibilitanus
Simplicius Tibilitanus Donat.
Solemnius Tigisitanus pr. Caesar.
Sopater Tambajensis
Speratus Amaderensis
Speratus Cataquensis Donat.
Spes Crepedulensis

Splendonius Mutugenensis
Squillacius Scillitanus
Stephanus Castelli Sinitensis
Stephanus Clypiensis
Stephanus Gummitanus
Stephanus Spes in Deo Quaestorianensis
Stephanus Ruspensis
Stephanus Sinnariensis
Stephanus Talaptensis
Stephanus Taraquensis
Stephanus Thuccaboris
Stephanus Zucabaritanus
Subdatius Sucardensis
Subitanus Idensis
Succensianus Febianensis
Successus Abbir Germanicianae
Surgentius Pocofeltensis
Syrus Corniculanensis
Tacanus Albulensis
Talasius Gratianopolitanus
Teberianus Quidiensis
Tenax Horreae Caeliensis
Terentius Seleucianensis
Tertiolus Cilitanus
Tertullianus Hirenensis
Tertullus Abiddensis Donat.
Tertullus Cilibiensis Donat.
Tertullus Iuncensis pr. Byzac.
Theasius Memblositanus
Theodorus Biltensis
Theodorus Cabarsussitanus
Theodorus Hirenensis
Theodorus Tamateni
Theodorus Usulensis Donat.
Theogenes Hipponis Regionsis
Therapius Bulleusis
Thomas Carthaginiensis
Thomas Cubdensis
Timianus Utmensis
Timotheus Tagorensis Numid.
Titianus Sufetulensis Donat.
Titus Migirpensis
Trifolius Aborensis
Tripolius Ucitanus
Turrasius Fissanensis Donat.
Tutus Melzitanus
Vadius Lesvitanus
Valentianus Montensis
Valentinianus Iuncensis pr. Byzac. Donat.
Valentinianus Visicensis
Valentinus Bajanensis
Valentinus Castelli Mediani
Valerianus Abbenzensis
Valerianus Obbensis
Valerius Hipponis Regiensis
Valerius Melzitanus Donat.
Valerius Tibursicensis pr. Procos.
Valerius Utinicensis
Vassinus Elfantariensis
Venantius Thinisae
Venerius Carpitanus
Venustus Turudensis
Veratianus Carpitanus Donat.
Verecundus Iuncensis pr. Byzac.
Verecundus Nobensis I.
Verianus Turris Albae Donat.
Verissimus Tacaratensis Donat.
Verulus Rusiccadiensis
Vices Sabratensis
Victor Abitinensis
Victor Abziritensis
Victor Ajurensis
Victor Altiburiensis Donat.
Victor Assuritanus
Victor Banensis
Victor Bartanensis
Victor Binensis
Victor Bulnensis
Victor Caltadiensis
Victor Carteunitanus
Victor Carthaginiensis
Victor Cirtensis
Victor Cuiculitanus
Victor Cullitanus
Victor Curbitanus Donat.
Victor Dionysianensis

Victor Eminentianensis
Victor Equizotensis Donat.
Victor Flumenpiscensis
Victor Gaguaritanus
Victor Garbensis
Victor Gattianensis Donat.
Victor Gaudiabensis
Victor Gibbensis Donat.
Victor Giutrambacariensis
Victor Gorensis
Victor Hiltensis Donat.
Victor Hipponis Diarrhyti Donat.
Victor Horreensis
Victor Icositanus
Victor Ierafitanus
Victor Labdensis
Victor Legisvolnminiensis
Victor Liberaliensis Donat.
Victor Libertinensis
Victor Malianensis
Victor Mammillensis
Victor Manaceenseritanus
Victor Mataritanns
Victor Membresitanus
Victor Migirpensis
Victor Municipensis
Victor Narensis
Victor Numidiensis
Victor Octabensis Numid.
Victor Oriensis Donat.
Victor Pappianensis
Victor Regiensis
Victor Rotariensis Donat.
Victor Rusiccadiensis
Victor Signitensis
Victor Sinnariensis
Victor Sufasaritanus
Victor Tabadcarensis
Victor Taborensis Donat.
Victor Taborentensis
Victor Thendalensis
Victor Thibaris
Victor Timicitanus
Victor Titulitanus

Victor Tononensis
Victor Trisipensis
Victor Tuburbitanorum minorum
Victor Tuccae pr. Procos.
Victor Turrium Ammeniarum
Victor Vardimissensis
Victor Vaziensis
Victor Vitensis
Victor Voncariensis
Victor I. Uticensis
Victor II. Uticensis
Victorianus Abissensis Donat.
Victorianus Aquensis pr. Byzac. Don.
Victorianus Carcabianensis Donat.
Victorianns Masclianensis
Victorianns Mustitanus Numid.
Victorianns Pupitanus Donat.
Victorianus Quaestorianensis
Victorianus Thibaris Donat.
Victoriauns Tigimmensis
Victorianus Tunudensis Donat.
Victorianus Vcitanus Donat.
Victorianus Uzalensis
Victoricus Tabracensis
Victorinus Abziritensis
Victorinus Adrumetinns Donat.
Victorinus Ancusensis
Victorinus Babrensis
Victorinns Castelli Titulitani
Victoriuus Legiensis
Victorinus Leptimagnensis Donat.
Victorinus Leptiminensis Donat.
Victorinus Munatianensis Douat.
Victorinus Naraggaritanus
Victorinus Perdicensis
Victorinus Scebatianensis
Victorinus Seberianensis
Victorinus Serteitanus
Victorinus Tabudensis
Victorinus Temonianensis
Victorinus Usnlensis
Victorins Larensis
Victorius Sedelensis Donat.
Vigilius Hizirzadensis

Vigilius Ressianensis
Vigilius Tapsitanus
Villaticus Anzagerensis
Villaticus Casasmedianensis
Villaticus Moptensis
Villaticus Sinnipsensis
Vincemalus Baparensis
Vincentianus Feradimajensis
Vincentius Cartennitanus Donat.
Vincentius Culcitanensis
Vincentius Giggensis
Vincentius Girbensis pr. Tripol.
Vincentius Thibaris
Vindemialis Capsensis pr. Byzac.
Vindemius Altiburiensis
Vindemius Cenensis Donat.
Vindemius Lemfoctensis
Vindicianus Lacubazensis
Vindicianus Marazanensis
Vinitor Talaptensis
Vitalianus Bazaritanus
Vitalianus Bocconiensis
Vitalis Assafensis
Vitalis Bartanensis
Vitalis Castrorum Nobensium
Vitalis Masclianensis Donat.
Vitalis Masculitanus Donat.
Vitalis Verensis
Vitalis Verensis Donat.
Vitalis Zamensis
Vitulus Larensis
Voconius Castellanus pr. Caesar.
Urbanus Amaurensis
Urbanus Formensis ad Idicram Don.
Urbanus Girbensis pr. Procos.
Urbanus Siccensis
Urbanus Satafensis pr. Sitif. Donat.
Urbanus Tablensis Donat.
Urbanus Theudaleusis
Urbicosus Igilgilitanus
Urbicus Tebestinus
Ursus Abaritanus
Uzulus Thuccensis
Xanthippus Tagorensis Numid.
Zeuzius Cirtensis
Zosimus Tarasensis.

FINIS PRIMAE PARTIS.